PHILOSOPHIA
MENTIS

METHODICE TRACTATA

ATQUE

AD USUS ACADEMICOS

ACCOMMODATA


ſecundis curis

P. F. FORTUNATI A BRIXIA

ORD. MINOR. S. FRANCISCI REF. PROV. BRIXIÆ.

TOMUS SECUNDUS

Metaphyſicam univerſam complectens.



BRIXIÆ. MDCCIL.

Excudebat JOANNES-MARIA RIZZARDI.

SUPERIORUM APPROBATIONE,
ET PRIVILEGIO.

METAPHYSICAE SYNOPSIS.

PRolegomena in Metaphyficam. pag. 1.

METAPHYSICES PARS I.

ONTOLOGIA, five DE ENTE.

DISSERTATIO I.

De notione entis realis, ejufque affectionibus.

SECTIO I.

Exponitur notio entis realis, paucifque oftenditur, quomodo entis attributum rebus conveniat. pag. 4.

SECTIO II.

De entis veritate, bonitate, & unitate. pag. 9.

SECTIO III.

De diftinctione, & identitate. pag. 13.

DISSERTATIO II.

De poffibili, & impoffibili; neceffario, & contingenti; mutabili, & immutabili; rerumque effentia, & exiftentia.

SECTIO I.

De poffibili, & impoffibili. pag. 17.

SECTIO II.

De neceffario, & contingenti, mutabili, & immutabili. pag. 23.

SECTIO III.

De rerum effentia, & exiftentia. pag. 29.

DISSERTATIO III.

De fubftantia, & accidente, deque ente abfoluto, & relativo, fimplici, & compofito.

SECTIO I.

De fubftantia, & accidente. pag. 41.

SECTIO II.

De ente abfoluto, & relativo. pag. 50.

SECTIO III.

De ente effentialiter fimplici, & compofito. pag. 57.

DISSERTATIO IV.

De caufis.

SECTIO I.

De caufis in genere. pag. 64.

SECTIO II.

De caufa efficiente. pag. 72.

SECTIO III.

De caufa finali. pag. 82.

SECTIO IV.

De caufis materiali, & formali. pag. 86.

SECTIO V.

De caufa exemplari. pag. 93.

METAPHYSICES PARS II.

PSYCHOLOGIA, five DE MENTE HUMANA.

DISSERTATIO I.

De natura mentis humanæ, ejufque origine.

SECTIO I.

Expenditur, an humana mens fit fubftantia fpiritualis, num vero corporea. p. 96.

SECTIO II.

An humana mens fit immortalis, num vero in morte una cum corpore pereat. pag. 129.

SECTIO III.

De origine mentis humanæ. pag. 163.

DISSERTATIO II.

De mutuo commercio inter mentem humanam, & corpus.

SECTIO I.

Exponitur commercium inter humanam mentem, & corpus. p. 189.

SE-

SECTIO II.
An mutuum commercium inter humanam mentem, & corpus in systemate causarum occasionalium sufficienter explicetur. pag. 195.
SECTIO III.
Expenditur systema harmoniæ præstabilitæ. p. 206.
SECTIO IV.
Ostenditur, quid de causa commercii mentis cum corpore sentiri probabiliter possit. p. 306.
DISSERTATIO III.
De potentiis animæ rationalis.
SECTIO I.
De intellectu. p. 321.
ARTIC. 1. *De origine idearum.* p. 322.
ARTIC. 2. *An igitur ideæ innatæ, num vero omnis nostra cognitio a sensibus dependeat.* p. 330.
ARTIC. 3. *An humana mens semper cogitet.* p. 346.
ARTIC. 4. *De objecto intellectus.* p. 351.
SECTIO II.
De voluntate. p. 352.
ARTIC. 1. *Voluntatis objectum determinatur.* p. 353.
ARTIC. 2. *An humana voluntas sit potentia libera.* p. 358.
ARTIC. 3. *An & quomodo voluntas ab intellectu in operando dependeat.* p. 379.
SECTIO III.
De memoria. p. 386.
METAPHYSICES PARS II.
THEOLOGIA NATURALIS, sive DE DEO.
DISSERTATIO I.
De existentia Dei, ejusque præcipuis attributis.
SECTIO I.
Deum existere demonstratur. p. 392.
SECTIO II.
Præcipua Dei attributa expenduntur. p. 405
DISSERTATIO II.
De Deo providente, concurrente, & determinante.
SECTIO I.
An cunctæ res creatæ divinæ providentiæ subjiciantur. p. 424.
SECTIO II.
An ad omnes creaturarum actiones Deus immediate concurrat. p. 434.
SECTIO III.
An Deus physice prædeterminet causas creatas ad agendum. p. 437.

FINIS.

AP-

APPROBATIONES.

CUm jussu Reverendissimi Patris Cajetani a Laurino totius Ordinis S. Francisci Ministri Generalis attento, serioque animo expenderimus opus, cui titulus est: *Philosophia Mentis Tomus secundus*, opera, & studio R. P. Fortunati a Brixia Strictioris Observantiæ elaboratum, nihilque in ipso invenerimus quod Orthodoxæ Fidei, probisve moribus, vel minimum adversetur, dignum idcirco censemus, ut communi scholarum utilitati publica luce fruatur, si ita videbitur &c.

F. Carolus a Golleono Theologiæ Lector.

F. Prosper a Brixia Theologiæ Lector, & Diffinitor Generalis.

FR. CAJETANUS A LAURINO Lector Jubilatus, Catholicæ Majestatis in Regali Congressu Matriten. pro Immaculata Conceptione Theologus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Francisci Minister Generalis, Commissarius Visitator Apostolicus, & in Domino Servus.

Dilecto Nobis in Christo R.P.F. Fortunato a Brixia, nostræ Ref. Prov. Brixiæ Lectori Theologo, ac Ordinis Scriptori; Salutem, & Seraph. Benedict.

CUm juxta Apostolicas nostrique Ordinis Constitutiones; de mandato nostro, idonei Censores Opus quoddam a Te elaboratum, cui titulus est, *Philosophiæ Mentis Tomus secundus*, recognoverint, illudque ab ipsis revisum, & approbatum fuerit: Nos præsentium tenore, cum salutaris Obedientiæ merito, Tibi facultatem impertimur, quatenus servatis de reliquo servandis idipsum Typis mandare possis, & valeas.

Datum Neapoli ex nostro Conventu S. Didaci die 12. Septembris 1742.

F. Cajetanus a Laurino Minister Generalis &c.

L. ✠ S.

Regist.

De mandato Rmi in Christo Patris
F. Jo: Laurentius a Roma Secr. Gñlis Ordinis.

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

COncedemo Licenza à Gian-Maria Rizzardi Stampator di Brescia di poter ristampare il Libro intitolato: *Philosophia Mentis metodice tractata atque ad usus Academicos accommodata opera, & studio P. F. Fortunati a Brixia Ord. Min. S. Francisci Reformatorum*, osservando gl'ordini soliti in materia di Stampe, e presentando le Copie alle Pubbliche Librarìe di Venezia, e di Padova.

Dat. li 30. Novembre 1748.

(*Gio: Emo Proc. Rif.*
(*Barbon Morosini* Proc. *Rif.*
(

Registrato in Libro a car. 37. al num. 306.

Michel Angelo Marino Segr.

PRI-

PRIVILEGIUM EXCELLENTISSIMI SENATUS.

PETRUS GRIMANI DEI GRATIA DUX VENETIARUM &c. Universis, & singulis notum facimus hodie in Consilio Nostro Rogatorum captam fuisse Partem tenoris infrascripti videlicet: Sopra l'instanze, che ci furono fatte da Gian-Maria Rizzardi, Libraro e Stampatore di Brescia, siamo discesi a permettergli la stampa nello Stato Nostro del libro intitolato: *Philosophia Mentis*, con una *Dissertazione Fisico-Teologica*, ed altre *Aggiunte*, Opera del P. Fortunato Minor Riformato della Provincia di Brescia, ed a concedere a lui solo, o chi averà causa da lui, ad esclusione d'ogn'altro, il Privilegio per anni dieci, da intendersi principiato dal giorno della presente, della stampa, e vendita del libro medesimo tanto in questa Città di Venezia, quanto in qualunque altro luogo dello Stato Nostro, a condizione che sia impresso in buona carta, perfetti caratteri, bel margine, e diligenti correzioni, da esser prodotti nel Magistrato de' Riformatori dello Studio di Padova in riscontro li primi, susseguenti, ed ultimi foglj, e che siano presentate nelle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova le solite Copie. Resta perciò a' Stampatori tutti, Librari, ed a qualsisia altra persona così di questa, come di qualunque altra Città del Dominio Nostro, che causa, e facoltà non avesse da esso Gian-Maria Rizzardi proibito il vendere per detti anni dieci lo stesso libro in poca, o molta quantità, il farne seguir le ristampe in Estero Stato, anche con l'abusiva Edizion di Venezia, e l'introdurle nello Stato, sotto pena della perdita degli Esemplari, e di Ducati cinquecento, da esser applicati un terzo all'Accusatore, un' altro terzo all'Accademia de' Nobili alla Zuecca, ed il rimanente al Privilegiato. Sotto le medesime pene sia pure vietato ad ognuno, per li riferiti anni dieci, di contrafare il libro medesimo in qualsivoglia sua parte sotto pretesto di restrinzione, correzione, aggiunta, o mutazione di titolo. Per il che commettemo tanto al Deputato all'estrazione de' Libri dalla Dogana di non licenziarne dalla medesima, o da altro luogo ove esistessero, quelli che non fossero corrispondenti agli esibiti nelle Pubbliche Librarie; quanto al Segretario di non rilasciar mandato, dovendo intendersi tutti perduti, e confiscati, ed incorso il trasgressore nelle pene come sopra. A chiara intelligenza d'ognuno volemo inoltre, che nel principio, o nel fine del libro predetto sia in aggiunta delle solite licenze registrata la presente come stà, e giace. Quare auctoritate hujus Consilii mandamus omnibus, ut ita exequi debeant.

Dat. in Nostro Ducali Palatio die XXIII. Augusti Indictione XII. MDCCXXXXIX.

1749. 25. Agosto.

Gl' Illmi, ed Eccmi Signori Riformatori dello Studio di Padova hanno al sopradetto Gian-Maria Rizzardi Libraro, e Stampator di Brescia concesso il suo espresso Privilegio.

(*Gio: Emo Proc. Rif.*
(*Z. Alvise Mocenigo 2.° Rif.*
(

Michiel Angelo Marino Segret.

PRO-

PROLEGOMENA IN METAPHYSICAM.

I.



ETAPHYSICA est scientia rerum earum, quæ vel reipsa a materia, sive a corporea substantia secreta sunt, vel per considerationem ita ab ea præscindunt, ut, quæ de illis demonstrantur, corporeis, incorporeisque rebus sint ex æquo communia. Definitur propterea: *scientia theoretica, qua circa ens generatim sumtum, ejusque affectiones per mentem abstractas, speciatim vero circa substantias spirituales, prout naturali lumine a nobis cognoscibiles, tota versatur.*

II.

Dicta est autem *metaphysica*, hoc est, si nomen Latine interpretari velimus, scientia *super*, vel *præter physicam*, sive *naturam*. Metaphysicus enim eas, ut diximus, res considerat, quæ naturam, sive sensibilium rerum compagem, circa quam, veluti circa proprium objectum, occupatur Physicus, transcendunt prorsus atque exsuperant. Hinc *Metaphysica* solet etiam *sapientia* nuncupari, sublimium scilicet altissimarumque rerum scientia: quod tamen nonnisi illi *Metaphysicæ* parti proprie convenit, quæ Deum, ejusque attributa, quantum patitur naturalis ratio, inquirit atque demonstrat.

III.

Ceterum *Metaphysicæ* nomen antiquis Philosophis plane incognitum, ab Alexandro Aphrodisæo, & Joanne Philopono, Aristotelis interpretibus, primo usurpatum fuisse traditur. Hoc autem nomine illa Aristotelis opera inscripta fuere, quæ, Logicis, Ethicis, atque Physicis a Tyrannione Grammatico, & Andronico quodem Rhodio primum in ordinem digestis, ad nullam certam classem visa sunt posse revocari. Istiusmodi itaque scripta minus cohærentia inter se, magisque abstrusa, *metaphysica* dixere, quasi physicis adjicienda, sive post Physicam collocanda.

I V.

Dubium tamen est, num libri *metaphysici*, qui sub Aristotelis nomine circumferuntur, ad illum vere pertineant. Non desunt enim, qui suppositios eos esse putent, præsertim cum Laertius, qui Aristotelis opera longa serie recenset, nullam prorsus illorum mentionem faciat, fateaturque, complura esse, *quæ ipsi adscribuntur volumina, atque sententiæ*. Utut tamen res sit, id unum, quemadmodum egregie observat Cl. Gassendus, videtur citra dubitationis aleam positum, exiguam admodum *Metaphysicæ* partem in hisce libris contineri. *Ut enim*, inquit, *omnes libri physici dicati sunt explicandæ materiali substantiæ; ita profecto fuerunt dicandi quatuordecim, qui habentur, Metaphysici tractandæ immateriali. An ne porro id factum est? Ecce, cum ejusmodi libri contineant* CXLI. *capita, sola quinque posteriora duodecimi libri aliquid habent hujusce materiæ. Quid igitur opus est recensere operis defectus; cum omnia prope deficiant, quæ ad tractationem de rebus divinis, atque metaphysicis necessaria erant* (a)? Nihil ergo, tanti Viri judicio, minus accuratum est, quam Aristotelis *Metaphysica*. Recentiorum autem studio, quam perfecta hæc fuerit, aperte adeo illorum testantur opera, ut opus nequaquam sit, rem hanc longo sermone illustrare.

Metaphysicæ partitio.

Duæ sunt *Metaphysicæ* partes principes, *Ontologia, & Pneumatologia*. Illa de *ente* generatim sumto disserit, ejusque affectiones per mentem abstractas expendit. Hæc vero spirituales substantias ita scrutatur, ut earum naturam, existentiam, atque operationes, sola naturali ratione facem præbente, in aperto ponat, nobisque exhibeat. Quoniam autem duæ potissimum sunt substantiæ spirituales, quæ, naturæ lumine, cognosci a nobis possunt, Deus scilicet, & mens humana, ideo *Pneumatologia* in duas partes, nempe in *Psychologiam*, quæ agit de mente humana, & in *Theologiam naturalem*, quæ de Deo disserit, satis apte dividitur. Itaque tres nobis erunt partes *Metaphysicæ*, quarum prima *Ontologiam*, secunda *Psychologiam*, postrema *Theologiam naturalem* comprehendet.

ME-

(a) Lib. I. *adversus Aristoteleos* exercit. V. n. 11.



METAPHYSICES
PARS PRIMA.
ONTOLOGIA
sive
DE ENTE.



NTOLOGIA, si nominis ratio habeatur, *entis doctrinam* significat. Versatur enim illa circa *ens reale*, in ejusque expendendis affectionibus per mentem abstractis, differentiisque perscrutandis tota, ut diximus, occupatur. *Prima* quoque *Philosophia* dicta est, sive quod ceteris Philosophiæ partibus sublimior sit, sive quod principia, quibus ceterarum disciplinarum veritates innituntur, illa una exhibeat atque demonstret. Recte proinde Vir eruditissimus Joannes Baptista Vicus, *illud apprime verum esse*, inquit, *quod Metaphysica* (generalis, nempe *Ontologia*) *sit omnis veri fons, & unde in alias scientias omnes derivatur* (a). Hanc itaque eximiam facultatem trademus in præsens; verum ita, ut ea pene omnia missa a nobis fiant, quæ, utpote, doctissimorum Virorum calculo, magis subtilia, quam utilia, fuerunt in causa, ut Metaphysicam aspernati olim plerique sint, & nunc etiam non pauci aversentur. *Speramus autem*, ut verbis utar Viri doctissimi, *tandem aliquando factum iri, ut nostrates quoque juvenes resipiscant, & non modo amœniorum literarum, & eruditionis, sed etiam scientiarum amore flagrantes, summam videant ad omnia prorsus genera doctrinarum* Ontologiæ, *sive*

 Phi-

(a) Lib. I. de *antiquissima Italorum sapientia* cap. 4. §. 1.

Philosophiæ primæ, *atque* universalis *necessitatem; quemadmodum eam perviderunt fere innumeri Transalpini, & pauci quidam Itali sapientiores; eoque magis id nos futurum esse confidimus, quod certo novimus, plerosque nostræ nationis, eorum librorum lectione magnopere delectari, qui toti spirant universalioris Metaphysicæ subtilitatem; illorumque etiam (quod maxime dolendum est) in quibus aut effusa impudentia & impietate, aut perfidia callidissima, aut ambigue quidem, & periculose admodum, de rebus maximi momenti disputatur: quos tamen libros certo certius vel ipsa constat experientia, nequaquam ab iis intelligi satis posse, qui in* Ontologia, *seu* Philosophia prima *diu multumque via, & ratione versati non sint* (a).

DISSERTATIO I.

De notione entis realis, ejusque affectionibus.

HÆc dissertatio tres sectiones complectitur. In prima, tradita *entis* notione, breviter demonstratur, quomodo attributum *entis* rebus conveniat. In secunda proprietates *entis*, *veritas* scilicet, *bonitas*, atque *unitas*, explicantur. Pauca demum de rerum *identitate*, & *distinctione* in tertia exhibentur.

SECTIO PRIMA.

Exponitur notio entis realis, paucisque ostenditur, quomodo entis attributum rebus conveniat.

Definitio I.

1. NOmine *entis realis* intelligitur id, *quod nullam in seipso contradictionem involvit*. Sic homo est *ens reale*, quia nulla in eo est contradictio.

SCHOLION.

2. Vocabulum *entis* non sumitur hoc loco, prout est participium verbi *sum*, & ideo quatenus rem existentem significat; sed prout est nomen, quo ita res exprimitur, ut perinde omnino sit, sive ipsa existat, sive non existat.

Co-

(a) P. Nicolaus Concina Ord. Prædic. *Origenes fundam., & cap. juris nat. & Gentium* Orat. habita in Gymnasio Patavino anno 1734.

COROLLARIUM I.

3. *Concipitur itaque res sub præcisa ratione* entis, *quatenus attingitur tantum, prout est aliquod, in quo nulla habetur contradictio.*

COROLLARIUM II.

4. Si fieri nequeat, ut attingat mens, quod pugnantia continet, *id omne est ens reale, quod mente concipitur.*

DEFINITIO II.

5. Dicuntur *primo diversa, quæ sunt hujusmodi, ut nihil positivum habeatur, in quo illa conveniant.* Sic *A*, & *B* sunt *primo diversa*, si nihil positivum existat in *A*, quod etiam *B* sit commune.

PROPOSITIO I.

Unumquodque per id est ens, per quod est id, quod est.

6. *Probatur.* Unumquodque per id est *ens*, per quod est aliquod, in quo nulla involvitur contradictio (§. 1.). Unumquodque autem per id est aliquod, in quo nulla habetur contradictio, per quod est id, quod est. Ergo unumquodque per id est *ens*, per quod est id, quod est.

COROLLARIUM I.

7. Cum rei cujusque *essentia* sit id, per quod res ipsa est id, quod est, *res qualibet per suam essentiam est ens.* Sic homo per id est *ens*, per quod est homo. Etenim homo per id est aliquod, in quo nulla habetur terminorum pugna, per quod est homo. Igitur

COROLLARIUM II.

8. Attributum *entis* dicit in recto *negationem intrinsecæ contradictionis; totam* vero rei *essentiam* in obliquo. Nimirum tota rei essentia venit nomine *entis*; verum sumta, & considerata, quatenus præcise nullam in seipsa contradictionem continet.

SCHOLION.

9. Id adeo certum puto, ut nemo sit, qui contra sentire posse vi-

deatur. Tota enim rei essentia est aliquod, in quo nulla involvitur contradictio.

Corollarium III.

10. Itaque *plura convenire in ratione* entis, *nihil est aliud, quam in negatione intrinseca contradictionis ea simul omnia convenire.*

L E M M A.

Potest eadem negatio esse communis pluribus, licet nihil reale positivum sit illis ex aequo commune.

11. *Probatur*. Duobus *entibus A, B* licet ponantur primo diversa, ex æquo convenit non esse *x*; ac proinde datur negatio illis ex æquo communis. Nihil autem positivum illis per hypothesim commune est (§. 5.). Ergo plura convenire simul possunt in negatione, quin in positivo aliquo attributo ea simul conveniant.

S C H O L I O N.

12. Plura *primo diversa* convenire simul posse in negatione, Doctoris Subtilis aperta sententia est. Hæc enim habet: *quantumcunque diversis, si nihil etiam commune habeant, potest esse negatio communis; sicut* non Sortes *est commune univocum ad omnia alia a Sorte* entia, & non entia. *Et licet illa, quibus negatio est communis, habeant aliquod positivum commune, non tamen oportet, quod per illud commune insit eis negatio communis*. Non rationalitas *enim convenit ultima differentia equi, & asini, & non per aliquod commune illis, quibus convenit ista negatio.... Negatio est unius rationis, quia opponitur affirmationi unius rationis, non quia consequitur affirmationem unius rationis* (a).

PROPOSITIO II.

Convenire plura simul possunt in ratione entis, licet nihil reale positivum sit illis ex aequo commune.

13. *Probatur*. Plura convenire in ratione *entis*, est ea convenire in *negatione intrinseca contradictionis* (§. 10.). Possunt autem plura convenire in *negatione intrinseca contradictionis*, quin in positivo aliquo attributo ea inter se conveniant (§. 12.). Ergo convenire simul

(a) Super. I. *Senten.* Distin. 23. q. unica *aliud argumentum*.

mul possunt plura in ratione *entis*, quamvis in nullo positivo attributo ea simul conveniant.

COROLLARIUM I.

14. *Possunt plura convenire in ratione* entis, *licet* essentialiter *sint primo diversa*. Sunt enim *primo diversa*, quibus nihil reale positivum est ex æquo commune (§. 5.).

COROLLARIUM II.

15. *Attributum* entis *non dicit* realitatem positivam *iis omnibus communem* univoce, *quæ in ratione* entis *convenire dicuntur*. Non enim tunc iis, quæ sunt *primo diversa*, attributum *entis* posset esse ex æquo commune. Igitur

COROLLARIUM III.

16. *Attributum* entis *non dicit* realitatem *quamdam* potentialem, *sive reipsa* determinabilem *per* modos, *vel per* differentias.

SCHOLION.

17. Perspicuum id magis fiet, si *differentiales* hujuscemodi *rationes* in seipsis spectentur. Aliquid enim & ipsæ sunt, in quo nulla involvitur contradictio, & ideo sunt *ens*, perinde prorsus atque *realitas* illa *potentialis*, quam determinant; nisi forte placeat nonnemini, inter *continere contradictionem*; & *non continere* dari medium, quod utrumque extremum excludat.

COROLLARIUM IV.

18. *Attributum* entis *maxime universale est*. Rebus enim etiam *primo diversis* ex æquo convenit (§. 14.).

COROLLARIUM V.

19. *Satis est cognoscere, rem positam esse in rerum natura, ut certi simus, eam esse ens*. Nullam enim contradictionem continet res hoc ipso, quod existat. Hinc

COROLLARIUM VI.

20. Apparet, *cur res omnes, quæ sensibus nostris occurrunt, eosque movent*, entia realia *dicantur, quamvis non solum earum essentia nos plane lateat, verum etiam licet ad earum proprietates ne leviter quidem attendamus; ac propterea etsi obscura maximeque confusa sit, quam habemus, rerum ipsarum cognitio*. Quævis enim vel levissima sensuum motio satis est, ut certo sciamus, rem ipsam existere.

PROPOSITIO III.

Attributum entis est commune univocum Deo, & creaturis.

21. *Probatur*. Sicuti namque Deo, & creaturis est ex æquo commune, esse id, quod sunt, ita ex æquo illis convenit, esse aliquod, in quo nulla involvitur contradictio. In hoc autem tota *entis* notio posita est (§. 1.). Ergo &c.

Dices: Deus est aliquod omnino independens, & *simpliciter* infinitum; creatura vero est aliquod undique circumscriptum, caducum penitus, atque a Deo dependens. Ergo Deus, & creatura nequeunt in notione *entis* univoce convenire.

℞. *nego conseq*. Ex eo enim, quod Deus sit *ens* simpliciter independens, & creatura sit *ens* simpliciter dependens, non sequitur, nisi Deum, & creaturam esse duas res *primo diversas*. Hoc autem non impedit, quominus in ratione *entis* convenire ex æquo possint (§. 14.); cum id non prohibeat, quominus queant in *negatione intrinseca contradictionis*, in qua tota ratio *entis* posita est (§. 1.), *univoce* convenire (§. 11.). Ergo &c.

Dices iterum, nullam *potentialitatem* in Deo haberi. Fore autem, ut aliqua in Deo sit *potentialitas*, si ratio *entis* esset Deo, & creaturis ex æquo communis. Ergo &c.

℞. *nego min*. Ut enim satis constat ex dictis, *ens* nullam dicit in recto *realitatem potentialem*, sed meram tantummodo negationem (§. 8.), quæ non exigit, ut in iis, quibus est communis, detur aliquod *reale positivum*, in quo *univoce* illa conveniant (§. 11.). Et sane, sicuti ex eo, quod Deo, & creaturis ex æquo competat *non esse lapidem*, haud sequitur, dari in Deo, & creaturis *rationem* aliquam *positivam*, propter quam hæc illis negatio competat; ita ex eo, quod Deus, & creatura in *negatione intrinseca contradictionis* conveniant, inferri nequaquam licet, Deum & creaturas *in positiva determinabili realitate* hanc ob causam convenire.

SCHO-

S C H O L I O N.

22. Attributum *entis* esse commune *univoce* Deo, & creaturis, constans Scotistarum sententia est. Contra vero *analogice* tantum de Deo, & creaturis attributum illud posse enuntiari, plurimi ex Thomistis, quos *q. 2. Metaph.* recenset Camerarius, arbitrantur. Videantur Mastrius *Disputat. II.* in *Metaph. q. 2.*, & Suarez *Disput. II.* itidem in *Metaphysicam Sect. 2.* Hi enim subtiliter adeo rem hanc pertractant, ut ceteris profecto palmam praeripuerint.

SECTIO SECUNDA.

De entis veritate, bonitate, & unitate.

D E F I N I T I O.

23. P*Roprietates entis* dicuntur illa attributa, *quæ rebus competunt, quatenus præcise sunt ens, aliquod* scilicet, *in quo nulla involvitur contradictio*. Hinc, sicuti *ens*, ita etiam illius *proprietates* genera quæque transcendunt; unde *proprietates* rerum *transcendentales* vulgo a Philosophis nuncupantur. Tres porro sunt proprietates *entis* præcipuæ, nimirum *veritas, bonitas*, atque *unitas*.

Veritas entis.

24. *Veritas entis*, quæ *entitativa*, & *metaphysica* etiam dicitur, ut a *veritate logica*, cognitionis scilicet, atque signi, discernatur, est attributum, quod enuntiatur de re, quatenus ipsa talis in se est, qualis esse debet, ut sit suo exemplari conformis. Sic illud metallum dicitur *verum* aurum, quod illi ideæ consentit, qua aurum exprimitur.

C O R O L L A R I U M I.

25. *Omne ens est verum.* Sicuti enim unumquodque est id, quod est, ita unumquodque est tale, quale esse debet, ut suo exemplari consentiat.

C O R O L L A R I U M II.

26. *Unumquodque per id est verum, per quod est ens.* Unumquodque enim per id suo exemplari respondet, sive est *verum*, per quod est id, quod est. Unumquodque autem per id est *ens*, per quod est id, quod

est

eſt (§. 6.). Ergo unumquodque per id eſt *verum*, per quod eſt *ens*. Igitur

Corollarium III.

27. *Veritas metaphyſica nihil eſt reale enti ſuperadditum*. Profecto, ſi *veritas metaphyſica* eſſet aliquod reale ſuperadditum *enti*, & ipſa eſſet *vera*; cum illud reale, utpote intelligibile, ſit ſuo exemplari conforme.

Corollarium IV.

28. *Veritati tranſcendentali nulla opponitur falſitas, quæ cum ente componi poſſit*. Repugnat enim, ut res aliqua ſit id, quod eſt, ſimulque ſit a ſuo exemplari diverſa. Itaque ſicuti *ens verum* idem eſt, ac *ens*, ita *ens falſum* idem eſt, ac *non ens*, videlicet illud metallum non eſt *falſum aurum*, ſed non *aurum*, quod auri ideæ nequaquam reſpondet.

Bonitas entis.

29. *Bonum bonitate tranſcendentali* dicitur illud, quod in ſuo genere eſt *eſſentialiter* perfectum. Eſt autem perfectum *eſſentialiter*, quod eſt hujuſmodi, ut nihil ipſi deſit eorum; quæ in illo requiruntur, ut ſit id, quod eſt, atque adeo ut eum uſum præſtet, ad quem a ſummo rerum Opifice eſt deſtinatum.

Corollarium I.

30. *Omne ens eſt bonum bonitate tranſcendentali*, ſive *metaphyſica*; Fieri quippe nequit, ut aliquid ſit id, quod eſt, quin ea omnia contineat, quibus, incolumi illius eſſentia exiſtente, privari haud poteſt.

Corollarium II.

31. Quemadmodum *veritas*, ita *bonitas* nihil omnino eſt ab *ente* diſtinctum; ſed *ens* quodcunque, ſicuti *formaliter* eſt id, quod eſt, & ideo *verum*, ita ſeipſo *formaliter* eſt in ſuo genere *eſſentialiter* perfectum; atque adeo *bonum*.

Corollarium III.

32. *Nullum eſt ens malum* malitia, *quæ tranſcendentali bonitati ad-*

ver-

verſetur. Nihil enim divelli poteſt ab eſſentia rei, quin rès ipſa pereat. *Ens* itaque methaphyſice *non bonum* idem eſt, ac *non ens*, ſicuti de *ente* metaphyſice *falſo* paulo antea duximus.

Unitas entis.

33. *Unitas traſcendentalis* in negatione diviſionis rei in ſe tota conſiſtit: videlicet *ens* eſt metaphyſice *unum*, quatenus eſt in ſe indiviſum. Putant nonnulli, *ens* ſub *unius* ratione percipi haud poſſe, niſi tum indiviſum in ſe, tum diviſum a quovis alio illud a nobis concipiatur. At fruſtra. Hoc enim ipſo, quod *ens*, ut in ſe indiviſum, menti cogitanti occurrit, ſub *unius* ratione percipitur.

COROLLARIUM

34. *Unumquodque ſua eſsentia eſt unum, ſicuti ſua eſsentia eſt ens*. Non enim poteſt aliquod eſſe id, quod eſt, niſi indiviſa in illo ſint omnia, ex quibus *eſsentialiter* conſurgit.

SCHOLION.

35. *Unitas tranſcendentalis* ſolet etiam *numerica* nuncupari. Ex pluribus enim, quorum quolibet indiviſum eſt in ſe, *numerus* coaleſcit.

Species unitatis.

I.

36. *Unitas* duplex eſt, *ſimplicitatis*, & *compoſitionis*. Unum *unitate ſimplicitatis* dicitur illud, quod ita indiviſum eſt in ſe, ut ſit etiam indiviſibile. Quoniam autem duplicitur poteſt aliquod eſſe indiviſibile, nempe *abſolute*, & *ſecundum quid*, ideo duplex eſt *unitas ſimplicitatis*, altera ſcilicet *ſimplicitatis abſolute*, altera *ſimplicitatis ſecundum quid*.

II.

37. *Indiviſibile abſolute* vocatur illlud, in quo nihil eſt, quod re, vel cogitatione divelli ab eo poſſit. Hoc modo Deus eſt indiviſibilis. Nihil enim habetur in Deo, quo ipſe poſſit aliqua ratione privari. *Unitas* igitur Dei eſt *unitas abſoluta ſimplicitatis*.

38. *In-*

III.

38. *Indivisibile* vero *secundum quid* est illud, quod sua quidem in essentia dividi nequit, verum aliqua in ipso sunt, quibus carere potest, quin pereat. Hoc modo indivisibilis est mens humana. Etsi enim ex pluribus a se mutuo separabilibus essentia mentis non constet, habitibus tamen, atque virtutibus, quibus ornata est, potest, quin destruatur, reipsa destitui. Non est ergo una *unitate simplicitatis*, nisi *secundum quid*.

IV.

39. Unum *unitate compositionis* illud dicitur, quod reipsa indivisum quidem est in se, at non indivisibile. Sic homo est unum ens *unitate compositionis*. Constat enim ex pluribus, simul quidem unitis, sed a se mutuo separabilibus. Duplex porrò est hæc *unitas*; altera scilicet *per se*, altera *per accidens*.

V.

40. *Per se* unum *unitate compositionis* dicitur illud, cujus essentiales partes ex lege naturæ, sapientissimoque Dei consilio, sunt ad illud constituendum ordinatæ; ac proinde quod est hujusmodi, ut *primo* & *per se*, sive *directe*, sit ab operante natura intentum. Contra vero *unum per accidens* nuncupatur, cujus principia eo ex intentione naturæ ordinata non sunt, ut illud constituant. Sic omnia composita, quæ *naturalia* dicuntur, ut homo, bellua, plantæ &c. sunt *unum per se*; & ex adverso omnia, quæ arte fiunt, sunt *unum per accedens*.

SCHOLION.

41. Cavendum, ne *unum* cum *unico* confundatur. *Unicum* enim est in aliquo genere, cui alterum simile in eodem genere nequaquam datur. Sic *unicus* est filius, qui solus est. Itaque omne *unicum* est *unum*, sed non vicissim. Interdum tamen *unum* pro *unico* accipitur, ut cum Deus dicitur *unus*.

SE-

SECTIO TERTIA.

De distinctione, & identitate.

42. **D**E *distinctionibus* tot tamque subtilia tradunt rigidiores Scholastici, ut, si fateri mihi liceat, quod sentio, multitudine mentem obruant, suaque nimia subtilitate penitus evanescant. Hisce itaque missis, nonnisi, quæ scitu necessaria sunt, hoc loco trademus.

De Distinctione.

I.

43. *Distinctio* generatim sumta idem est, quod *alietas*. Ea nimirum *distincta* dicuntur, quorum unum non est aliud. Sic Petrus ex eo præcise, quod non sit Paulus, *distinctus* a Paulo nuncupatur.

COROLLARIUM I.

44. *Quæ* igitur *distincta sunt inter se, seipsis sunt distincta*. Per id enim unum non est aliud, per quod est id, quod est.

COROLLARIUM II.

45. *Unio non opponitur distinctioni*. Quæ namque unita simul sunt, adhuc ita se habent, ut unum non sit aliud. Sic anima non est corpus, licet corpori sit copulata. Imo tantum abest, ut *unio* adversetur *distinctioni*, quin potius *distinctionem* requirat. Non datur enim *unio*, nisi *distincta* a se mutuo sint, quæ *unita* dicuntur.

COROLLARIUM III.

46. *Distinctio latius patet, quam diversitas*. Omnia enim, quæ sunt *diversa*, sunt etiam *distincta*, sed non vicissim. Essentia siquidem Petri non est diversa ab essentia Pauli, & tamen una, ut patet, ab altera distinguitur.

I I.

47. *Distinctio* duplex est, altera scilicet *a parte rei*, altera *per intelle-*

tellectum. Diſtinguuntur *a parte rei*, quæ ita ſe habent, ut, omni conſideratione mentis ſecluſa, unum non ſit aliud. Talis eſt diſtinctio animæ rationalis a corpore. Anima enim non eſt corpus, licet neque animam, neque corpus mens noſtra conſideret.

III.

48. Diſtinguuntur vero *per intellectum*, quæ in una eademque re veluti plura, etſi plura non ſint, concipiuntur. Hujuſcemodi eſt diſtinctio virtutis *calefactivæ* in igne a vi ejuſdem *exſiccativa*. Eadem enim eſt virtus, qua ignis calefacit corpora, eaque ſimul exſiccat, licet ob effectuum diſcrimen, perinde ac duplex concipiatur.

IV.

49. Diſtinctio *a parte rei* duplex eſt, ſi nonnullos audiamus, *realis*, & *formalis*. Dicuntur *realiter diſtincta*, quæ ſunt hujuſmodi, ut vel *unum poſſit reipſa eſſe ſine alio*; vel *unum ſit realiter producens*, & *alterum realiter productum*; vel demum ut *in ſubjectis ſeparatis*, *vel ſeparabilibus ipſa exiſtant*. Sic anima rationalis *realiter* diſtinguitur a corpore, pater a filio, & lux Solis a lumine candelæ. Anima enim poteſt eſſe ſine corpore, filius a patre producitur; luxque Solis, & lux candelæ in ſeparatis ſubjectis, ut patet, exiſtunt.

V.

50. Cum *ens*, ut innuimus in Logica, dividatur in *rem*, & *modum*, diſtribui ſolet *diſtinctio realis* in *realem realiſſimam*, & *in realem modalem*. Prima eſt diſtinctio *rei a re*, ut diſtinctio Petri a Paulo, & animæ a corpore. Secunda eſt diſtinctio *rei a modo*, ut diſtinctio corporis a figura.

VI.

51. *Diſtinctio formalis* ponitur inter illa ejuſdem rei attributa, quæ ſunt quidem in ipſa re, ſecluſo omni opere intellectus, verum ejus ſunt naturæ, ut neque ab ipſa re ſejungi queant, neque a ſe mutuo ſeparari, neque diſtincta actione produci; ſed tantum diverſo conceptu attingi, eorumque unum clare concipi, altero non percepto. Hoc modo diſtingui dicuntur in homine *animalitas*, & *rationalitas*. Sunt enim attributa *realia*, reipſa diſtincta inter ſe; at non ita, ut ſignum aliquod *realis diſtinctionis* inter illa habeatur. Hæc idcirco attributa non *res*, ſed *realitates*, ſcilicet *aliquid rei*, ſimulque *formalitates*, *rationes* nempe *conceptibiles*, vocari ſolent.

SCHO-

SCHOLION.

52. Doctor Subtilis omnium primus hoc *distinctionis* genus excogitavit, atque in Scholas invexit. Verum an hæc distinctio locum habeat in rebus creatis, viderint, quibus plus otii est. Mihi enim sufficit, hoc genus *distinctionis* summis, ut ita dicam, labiis attigisse.

VII.

53. Quemadmodum distinctio *a parte rei* in *realem*, & *formalem*, ita distinctio *rationis*, sive *per intellectum*, in distinctionem *rationis ratiocinatæ*, & in distinctionem *rationis ratiocinantis* dividitur. Distinctio *rationis ratiocinatæ*, sive, ut ajunt Scholæ, *cum fundamento in re*, tunc habetur, cum mens in una eademque re plura concipit, tamquam distincta, propterea quod res ipsa ejus sit naturæ, ut pluribus æquivaleat, sive ut velut plura in se continere ipsa videatur. Talis est distinctio, quæ inter *illuminativam*, & *calefactivam* Solis vim a nobis concipitur. Cum enim Sol corpora illuminet, iisque simul calorem tribuat, occasionem hinc sumit mens diversas in Sole virtutes concipiendi, licet una tantum reipsa sit virtus, qua hi omnes effectus producuntur.

VIII.

54. Distinctio demum *rationis ratiocinantis* ea est, quæ tota ab ipsa mente in rebus fingitur, quin ullum penitus fundamentum in illis habeatur; ut cum rationes *subjecti*, & *prædicati*, veluti diversa attributa, in una eademque re distinguimus, videlicet cum Petrus in hac propositione: *Petrus est Petrus*, ita a nobis consideratur, quasi per aliud rationem haberet *subjecti*; per aliud vero munus obiret *prædicati*.

De Identitate.

I.

55. *Distinctioni* opponitur *identitas*. Itaque sicuti dicuntur *distincta*, quorum unum non est aliud (§. 43.); ita ex adverso ea, quorum unum aliud est, simul *identificata* vocantur.

Co-

Corollarium.

56. *Identitas maxime differt ab unione*. Etenim cum *identitate* componi nequit *diſtinctio*, cum qua tamen *unionem* optime ſtare jam vidimus.

I I.

57. *Identitas* duplex potiſſimum eſt, *realis*, & *formalis*. Dicuntur *idem realiter*, quæ *formaliter* diſtinguuntur. *Idem* vero *formaliter* nuncupantur, quæ adeo ſunt idem, ut unum in *formali* alterius conceptu exiſtat. Hoc modo *idem* ſunt homini *animalitas*, & *rationalitas*; neque enim concipi poteſt homo, quin ut *animal rationale* concipiatur. At vero *animalitas* nonniſi *realiter* idem cum *rationalitate* eſt, ſi detur, *animalitatem*, & *rationalitatem* inter ſe *formaliter* diſtingui.

I I I.

58. Silentio prætermittenda non eſt alia *identitatis* ſpecies, quæ *identitas rationis*, ſine *conceptus*, ſatis apte dicitur. Hæc non eſt aliud, quam duorum convenientia in conceptu. Sic eadem dicitur natura, quæ eſt in Petro, & Paulo, ceteriſque hominibus, quatenus nempe eodem conceptu ſingulorum eſſentia exprimitur. Duplex porro eſt hæc *identitas*. Una enim *generica*, *ſpecifica* altera vocatur. Dicuntur *idem ſpecie*, quæ in tota eſſentia; *idem* vero *genere*, quæ in generica tantum ratione conveniunt. Ceterum, ut perſpicuum erit conſideranti, hoc *identitatis* genus non *diſtinctioni*, ſed *diverſitati* opponitur; unde *ſimilitudo* potius, quam *identitas*, digna illa eſt, quæ dicatur.

DIS-

DISSERTATIO II.

De possibili, & impossibili; necessario, & contingenti; mutabili, & immutabili; rerumque essentia, & existentia.

QUemadmodum omne *ens* est *verum*, *bonum*, & *unum*, ita nullum est, quod non sit aliquo modo *possibile*, vel *impossibile*, *mutabile*, vel *immutabile*, *necessarium*, vel *contingens*. De hisce ergo agemus in præsens; ubi etiam, quæ de rerum *essentia*, & *existentia* tradi in Scholis solent, paucis complectemur.

SECTIO PRIMA.

De possibili, & impossibili.

59. POssibile, atque adeo etiam *impossibile*, duplex primo est, *logicum*, & *metaphysicum*.

Definitio I.

60. *Logice possibile* vocatur id, *quod nullam penitus in seipso contradictionem involvit*. Sic, quoniam nulla in homine contradictio est, nullaque terminorum pugna, homo dicitur *logice possibilis*.

Corollarium I.

61. *Logica* ergo *possibilitas* nihil est aliud, nisi *mera negatio intrinseca contradictionis*.

Corollarium II.

62. *Omne logice possibile est ens reale*. Est enim *ens reale*, quod pugnantes terminos haudquaquam complectitur (§.1.).

Corollarium III.

63. *Perinde est ad logicam possibilitatem, sive sit, sive non sit in rerum natura, quod logice possibile nuncupatur*. Sive enim in rerum na-

tura habeatur homo, five non habeatur, ftat ex æquo, nullam prorfus in illius notione contradictionem involvi.

COROLLARIUM IV.

64. *Logica poffibilitas eft Deo, rebufque creatis ex æquo communis.* Hifce quippe omnibus convenit ex æquo intrinfecæ contradictionis negatio. Profecto non minus homo, quam Deus, eft aliquod, in quo nulla prorfus habetur contradictio.

DEFINITIO II.

65. *Metaphyfice poffibile* dicitur id omne, *quod reipfa quidem in rerum natura non eft, fed poteft effe, quatenus ex eo pofito nulla penitus fequitur contradictio.* Hoc modo poffibilis eft alter mundus. Non eft enim reipfa; verum fi effet, nulla vel minima hinc fequeretur terminorum pugna.

COROLLARIUM.

66. *Omne poffibile metaphyfice eft etiam logice poffibile; fed non viciffim.* Quod enim *metaphyfice poffibile* eft, nullam contradictionem continet; ac proinde eft *logice poffibile* (§.60.). Verum, cum ad *metaphyficam poffibilitatem* illud infuper requiratur, ut, quod dicitur fic poffibile, non fit reipfa in rerum natura, non omne *logice poffibile* eft *metaphyfice poffibile* (§.65.).

SCHOLION.

67. Quoniam triplici modo poteft contingere, ut in rerum natura ponatur, quod modo in ea non eft, fed poteft effe, utpote nullam in feipfo contradictionem continens, fcilicet *fupernaturaliter*, *naturaliter*, & *moraliter*, ideo *metaphyfice poffibile* dividitur fatis apte in *poffibile fupernaturaliter*, *poffibile naturaliter*, & in *poffibile moraliter*.

DEFINITIO III.

68. Illud dicitur *fupernaturaliter poffibile*, *quod fola Dei virtute effe poteft, adeo nempe ut natura vires excedat prorfus, & plane fuperet.* Sic refufcitatio mortui *fupernaturaliter poffibilis* eft, utpote quæ nonnifi Divina virtute poteft contingere.

DE-

DEFINITIO IV.

69. *Naturaliter*, five *physice possibile* vocatur id, *quod potest fieri, atque adeo esse reipsa, viribus naturæ*. Hoc modo *possibilis* est combustio stuppæ. Sufficiens quippe in igne adest vis, qua perficiatur.

DEFINITIO V.

70. Illud vero *moraliter possibile* nuncupatur, *quod sine magna difficultate potest fieri*. Sic *moraliter* possibile est, ut in aliquibus circumstantiis bene agat, qui in iisdem solet recte operari.

DEFINITIO VI.

71. *Logice impossibile* dici illud solet, *quod in seipso contradictionem involvit*. Sic est *logice impossibile*, ut aliquod sit simul album, & non album.

DEFINITIO VII.

72. Dicitur *metaphysice impossibile*, *quod poni in rerum natura non potest, quin sequatur contradictio*. Hoc modo *impossibilis* est homo ratione carens. Simul quippe haberetur, & non haberetur homo.

COROLLARIUM I.

73. *Impossibile logicum est etiam metaphysice impossibile, & vicissim.*

COROLLARIUM II.

74. Quoniam nulla virtute potest fieri, ut habeatur reipsa, quod contradictionem involvit, *etiam supernaturaliter impossibile est, quod est logice impossibile.*

DEFINITIO VIII.

75. *Physice*, five *naturaliter impossibile* vocatur id omne, *quod licet nullam in seipso contradictionem contineat, atque adeo reipsa esse possit, vires tamen naturæ omnino superat*. Talis est resuscitatio mortui.

DEFINITIO IX.

76. Demum *moraliter impossibile* dicitur, *quod nonnisi maxima cum difficultate fieri a nobis potest*; atque adeo quod *nunquam, aut ferme nunquam efficitur*. Hoc modo est *impossibile*, ut, qui festinus est pedibus, nunquam offendat.

COROLLARIUM.

77. Quoniam *impossibile* tam *physicum*, quam *morale* est *metaphysice possibile*, manifestum efficitur, *impossibile physicum*, atque *morale* non esse *impossibile*, nisi *respective*, & *secundum* quid; contra vero *absolute*, & *simpliciter*, quod est *metaphysice impossibile*.

PROPOSITIO I.

Logica rerum possibilitas rebus ipsis intrinseca est.

78. Videlicet res quælibet *logice possibilis* est talis ex *ratione* sua *formali*, sive independenter a quovis extrinseco, cui comparetur, adeo nempe ut *logica possibilitas* stare optime queat, etsi, quemadmodum recte ait Doctor Subtilis, *nulla potentia eam respiceret* (a).

Probatur. Etenim, omni extrinseco non solum circumscripto, verum etiam repugnante, homo est homo: & ideo aliquid, in quo nulla prorsus involvitur contradictio. Ergo homo est ex sua *ratione formali* logice possibilis.

Confirmatur. Nam *logice impossibile* est tale ex ipsa *formali ratione* terminorum. Ergo etiam *logice possibile* est haud dissimili modo *logice possibile*.

Adde postremo, *logicam possibilitatem* Deo, & creaturis ex æquo convenire. Neque enim aliquod apparet discrimen, si hujuscemodi *possibilitas* pro mera *negatione intrinseca contradictionis* accipiatur. Nihil est autem a Deo distinctum, ex quo *logica* ipsius Dei *possibilitas* derivari possit. Ergo nihil quoque est, ex quo hujuscemodi *possibilitas* in creaturis possit desumi.

Objecta diluuntur.

Opponitur 1. Deo non existente, creaturæ non essent possibiles. Frgo tota earum possibilitas a Deo est. *Prob. ants*: Deo non existente,

(a) I. *Senten.* Distin. 36. q unica §. *ad primum principale*.

te, creaturæ in rerum natura esse nequaquam possent. Ergo &c.

℞. *disting. añs*: Deo non existente, creaturæ non essent possibiles, hoc est, nunquam essent, *concedo añs*. Non essent possibiles, hoc est, ex suis terminis repugnarent, *nego añs*; & *distinguo añs probationis*: Deo non existente, creaturæ non possent esse in rerum natura, defectu sui, *nego añs*; defectu causæ producentis, *concedo añs*; & *nego conseq.* Verum itaque est, fore, ut ea in hypothesi creaturæ nunquam sint in rerum natura. At vero res est plane falsa, id ex ipsa creaturarum natura provenire. Nequeunt enim tunc esse, non quia contradictionem sua in essentia involvant; sed quia, cum illæ sint hujusmodi, ut causa indigeant, a qua producantur, sicuti tunc nulla haberetur causa, ita nunquam reapse existerent; unde ea illis tunc deesset possibilitas, quæ ab externa causa desumitur; non autem illa, quæ ex intima earum natura derivatur.

Opponitur 2. Omnis perfectio creaturæ a Deo est. Sed *logica possibilitas* est perfectio. Ergo hæc itidem a Deo est; ac proinde creaturæ quoad *logicam possibilitatem* a Deo dependent.

℞. *disting. ma*: omnis perfectio creaturæ *positiva* a Deo est, *concedo ma*:; omnis perfectio *negativa*, *nego ma*: & *disting. min. Logica possibilitas* est perfectio *positiva*, *nego min*; est perfectio *negativa*, *concedo min*; & *nego conseq.* Dependent igitur creaturæ a Deo quoad totum suum esse reale & positivum; cum ex se sint purum nihil. Non dependent tamen a Deo quoad *logicam possibilitatem*; quia hæc est pura negatio, statque adhuc, eas ex se esse nihil.

Opponitur 3. Si creaturæ essent ex se *logice possibiles*, Deus quoad suam omnipotentiam dependeret a creaturis. Sequeretur enim, Deum ideo posse creaturas producere; quia illæ sunt *logice possibiles*. Hoc autem absurdum est. Ergo &c.

℞. *neg. consequutionem majoris*. Licet enim *logica possibilitas* sit rebus intrinseca, non propterea sequitur, creaturas ideo *a priori* posse a Deo produci, quia sunt *logice possibiles*. Dicendum quippe adhuc est, ideo Deum posse creaturas producere, quia, cum sit *ens* infinite perfectum, efficere id omne potest, quod nullam in seipso contradictionem involvit. *Considerandum*, inquit Angelicus Doctor, *quod cum unumquodque agens agat sibi simile, unicuique potentiæ activæ correspondet possibile, ut objectum proprium, secundum rationem illius actus, in quo fundatur potentia activa; sicut potentia calefactiva refertur, ut ad proprium objectum, ad esse calefactibile. Esse autem Divinum, super quod ratio divinæ potentiæ fundatur, est esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed præhabens in se totius esse perfectionem. Un-*

de quidquid poteſt habere rationem entis, continetur ſub poſſibilibus abſolutis, reſpectu quorum Deus dicitur omnipotens. Nihil autem opponitur rationi entis, niſi non ens. Hoc igitur repugnat rationi poſſibilis abſoluti, quod ſubditur divinæ omnipotentiæ, quod implicat in ſe eſſe, & non eſſe. Hoc autem omnipotentiæ non ſubditur, non propter defectum divinæ potentiæ, ſed quia non poteſt habere rationem factibilis, neque poſſibilis. Quæcumque igitur contradictionem non implicant, ſub illis poſſibilibus continentur, reſpectu quorum dicitur Deus omnipotens. Ea vero, quæ contradictionem implicant, ſub divina omnipotentia non continentur; quia non poſſunt habere poſſibilium rationem. Unde convenientius dicitur, quod ea non poſſunt fieri, quam quod Deus non poſſit facere. Neque hoc eſt contra verbum Angeli dicentis: non erit impoſſibile apud Deum omne verbum; *id enim, quod contradictionem implicat, verbum eſſe non poteſt; quia nullus intellectus poteſt illud concipere* (a). Itaque non alia inter Dei potentiam, rerumque *logicam poſſibilitatem* dependentia eſt, niſi quæ inter correlata habetur, ſeu quæ neceſſario datur inter *potentiam*, & *objectum*. Hæc autem potius connexio eſt, quam dependentia. Omnis enim potentia aliquod objectum reſpicit, & viciſſim omne objectum involvit ordinem ad potentiam. Et ſane ſi *logica* rerum *poſſibilitas* ex Divina potentia, tamquam ex cauſa, oriretur, omnipotentia Dei nonniſi per circulum concipi a nobis poſſet, & explicari. Dicere namque, *Deum poſſe omnia poſſibilia producere*, perinde tunc eſſet, ac dicere, *Deum producere poſſe, quidquid poteſt producere*. Id autem quam abſurdum ſit, nemo, ut puto, eſt, quem lateat. Ergo *poſſibilitas* rerum *logica* derivari ex divina potentia tamquam a cauſa haud debet; ſed dicendum, abſolutam eam penitus eſſe, ſive indipendentem ab extrinſeca cauſa, ipſiſque rebus prorſus intrinſecam.

PROPOSITIO II.

Metaphyſica poſſibilitas in duplici negatione poſita eſt, intrinſeca nimirum contradictionis, & realis actualitatis.

79. *Probatur*. Nam *metaphyſice poſſibile* dicitur illud, quod reipſa non eſt in rerum natura, ſed poteſt eſſe, quatenus ex eo poſito nulla ſequitur contradictio, ſive, quod perinde eſt, quatenus nullam in ſua *formali ratione* contradictionem complectitur (§.65.) Ergo duplex negatio *metaphyſicam* rerum *poſſibilitatem* conſtituit, altera ſcilicet *intrinſeca contradictionis*, altera *realis actualitatis*.

SCHO-

(a) P. I. q. 25. art. 3.

SCHOLION.

80. Observandum tamen est, utramque hanc negationem non eodem modo ad *metaphysicam possibilitatem* pertinere. Negatio enim *realis actualitatis* ad eam pertinet *primario*, *& directe*; contra vero *indirecte* tantum, & *præsuppositive* negatio *internæ contradictionis.*

COROLLARIUM.

81. *Metaphysice possibile, qua sic possibile, nihil est reale positivum.* Nihil quippe *reale positivum* per duplicem negationem potest constitui.

PROPOSITIO III.

Supernaturalis, naturalis, & moralis possibilitas nihil addunt rebus supra metaphysicam earum possibilitatem, nisi meram denominationem extrinsecam desumtam a virtute causæ producentis.

82. *Probatur.* Enimvero rem esse *supernaturaliter*, *naturaliter*, vel *moraliter possibilem*, perinde omnino est, atque extare extrinsecam causam, quæ valeat rem ipsam hoc, vel illo modo producere. Ergo per meram denominationem extrinsecam desumtam a virtute causæ producentis res *possibiles metaphysice* dicuntur *supernaturaliter*, *naturaliter*, vel *moraliter possibiles*.

SECTIO SECUNDA.

De necessario, & contingenti, mutabili, & immutabili.

DEFINITIO I.

83. NEcessarium in genere dicitur id omne, *cujus oppositum est impossibile*. Necessarium idcirco, quemadmodum impossibile (§. 67.), triplex est, *metaphysicum*, *physicum*, & *morale*.

DEFINITIO II.

84. *Metaphysice necessarium* vocatur illud, *cujus oppositum repugnat.* Sic *metaphysice necessarium* est, Deum esse omnino independens; quippe Deum ab aliquo dependere, contradictionem involvit.

DEFINITIO III.

85. *Physice necessarium* est, *cujus oppositum adversatur naturæ legibus; nulla tamen ex eo posito sequitur contradictio*. Hoc modo necessarium est Lunæ deliquium, si telluris globus Solem inter atque ipsam Lunam *directe* habeatur. Oppositum quippe non patitur naturæ lex, etsi ipsum fieri non repugnet.

DEFINITIO IV

86. *Moraliter necessarium* censetur id omne, *cujus oppositum neque contradictionem involvit, neque naturæ legibus contrarium est, verum aut nunquam, aut ferme nunquam contingit*. Hoc modo necessarium esse dicimus, ut, qui amat periculum, in illud cadat, & pereat.

DEFINITIO V.

87. *Absolute necessarium* dicitur, *quidquid tale est, ut, spectata ipsius essentia, illius contrarium esse non possit*. Sic est *absolute*, sive *simpliciter necessarium*, primam rerum causam nulli subiici. Id enim oritur ex ipsa natura primæ causæ.

DEFINITIO VI.

88. Contra vero illud dicitur *necessarium* tantum *ex suppositione cujus oppositum esse nequit, posita conditione*. Hoc modo necessaria est stuppæ combustio. Ponenda est enim sufficiens appropinquatio ignis ad stuppam, ut recte dici possit, necessarium esse, ut stuppa ab igne comburatur.

DEFINITIO VII.

89. *Contingens* dicitur, *quidquid est hujusmodi, ut illius oppositum esse possit*. Sic non est, nisi contingens, hominem esse doctum, cum fieri queat, ut nulla prorsus doctrina in homine habeatur. Quoniam porro *necessarium*, & *contingens* sibi mutuo adversantur, eademque est oppositorum ratio, uti *necessarium*, ita *contingens* triplex est, *metaphysicum*, *physicum*, atque *morale*.

Definitio VIII.

90. Dicitur *metaphysice contingens, quod tale est, ut illius oppositum non repugnet*. Sic est *metaphysice contingens*, ut stuppa ab igne sibi proximo comburatur. Quæ enim sequitur terminorum pugna, si nulla tunc fiat combustio?

Corollarium I.

91. *Necessarium tam physicum, quam morale est metaphysice contingens*. Non repugnat quippe, ut contrarium illius accidat, quod tam *physice* (§.85.), quam *moraliter* necessarium est (§.86.). Hinc

Corollarium II.

92. *Metaphysice necessarium* dicitur *necessarium simpliciter*. Contra vero *necessarium* tum *physicum*, tum *morale* nonnisi *secundum quid necessarium* nuncupatur.

Definitio IX.

93. *Physice contingens* vocatur illud, *cujus oppositum, salvis naturæ legibus, esse potest*. Hoc modo est contingens matutina cœli serenitas, posita illius rubedine in sero. Etenim potest oppositum contingere, sicuti reipsa interdum accidit, quin propterea aliqua vel minima labes legibus naturæ inferatur.

Corollarium.

94. *Moraliter necessarium est physice contingens*. Salvis enim legibus naturæ, potest fieri oppositum illius, quod *moraliter necessarium* est (§.86.).

Definitio X.

95. Demum *moraliter contingens* dicitur illud, *cujus oppositum fieri ex æquo potest, & solet*.

DEFINITIO XI.

96. *Immutabile* vocatur, *quidquid aliter, ac eſt, eſſe nequit*. Contra vero dicitur *mutabile, quidquid aliter, ac eſt, poteſt eſſe*. Dividitur autem tam *immutabile*, quam *mutabile*, perinde atque *neceſſarium*, & *contingens*, in *metaphyſicum*, *phyſicum*, & *morale*.

DEFINITIO XII.

97. *Metaphyſice immutabile* vocatur id, *quod aliter, ac eſt, non poteſt eſſe, quin aliqua hinc ſequatur contradictio*. Contra vero *mutabile metaphyſice* id omne dicitur, *quod aliter, ac reipſa eſt, eſſe poteſt, quin contradictio aliqua inde ſequatur*. Sic Deus *metaphyſice immutabilis* eſt. At homo eſt *metaphyſice mutabilis*. Aperte quippe repugnat, ut aliquid vel minimum novi Deo accidat. Contra vero nulla prorſus ex eo ſequitur terminorum pugna, quod homo aliqua re privetur, quam continet, vel eam, quam non habet, obtineat.

DEFINITIO XIII.

98. *Phyſice immutabile* cenſetur illud, *quod, ſalvis naturæ legibus, aliter, ac eſt, eſſe non poteſt*. At contra dicitur *phyſice mutabile*, *quod poteſt eſſe aliter, ac eſt, quin propterea naturæ leges vel minimum violentur*. Sic corpus quodcunque immutabiliter *immutabilitate phyſica* tactui reſiſtit. Homo vero mutabiliter *phyſica mutabilitate* doctus eſt. Nequit enim tactui non reſiſtere corpus, ſalvis legibus naturæ. Contra vero poteſt homo doctrina privari, quin idcirco labes aliqua legibus naturæ inferatur.

DEFINITIO XIV.

99. *Immutabile moraliter* dicitur illud, *quod non ſolet eſſe aliter, ac eſt*. At e contrario *mutabile moraliter* cenſetur id, *quod aliter, ac ipſum eſt, eſſe ſolet*. Sic vir ſapiens *moraliter immutabilis* eſt. Ut enim habet Tullius: *ſapientis eſt proprium, nihil, quod pœnitere poſſit, facere, nihil invitum: ſplendide, conſtanter, graviter, honeſte omnia: nihil ita expectare, quaſi certo futurum: nihil, cum acciderit, admirari, ut inopinatum ac novum accidiſſe videatur: omnia ad ſuum arbitrium referre: ſuis ſtare judiciis* (a).

Co-

(a) Lib. V. *qq. Tuſcul.* cap. 28.

COROLLARIUM I.

100. *Immutabile physicum, atque morale est metaphysice mutabile*. Non enim repugnat, ut sit aliter, ac est reipsa, quod, tantum spectatis naturæ legibus, aliter esse nequit, ac sit; quodque esse, aliter ac est, minime solet. Recte propterea

COROLLARIUM II.

101. Dicitur *simpliciter immutabile*, quod *metaphysice immutabile* est; *immutabile* vero tantum *secundum quid*, quod nonnisi *physice*, vel *moraliter* est *immutabile*.

PROPOSITIO I.

Metaphysice immutabile est metaphysice necessarium; & vicissim metaphysice necessarium est metaphysice immutabile.

102. *Probatur*. Cum enim metaphysice immutabile sit hujusmodi, ut plane repugnet, ipsum esse aliter, ac est (§. 97.), tale est omne metaphysice immutabile, ut illius oppositum contradictionem involvat. Ergo metaphysice immutabile est metaphysice necessarium (§. 84.). Vicissim, quoniam oppositum ejus, quod metaphysice necessarium est, omnino repugnat (§. 84.), hujuscemodi est omne metaphysice necessarium, ut sine contradictione aliter, ac est, ipsum esse non possit. Ergo omne metaphysice necessarium est metaphysice immutabile. (§. 97.)

PROPOSITIO II.

Metaphysice mutabile est metaphysice contingens; & vicissim omne metaphysice contingens est metaphysice mutabile.

103. *Probatur*. Non repugnat, ut metaphysice mutabile sit aliter, ac est (§. 97.); ac proinde, ut illius habeatur oppositum. Ergo est metaphysice contingens (§. 90.). Non repugnat quoque, ut illius oppositum habeatur, quod metaphysice contingens est (§. 90.). Ergo aliter, ac est, ipsum esse potest, quin ulla inde sequatur contradictio. Est igitur metaphysice mutabile (§. 97.).

Co-

COROLLARIUM.

104. Quoniam immutabile tam phyſicum, quam morale eſt metaphyſice mutabile (§. 100.), *omne immutabile phyſicum, atque morale eſt metaphyſice contingens*.

PROPOSITIO III.

Immutabile phyſice eſt phyſice neceſſarium; & viciſſim phyſice neceſſarium eſt phyſice immutabile.

105. *Probatur*. Quod enim phyſice immutabile eſt, aliter, ac ipſum eſt, ſalvis naturæ legibus, eſſe non poteſt (§. 98.). Haberi ergo nequit illius oppoſitum, quin leges naturæ prorſus violentur. Igitur eſt phyſice neceſſarium (§. 85.). Viciſſim quoque, cum, ſalvis legibus naturæ, haberi nequeat oppoſitum ejus, quod phyſice neceſſarium eſt (§. 85.), id, ſalvis iiſdem legibus, aliter, ac eſt, eſſe nequaquam poteſt. Ergo eſt phyſice immutabile (§. 98.).

PROPOSITIO IV.

Mutabile phyſice eſt phyſice contingens; & viciſſim phyſice contingens eſt phyſice mutabile.

106. *Probatur*. Enimvero, cum phyſice mutabile, ſalvis naturæ legibus, poſſit eſſe aliter, ac eſt (§. 98.), haberi poteſt illius oppoſitum, quin legibus iiſdem labes vel minima inferatur. Ergo phyſice mutabile eſt phyſice contingens (§. 93.). Similiter, quoniam oppoſitum illius, quod phyſice contingens eſt, naturæ legibus non ſit adverſum (§. 93.), ſalvis iiſdem legibus, aliter, ac eſt, ipſum eſſe poteſt. Igitur eſt phyſice mutabile (§. 98.).

PROPOSITIO V.

Moraliter immutabile eſt moraliter neceſſarium; & viciſſim neceſſarium moraliter eſt moraliter immutabile.

107. *Probatur*. Quod moraliter immutabile eſt, aliter, ac eſt, eſſe non ſolet (§. 99.). Eſt igitur tale, ut illius oppoſitum aut nunquam, aut ferme nunquam contingat. Ergo eſt moraliter neceſſarium (§. 86.). Viciſſim, cum oppoſitum ejus, quod moraliter neceſſarium eſt, nunquam, aut ferme nunquam accidat (§. 86.) moraliter

ter necessarium est hujuscemodi, ut aliter, ac est, esse nequaquam soleat. Igitur est moraliter immutabile (§.99.).

PROPOSITIO VI.

Mutabile moraliter est moraliter contingens; & vicissim moraliter contingens est moraliter mutabile.

108. *Probatur*. Cum moraliter mutabile soleat esse aliter, ac est (§.99.), illius oppositum potest ex æquo esse, & non esse. Ergo est moraliter contingens (§.95.). Vicissim, quoniam ex æquo potest esse oppositum ejus, quod moraliter contingens est (§.95.), tale est moraliter contingens, ut aliter, ac ipsum est, ex æquo esse queat. Ergo est moraliter mutabile (§.99.).

COROLLARIUM.

109. Patet igitur, *immutabilitatem*, & *necessitatem* in eadem linea, sicuti etiam *mutabilitatem*, & *contingentiam*, rectissime ad convertentiam dici, sive unam ex altera optime colligi posse.

SECTIO TERTIA.

De rerum essentia, & existentia.

DEFINITIO I.

110. ESsentia nomine intelligitur id, *per quod res qualibet est id, quod est*. Sic *essentia* hominis est id, per quod homo est homo; *essentia* lapidis est id, per quod lapis est lapis, atque ita de ceteris.

COROLLARIUM I.

111. Quoniam nihil est in re prius eo, per quod res ipsa est id, quod est, *nihil est in re prius essentia*. Hinc

COROLLARIUM II.

112. Rei essentia definiri optime potest: *eorum omnium primum, qua in ipsa re sunt conceptibilia.*

SCHO-

SCHOLION.

113. Rei *eſſentia*, & *natura* idem reipſa ſignificant, non eodem tamen modo conſideratum. Illud enim, per quod res eſt id, quod eſt, dicitur *eſsentia*, ſi in ipſa re *abſolute* ſpectetur; dicitur vero *natura*, ſi illud ipſum ſumatur, quatenus earum omnium operationum principium eſt atque origo, quæ ipſius rei ſunt propriæ. Sic homo per *eſsentiam* eſt *animal rationale*; per *naturam* vero *conſequentia cernit, principia & cauſas rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adjungit atque annectit futuras, facile totius vitæ curſum videt, ad eumque regendum præparat res neceſſarias* (a).

DEFINITIO II.

114. *Attributa* rei *eſſentialia* dicuntur illa, *quæ ita ipſi rei conveniunt, ut illius eſsentiam intrinſecus conſtituant*. Ea vero *non eſſentialia* nuncupantur, *quæ ad rem ipſam hoc modo non attinent*. Sic *animalitas* eſt attributum hominis eſſentiale; minime vero ſciendi cupiditas. Illa enim, hæc vero nequaquam, ex numero eorum attributorum eſt, per quæ homo eſt homo.

COROLLARIUM I.

115. Cum nihil ſit in re prius *eſsentia* (§. 111.), *nulla quoque in ea attributum eſt iis prius, quæ eſsentialia dicuntur*. Hinc

COROLLARIUM II.

116. *Oſtendi a priori nequaquam poteſt, cur rebus inſint attributa eſsentialia*. Sic nulla eſt ratio *a priori*, cur homo ſit *animal rationale*; quemadmodum nulla *a priori* ratio eſt, cur homo ſit homo. Quærenti idcirco, quare *a priori* homo ſit *animal*, reſpondetur optime, ſi dicatur: *quia homo eſt homo*, & univerſaliter: *quia hoc eſt hoc*. Quamobrem

COROLLARIUM III.

117. *Nullum eorum attributorum, quæ* a priori *de re poſsunt oſtendi, eſt rei eſsentiale*. Hoc enim ipſo non eſt aliquod primum in re, quemad-

(a) Tullius lib. I. *de Officiis* cap. 4.

madmodum requiritur, ut ad illius *essentiam* jure pertineat, atque adeo ut *essentiale* recte dicatur. Patet itaque, *essentialia* rei *attributa* quomodo ab iis, quæ *essentialia* non sunt, discerni queant.

DEFINITIO III.

118. *Rem existere* est *eam extra nihil reperiri*. *Existere* nimirum dicuntur, quæcumque in rerum natura posita sunt. Contra vero *non existere*, quæ nihil sunt reipsa.

SCHOLION.

119. Quod existit, dicitur in Scholis *ens actu*, sive *actuale*. Quod vero non existit reipsa, sed tamen potest existere, quatenus ab aliquo potest produci, *ens in potentia*, seu *potentiale*, nuncupatur.

COROLLARIUM I.

120. *Ens potentiale ab ente metaphysice possibili nullatenus differt.* (§.65.)

COROLLARIUM II.

121. Cum idem sit *ens*, quod transit a *potentia* ad *actum*, seu quod ex *potentiali* fit *existens*, *potentialitas*, & *actualitas*, sive *metaphysica possibilitas*, & *existentia*, spectari debent, veluti *status* entis *oppositi*.

DEFINITIO IV.

122. *Existere per essentiam* dicitur *ens*, *quod ita existit*, *ut ipsa sua essentia sit ratio*, *cur existat*, seu *quod ideo existit*, *quia est id*, *quod est*. Sic Deus dicitur existere per *suam essentiam*; quia ratio, cur existat, in ipsius essentia comprehenditur.

DEFINITIO V.

123. Contra vero *non existit per suam essentiam*, *cujus ratio existendi in ipsius essentia minime comprehenditur*. Sic *per suam essentiam* non existit homo. Quandoquidem non ideo existit, quia est homo.

Definitio VI.

124. *Existens a se* vocatur illud, cujus ratio existendi in ipso est. Illud vero *existens ab alio* nuncupatur, *cujus ratio existendi continetur in alio ab illo prorsus distincto*. Hoc posteriori modo existit ens quodlibet creatum; quia in Deo est ratio, cur existat. Modo vero priori existit Deus; quia ratio, cur Deus existat, in ipso est.

Corollarium I.

125. *Existit a se, quidquid existit per suam essentiam*. Contra vero *existit ab alio, quidquid per suam essentiam non existit*. Illud enim rationem in seipso continet, cur existat (§. 122.). Hoc vero nequaquam (§.123.).

Scholion.

126. Quod *a se existit*, dicitur absolute *ens a se*. Quod vero ab alio habet, ut existat, *ens ab alio* nuncupatur.

Corollarium II.

127. Omne *ens* vel est *a se*, vel est *ab alio*. Inter hujuscemodi quippe existendi modos non datur medium (§. 108. Logicæ).

Axioma I.

Metaphysice impossibile est, idem simul esse, & non esse.

128. Simul quippe esse, & non esse apertam contradictionem involvit.

Scholion.

129. An hoc principium, quod *contradictionis* satis apte vocatur, sit omnium primum, videant, quibus plus otii est. Id unum monuisse mihi in præsens sufficit, illud Cartesii: *cogito, ergo sum*, ex hoc aperte colligi, recteque deduci. Esset namque, & simul non esset, si non esset, qui cogitat; cum, quod nihil est reipsa, neque agere quidquam possit, nec quidquam pati. Hinc S. Augustinus Evodium alloquens, *prius*, inquit, *abs te quæro, ut de manifestissimis capiamus exordium, utrum tu ipse sis? an tu fortasse metuis, ne in hac interrogatione fallaris? cum utique, si non esses, falli omnino non posses* (a).

Axio-

(a) Lib. II. *de libero arbitrio* num. 7. *alias* cap. 3.

AXIOMA II.

Nihil est reipsa sine ratione sufficienti, cur potius sit, quam non sit.

130. Repugnat quippe, ut, quod ex æquo potest esse, & non esse, sit reipsa, adeoque determinetur ad esse potius, quam ad non esse, quin habeatur aliquid, per quod determinetur.

COROLLARIUM.

131. *Nihil ergo a nobis ponendum est esse, nisi habeatur ratio, cur ponatur potius, quam non ponatur*, videlicet *nisi id nobis adsit, ex quo, cur illud potius sit, quam non sit, sufficienter intelligatur*. Etenim si secus, omnino gratis, atque adeo perperam, illud a nobis ponitur.

SCHOLION.

132. Hoc principium, quod *rationis sufficientis* appellat Volfius (a). novum non est in Scholis, ut nonnemini fortasse videbitur. Philosophis quippe omnibus solemne semper fuit, nihil *gratis*, sive *fine causa*, hoc est, *fine ratione sufficienti*, a nobis esse ponendum. Fateor equidem, latius patere notionem *rationis*, quam *causæ*. Verum, cum nihil jure prohibeat, quominus *causæ* nomine intelligatur id omne, ex quo aliud aliquo modo colligitur, perinde puto, sive nihil *fine ratione sufficienti*, sive nihil *fine causa* admittendum a nobis esse, dicatur.

AXIOMA III.

Posita ratione sufficienti, illud ponendum necessario est, quod propter eam dicitur potius esse, quam non esse.

133. Etenim, posita ratione determinante, ponendum est id, quod per eam determinatur; datoque antecedente, necessario admitti debet, quod ex illo colligitur.

PROPOSITIO I.

Rerum essentia metaphysice necessaria est.

134. *Probatur*. Repugnat, ut aliquid non sit id, quod est; simul

(a) P. I. Ontol. §. 71.

enim effet, & non effet, ut patet. Unumquodque autem per fuam effentiam eft id, quod eft (§. 110.). Ergo neceffaria adeo eft rei cujufque effentia, ut illius oppofitum repugnet. Illud autem eft *metaphyfice neceffarium*, cujus oppofitum pugnantia continet (§. 84.). Ergo rei cujufvis effentia *metaphyfice neceffaria* eft.

COROLLARIUM I.

135. *Rerum effentia eft metaphyfice immutabilis*. Repugnat quippe, ut aliter fe habeat, ac eft reipfa, quod *metaphyfice* neceffarium eft (§. 84.). Hinc

COROLLARIUM II.

136. Perfpicuum efficitur, *cur propofitiones, in quibus effentialis definitio de re enunciatur*, æternæ veritatis *dicantur*. Fallere quippe nunquam poffunt propofitiones, quarum objectum eft *metaphyfice* immutabile.

PROPOSITIO II.

Neceffario infunt rebus, quæ ita illis infunt, ut ratio, cur infint, fit ipfa earum effentia.

137. *Probatur*. Cum enim pofita ratione fufficienti, id neceffario admitti debeat, quod propter eam potius eft, quam non eft (§. 133.), poni non poteft effentia, quin ea itidem omnia ponantur, quorum ratio fufficiens earum effentia eft. Ergo ea neceffario infunt rebus, quæ ita illis infunt, ut ratio, cur infint, fit ipfa earum effentia.

PROPOSITIO III.

Logica rei poffibilitas non eft ratio fufficiens, cur res ipfa exiftat.

138. *Probatur*. Enimvero, fi *logica* rei *poffibilitas* fatis effet, ut res ipfa exifteret, id omne exifteret reipfa, quod eft logice poffibile (n. 133.). Hoc autem aperte falfum eft: cum plura fint *logice poffibilia*, quæ reipfa non exiftunt, ea fcilicet omnia, quæ *metaphyfice poffibilia* dicuntur (§. 65.). Ergo logica rei poffibilitas non eft ratio fufficiens, cur res ipfa exiftat.

Co-

COROLLARIUM.

139. *Satis nequaquam est, ostendere, nullam in re contradictionem involvi, nullamque ex ea posita sequi terminorum pugnam, ut illam reipsa existere, rectissime colligatur.*

PROPOSITIO IV.

Unumquodque necessario est, quando est.

140. *Probatur*. Esset quippe, simulque non esset, si, quod est, eodem simul instanti posset non esse. Hoc autem aperte repugnat (§. 128.). Ergo unumquodque necessario est, quando est.

PROPOSITIO V.

Fieri nullatenus potest; ut non fuerit, quod olim fuit.

141. *Probatur*. Fuisset quippe simul, & non fuisset, si posset fieri, ut minime fuerit, quod olim fuit. *Preterita non fuisse*, inquit Angelicus Doctor, *contradictionem implicat. Sicuti enim contradictionem implicat, dicere, quod Socrates sedet, & non sedet, ita, quod sederit, & non sederit. Dicere autem, quod sederit, est dicere, quod sit præteritum; dicere autem, quod non sederit, est dicere, quod non fuerit. Unde præterita non fuisse, non subjacet divinæ potentiæ. Et hoc est, quod Augustinus dicit contra Faustum*(*): *quisquis ita dicit*, si Deus omnipotens est, faciat, ut, quæ facta sunt, facta non fuerint, *non videt, hoc se dicere:* si Deus omnipotens est, faciat, ut ea, quæ vera sunt, hoc ipso, quod vera sunt, falsa sint. *Et Philosophus dicit* VI. Ethicorum, *quod hoc solo privatur Deus, ingenita facere, quæ facta sunt* (a).

PROPOSITIO VI.

Necessario existit, quod per suam essentiam existit.

142. *Probatur*. Quod enim per suam essentiam existit, ita existit, ut rationem, cur existat, ipsa sua essentia contineat (§. 122.). Constat autem, necessario inesse rei, quod ita illi inest, ut ratio, cur insit, sit ipsa sua essentia (§. 137.). Ergo existentia necessario ipsi rei

(*) Lib. XXVI. cap. 5.

(a) P. I. q. 25. art. 4.

rei convenit; atque adeo exiſtit neceſſario, quod per ſuam eſſentiam exiſtit.

Corollarium.

143. Quoniam, quod exiſtit per ſuam eſſentiam, *a ſe* exiſtit (§. 125.), *exiſtit neceſſario, quod a ſe exiſtit.*

PROPOSITIO VII.

Exiſtit contingenter, quod per ſuam eſſentiam non exiſtit.

144. *Probatur.* Enimvero, quod non exiſtit per ſuam eſſentiam, poteſt non exiſtere, quin deſinat eſſe id, quod eſt; ac proinde quin ulla hinc ſequatur contradictio. Igitur ita exiſtit, ut oppoſitum non repugnet; atque adeo nonniſi contingenter exiſtit.

Corollarium I.

145. Cum ab alio habeat, ut exiſtat, quod per ſuam eſſentiam non exiſtit (§. 123.), *omne, quod eſt ab alio, contingenter exiſtit.*

Corollarium II.

146. *Omne ens vel neceſſario, vel contingenter exiſtit* Omne ſiquidem *ens* vel exiſtit, quia eſt id, quod eſt, & ideo *neceſſario* (§. 143.); vel ita exiſtit, ut ratio exiſtendi non ſit ipſa ſua eſſentia; ac proinde nonniſi *contingenter* exiſtit (§. 145.). Hinc

Corollarium III.

147. *Omne ens vel eſt neceſſarium, vel contingens.* Etenim omne *ens* vel *neceſſario*, vel *contingenter* exiſtit.

PROPOSITIO VIII.

Quod exiſtit contingenter, ab alio habet, ut exiſtat.

148. *Probatur.* Etenim, quod *contingenter* exiſtit, rationem in ſe-ipſo nequaquam continet, cur exiſtat; quippe, ſi ſecus, neceſſario exiſteret (§. 143.). Ergo ratio, cur hujuſcemodi *ens* exiſtat, continetur in alio ab eo prorſus diſtincto. Neque enim ſine ratione ſufficienti poteſt aliquid potius exiſtere, quam non exiſtere (§. 130.).

Ab

Ab alio autem existit, cujus existendi ratio in alio est (§. 124.) Ergo quod existit contingenter, ab alio habet, ut existat.

COROLLARIUM.

149. *Omne igitur ens contingens est ens ab alio.*

PROPOSITIO IX.

Ens contingens non existit per entitatem, sive formam realem reipsa distinctam ab illius essentia, in eaque tamquam in subjecto receptam.

150. Solemne Thomistis est, *existentiam* entis contingentis esse *realem* quandam *entitatem* ab illius essentia *realiter* distinctam, & in ea receptam, perinde atque *forma* in subjecto; adeo nimirum ut quemadmodum per figuram, quæ est aliud a ligno, lignum est figuratum, ita per *existentiam*, quæ sit aliud ab *essentia* entis contingentis, ens ipsum *formaliter* existat. Contra hoc ergo contendo, nihil reale superaddendum esse *essentiæ* creaturæ, ut ipsa creatura ponatur extra nihil sui, sive ut in rerum natura existat.

Probatur itaque. Etenim illa *entitas*, sive *forma*, quam Petri *existentiam* vocant Thomistæ, non minus nihil est reipsa, quando Petrus non existit, ac tunc sit purum nihil ipsa Petri *essentia*. Vel ergo illa *entitas existentialis*, ut ita dicam, indiget alia *forma* a se distincta, ut, cum Petrus producitur, extra nihil & ipsa ponatur; vel non indiget. Si indiget: quæro de illa alia *forma*, per quid *formaliter* desinat esse *metaphysice possibilis*, & fiat actu, atque ita deinceps in infinitum. Si non indiget, sed seipsa *formaliter* transit a statu *metaphysicæ possibilitatis* ad statum *actualitatis*: ergo etiam ipsa Petri essentia independenter a *forma* distincta optime potest extra sui nihil constitui; etenim, quibus ex æquo convenit *metaphysica possibilitas*, eodem modo *existentiam* obtinent, in rerumque natura collocantur. *Existentia* itaque creaturarum non est *entitas*, sive *forma realis* distincta reipsa ab earum *essentia*, eique, tamquam subjecto, superaddita.

Solvuntur objecta.

Opponitur 1. Quod solius Dei proprium est, nulli creaturæ potest competere. Proprium est autem solius Dei existere per suam essentiam; cum ipse solus sit suum esse, suumque existere. Ergo

go in creaturis *exiſtentia* eſt aliud reipſa ab earum *eſſentia*.

℞. *Diſting. min.* ſolius Dei proprium eſt exiſtere per ſuam eſſentiam, hoc eſt, independenter a cauſa producente, *concedo min.*, hoc eſt, independenter a *forma* diſtincta, *nego min.*, & *conſeq.* Deus itaque ſolus dicitur exiſtere per ſuam *eſſentiam*, non quia ipſi ſoli competat exiſtere independenter a *forma* diſtincta, ſed quia ſolus Deus ita exiſtit, ut ratio, cur exiſtat, ſit ipſa ſua *eſſentia*, nimirum quia eſt id, quod eſt.

Opponitur 2. Nulla res poteſt intelligi ſub oppoſito ejus, cui illa eſt idem. Sed *eſſentia* creaturæ poteſt intelligi ſub *non exiſtentia*. Ergo *eſſentia* creaturæ non eſt idem cum illius *exiſtentia*; ac proinde &c.

℞. *diſting. ma.* nulla res poteſt intelligi ſub oppoſito ejus, cui illa eſt idem, hoc eſt, ſub oppoſito ejus, quod in eſſentiali illius notione continetur, *concedo ma.* Sub oppoſito ejus, quod in eſſentiali illius notione non continetur, *nego ma.*, *& conceſſa minori*, *diſtinguo cons* eſſentia creaturæ non eſt idem cum exiſtentia, hoc eſt, exiſtentia non continetur in eſſentiali notione creaturæ, *concedo conſeq.*, hoc eſt, exiſtentia creaturæ eſt forma *realiter* diſtincta ab illius eſſentia, *nego conſeq.* Verum eſt, creaturam non eſſe *ens* hujuſmodi, ut concipi *eſſentialiter* haud poſſit, quin concipiatur exiſtens. At non propterea ſequitur, creaturam poni extra nihil ſui per formam diſtinctam. Profecto & ipſa *forma exiſtentialis* intelligi *eſſentialiter* poteſt, optimeque concipi, ut *metaphyſice poſſibilis*, neque tamen dabunt Thomiſtæ, eam per ſuperadditam ſibi *realem entitatem* extra ſui nihil conſtitui. Poteſt igitur *eſſentialiter* concipi creatura, quin concipiatur *exiſtens*, non quia fiat *exiſtens* per formam diſtinctam, ſed quia in illius *eſſentia* ſufficiens non continetur ratio, cur potius ſit, quam non ſit reipſa; quo fit propterea, ut extrinſeca indigeat cauſa, a qua producatur.

Opponitur 3. creatura eſt indifferens ad exiſtendum, & non exiſtendum. Ergo requiritur forma, per quam ad exiſtendum determinetur, atque adeo ut reipſa exiſtat.

℞. *diſting. ans*: creatura eſt indifferens ad exiſtendum, & non exiſtendum, indifferentia cauſæ, *concedo ans*, indifferentia ſubjecti, *nego ans*, & *conſeq.* Indifferentia creaturæ ad exiſtendum, & non exiſtendum non eſt indifferentia *ſubjectiva*, nempe talis, qualis eſt indifferentia ligni ad quamlibet figuram; ac proinde hujuſmodi, ut per *formam* tollatur; ſed eſt indifferentia pure *objectiva*, ſcilicet cauſæ producentis. Indifferens nimirum dicitur creatura ad exiſtendum,

dum, & non existendum, quatenus præcise determinare nequit extrinsecum agens, ut ab illo producatur.

Opponitur 4. Nihil transire potest de contradictorio in contradictorum sine *forma reali*. Sed existere, & non existere contradictorie opponuntur. Ergo creatura de *non existente* fieri nequit *existens* sine *forma reali*. Fit autem *existens* per *existentiam*. Ergo *existentia* est *forma realis*.

℟. *disting. ma.* nihil transire potest *subjective* de contradictorio in contradictorium sine forma reali, *concedo ma.* Nihil transire potest *objective* sine forma reali, *nego ma.*, & *permissa minori*, *nego conseq.* Verum est, nihil *subjective* transire posse de contradictorio in contradictorium sine *forma reali*; cum hujuscemodi transitus sit mutatio realis, omnisque realis mutatio in eo sit posita, ut subjectum, quod dicitur mutari, transeat a *privatione* ad *formam*, vel a *forma* ad *privationem*. At res secus se habet, loquendo de transitu rei de non esse ad esse in rerum natura. Cum enim hujusmodi transitus non sit vere & proprie mutatio (nihil quippe tunc habetur, de quo jure dici queat, ipsum aliter se habere nunc, quam prius) nulla *reali forma* est opus, per quam ipse transitus perficiatur. Et sane, idipsum, velint nolint, fateri debent etiam Thomistæ. Etenim & ipsa eorum *existentialis forma* transit a non esse ad esse, dum id producitur, quod per illam existere dicitur, neque tamen hujuscemodi transitus fit per aliam *formam* distinctam. Stat quoque, *formam* ipsam *existentialem* indifferentem esse, ut sit, vel non sit reipsa in rerum natura; quin sit necesse, ut per aliam distinctam *formam* hæc indifferentia tollatur. Vides ergo, nihil obiici nobis posse, quod ipsos itidem adversarios ex æquo non urgeat.

PROPOSITIO X.

Existentia entis contingentis non est aliquid formaliter ex natura res distinctum ab illius essentia.

151. Hæc propositio est contra quamplures Scotistas, contendentes, inter *essentiam* entis contingentis, ejusque *existentiam* haberi distinctionem illam, quam *formalem ex natura rei* appellant, quamque superiori loco paucis indicavimus.

Prætermisso itaque, opinionem hanc parum consonam esse menti ipsiusmet Doctoris Subtilis; quippe qui in III. *Sententiarum Distin.* VI. qu. 1. expresse docet, *certum esse, rei essentiam tantum in modo concipiendi ab existentia differre*, ostenditur propositio eadem penitus

ratione, qua, *exiſtentiam realiter non diſtingui ab eſsentia*, contra Thomiſtas modo demonſtravimus. Res enim eſt perſpicua, *formalitatem exiſtentiæ* Petri nihil eſſe reipſa, cum Petrus non exiſtit; eam vero actu eſse in rerum natura, cum Petrus exiſtit. Vel igitur *actualitas* illius *formalitatis exiſtentialis* eſt aliquid *formaliter ex natura rei* diſtinctum ab ipſa *formalitate*, vel non. Si primum: quæro eodem modo de hac *formalitate actualitatis*, per quid *formaliter* ponatur extra nihil ſui, atque ita deinceps in infinitum. Sin alterum: ergo, quemadmodum *formalitas* illa *exiſtentialis*, ita ipſa rei *eſsentia* ſeipſa *formaliter* in rerum natura exiſtit. Nullum quippe hac ſuper re mihi apparet diſcrimen.

Objecta diluuntur.

Arguunt 1. Poteſt concipi rei *eſsentia*, quin concipiatur exiſtens. Ergo *exiſtentia* eſt *formalitas* diſtincta *ex natura rei* ab *eſsentia*. Ea enim *formaliter ex natura rei* diſtinguuntur inter ſe, quorum unum concipi poteſt, altero non concepto.

℞. 1. argumentum nimis probare. Etenim & ipſa *formalitas exiſtentialis* intelligi optime poteſt, quin intelligatur actu poſita extra nihil ſui. Ergo & ipſa ponitur extra nihil ſui per *formalitatem* diſtinctam.

℞. 2. *diſting. añs*: poteſt concipi rei *eſsentia*, quin concipiatur exiſtens, & tunc concipitur, ut aliquid reipſa, *nego añs*; & tunc concipitur, ut nihil reipſa, *concedo añs*, & *nego conſeq.* Ut enim duo ſint *formaliter ex natura rei* diſtincta, debent eſse hujuſmodi, ut ambo ſint in rerum natura, quin unum ſit aliud; atque adeo ut unum poſſit concipi, altero non concepto, quin deſinant eſse reipſa ex eo *formaliter*, quod ſic concipiantur. Repugnat autem, ut concipiatur *eſsentia*, non concepta *exiſtentia*, & in tali conceptu nobis reluceat *eſsentia*, ut actu poſita extra nihil ſui. Ergo &c. Patet porro ex dictis ſuperiori loco, cur poſſit *eſsentiatiter* concipi creatura, quin concipiatur *exiſtens*.

Arguunt 2. De *eſsentia*, & *exiſtentia* contingit, vera eſse prædicata contradictoria. *Eſsentia* enim eſt *quidditas* rei, minime vero exiſtentia. Ergo &c.

℞. 1., argumentum poſse in ſuos auctores retorqueri. Nam & ipſa *formalitas exiſtentialis* habet ſuam *quidditatem*; concipitur enim, & definitur a ſuis patronis; cumque etiam ipſius *quidditas* modo ſit, modo non ſit reipſa, contingit, de ea quoque conſtitui poſse prædicata contradictoria.

℞. 2.

℞. 2. *neg. ans*, ad cujus probationem dico, *existentiam* esse ipsam rei *quidditatem* positam reipsa in rerum natura. Contendo proinde, haud recte dici, *existentiam esse id, quo essentia existit*. Non enim *existentia* dici potest *id, quo*, nisi prius ostendatur, *existentiam* esse aliud reipsa ab *essentia*. Quod si aliquis a me quærat, quid sit *existentia?* respondeo paucis: *existentiam esse rem positam extra nihil sui*.

DISSERTATIO II.

De substantia, & accidente, deque ente absoluto, & relativo, simplici, & composito.

Generalem *entis* divisionem tradidimus in Logica, ejusque singula membra breviter explicavimus. Nunc fuse de iisdem agendum est. Primo itaque pleniorem tum *substantiæ*, tum *accidentis* notionem trademus. Secundo naturam *entis* tam *absoluti*, quam *relativi* investigabimus. Postremo de *ente simplici*, & *composito* differemus.

SECTIO PRIMA.

De substantia, & accidente.

DEFINITIO I.

152. Nomine *subjecti* intelligitur id, *quod ita recipit aliud a se distinctum, ut ab eo determinetur, & perficiatur*. Sic organicum corpus dicitur *subjectum* animæ, lignumque figuræ. Recipitur quippe anima in corpore, & figura in ligno, ipsumque corpus ab anima, & lignum a figura determinatur, certoque mudo perficitur.

COROLLARIUM.

153. Dicitur ergo *esse in subjecto*, quidquid ea ratione in alio est, ut *ipsum determinet, atque unum aliquid cum illo constituat*.

SCHOLION.

154. Duplici modo potest aliquod esse in subjecto. Primo, ut ipsa sua natura exigat in subjecto fieri, in eoque recipi, adeo nempe

ut vel prorfus repugnet, illud fine fubjecto fieri, reque ipfa exiftere; quin fit in fubjecto; vel faltem naturæ vires plane excedat, quod aut fiat fine fubjecto, aut fine fubjecto in rerum natura reperiatur. Secundo modo, ut a fubjecto, quod perficit, effentialiter non dependeat. Hoc modo anima rationalis eft in corpore, ut in fubjecto. Non enim a corpore adeo dependet, ut ipfa fua natura fine corpore effe non poffit. Priori autem modo eft in ligno color, ficuti etiam figura, aliæque ejufdem affectiones. Adeo quippe exigunt effe in ligno, ut naturæ vires omnino fuperet, eas fine ligno reipfa exiftere.

DEFINITIO II.

155. *Ens per fe exiftens* dicitur illud, *quod ipfa fua natura vel eft reipfa fine fubjecto, vel fine fubjecto poteft exiftere*. Hujufcemodi eft angelus, homo, lignum, ipfaque etiam humana mens, etfi in corpore exiftat. Illa enim non funt in fubjecto; hæc vero non ita in corpore eft, ut ipfa fua natura fine corpore effe non poffit.

COROLLARIUM I.

156. Cum ens queat effe in fubjecto, quin ab illo effentialiter dependeat (§. 154.), *poteft ens aliquod exiftere per fe, fimulque in fubjecto reperiri*. Sola ergo naturalis dependentia entis a fubjecto, quod perficit, illud eft, quod impedit, quominus ens *per fe exiftere* a nobis jure dicatur.

SCHOLION.

157. Caveamus oportet, ne *ens exiftens per fe*, & *ens exiftens a fe* promifcue accipiantur. Exiftit enim *per fe*, quod non dependet a fubjecto; exiftit vero *a fe*, quod nulla prorfus indiget caufa, ut exiftat. (§. 124.)

COROLLARIUM II.

158. *Perfeitas entis*, ut Scholaftice loquar, *non eft nifi mera negatio effentialis dependentiæ a fubjecto in exiftendo*, five eft *modus exiftendi in eo pofitus, ut ens a fubjecto fua in exiftentia non dependat*, quemadmodum *afeitas* eft *modus, quo ens ita exiftit, ut a nulla prorfus dependeat caufa producente*.

Co-

S C H O L I O N.

159. Dixi, *perseitatem* esse *negationem essentialem dependentiæ a subjecto*; quia hujuscemodi negatio ita convenit *enti*, quod *per se* existit, ut illi insit ratione propriæ essentiæ; penitusque idcirco repugnet, ut ipsum *ens* ea privetur.

D E F I N I T I O III.

160. Dicitur *inhærere subjecto, quod ita natura sua in subjecto est, ipsumque afficit, ut neque esse, neque fieri, saltem naturæ viribus, possit, quin in subjecto sit, in eoque producatur.* Sic figura inhærere dicitur ligno; quia eâ ratione in ligno est, ut neque fieri sine illo queat, neque existere.

C O R O L L A R I U M I.

161. Est igitur inhærentia *modus existendi cum essentiali dependentia a subjecto.*

C O R O L L A R I U M II.

162. *Perseitas, & inhærentia sunt modi existendi contradictorie oppositi.* Dependere quippe, & non dependere *essentialiter* a subjecto contradictorie sibi mutuo adversantur. Hinc

C O R O L L A R I U M III.

163. *Omne ens vel existit per se, vel inhæret subjecto.* Non enim inter hujuscemodi existendi modos datur medium (*Logica* §. 108.).

Traditur notio substantiæ.

I.

164. Non uno modo sumitur *substantia* a Philosophis. Sumitur enim plerumque pro ipsa rei *essentia*, sive *natura*, ut cum dicitur, hominis *substantiam* in eo esse positam, ut sit animal rationale.

C O R O L L A R I U M I.

165. Hinc, si *substantia* pro *essentia* rei sumatur, *substantiale* alteri

ri recte dicetur, *quidquid illi effentiale eft*, nimirum *quod ad illius effentiam intrinfecus fpectat*. Sic anima rationalis erit homini *fubftantialis*, cum fcilicet hominis *effentia* ex anima rationali intrinfecus conftituatur. Viciffim vero

Corollarium II.

166. *Accidentale* rei vocabitur, *quod ad illius, cui advenit, effentiam minime intrinfecus attinet*. Hujufmodi eft anima, fi cum corpore, quod perficit, comparetur. Neque enim anima ita fpectat ad corpus, ut illud *effentialiter* conftituat. Apparet proinde

Corollarium III.

167. *Idem habere fimul poffe rationem attributi* fubftantialis, & accidentalis, *fi ad diverfa referatur*. Rationalis quippe anima *fubftantialis* homini eft (§. 165.), fimulque corpori *accidentalis* (§. 166.).

II.

168. Secundo dicitur *fubftantia, quidquid fubftat accidentibus*, nimirum *quidquid*, ut explicat Cl. Volfius, *perdurabile eft, & modificabile* (a), feu quod eft *fubjectum determinationum intrinfecarum conftantium, & variabilium* (b). *Perdurabile* fiquidem vocat Vir Cl., *quod determinationes intrinfecas conftantes habet* (c); *modificabile* vero, *quod aliarum fucceffive determinationum intrinfecarum eft capax* (d). Hoc igitur fenfu *homo*, *lapis*, *lignum*, aliaque id genus *entia*, funt *fubftantiae*; quippe ea omnia funt hujufmodi, ut plures fucceffive determinationes fubire poffint; atque adeo mutari, quin effe definant.

Corollarium.

169. Cum res creatæ dumtaxat intrinfecis mutationibus obnoxiæ fint, *hæc fubftantiæ notio illis tantummodo convenit*. Unde & ipfe Vir Cl., nonnifi per eminentiam Deum poffe *fubftantiam* vocari, fatetur ingenue (e).

170.

(a) P. II. Ontol. §. 768.
(b) Ibidem §. 769.
(c) Ibidem §. 767.
(d) Ibidem. §. 764.
(e) Iidem §. 847.

III.

170. Sumitur postremo *substantia* pro *ente per se existente*, nimirum *pro omni eo, quod tali ratione existit, ut in suo fieri, esse, & conservari a nullo subjecto essentialiter dependeat*. Sic homo dicitur *substantia*, quatenus est tale *ens*, ut nullum *essentialiter* subjectum requirat, in quo producatur, atque existat.

COROLLARIUM I.

171. Sumta *substantia* hoc sensu, illius notio non importat in *recto*, nisi *meram negationem essentialis dependentiæ a subjecto* (§. 158.), quemadmodum notio *entis* meram tantummodo *intrinsecæ contradictionis negationem* eodem quoque modo designat (§. 8.). Hinc

COROLLARIUM II.

172. Plura convenire in ratione *substantiæ* hoc modo sumtæ est ea convenire in *negatione essentialis dependentiæ a subjecto in existendo*; sicuti plura convenire in ratione *entis* non est aliud, quam *negationem intrinsecæ contradictionis* esse illis omnibus ex æquo communem (§. 13.). Remanet idcirco,

COROLLARIUM III.

173. *Plura convenire simul posse in ratione* substantiæ, *sive* entis per se existentis, *etsi in nulla* positiva realitate *ea ipsa conveniant*. Ostensum enim est, eandem negationem posse simul pluribus esse communem, licet nulla *realitas positiva* sit illis ex æquo communis, videlicet etsi ea omnia sint inter se primo diversa (§. 14.). Plura autem convenire in ratione *entis per se existentis* est ea convenire in *negatione* (§. 172.). Ergo &c. Hisce itaque positis, videndum breviter, an, hoc modo sumta *substantia*, illius notio Deo, & creaturis ex æquo conveniat.

PROPOSITIO I.

Attributum substantiæ, sive entis per se existentis, est commune univocum Deo, & creaturis.

174. *Probatur*. Deo, & creaturis commune ex æquo est non depen-

pendere a ſubjecto in exiſtendo, perinde prorſus ac illis ex æquo conveniat nullam penitus in ſua *formali ratione* contradictionem involvere. Ergo, ſicuti ratio *entis* (§.21.), ita notio *ſubſtantiæ*, ſi pro *ente per ſe exiſtente* ipſa ſumatur, eſt Deo, & creaturis ex æquo communis.

SCHOLION I.

175. Quæ huic aſſertioni opponi poſſunt, ex iis, quæ de *entis* haud diſſimili univocatione ſuperiori loco dicta ſunt, facile, ut arbitror, diluuntur. Profecto, cum in notione *ſubſtantiæ*, perinde prorſus ac in notione *entis*, neque *finitas*, neque *infinitas*, nec aliud quidquam hujuſmodi, ſed ſola *negatio eſſentialis dependentiæ* a *ſubjecto* menti reluceat, quemadmodum in notione *entis* ſola occurrit *negatio intrinſecæ contradictionis* (§.1.), nihil eſt, quod impediat, quominus Deus, non ſecus ac creatura, *ens per ſe exiſtens*, ſive *ſubſtantia* dicatur, quemadmodum eadem de cauſa nihil plane prohibet, quominus Deus, & quævis creata res *ens reale* nuncupetur. Nullam quoque *ſubſtantiæ* notio (§.173.), non ſecus ac notio *entis* (§.15.), *potentialitatem* refert. Ergo nulla prorſus ex hac *univocatione* ſequitur in Deo imperfectio. Fateor equidem, Deum, S. Auguſtini judicio, nonniſi abuſive poſſe *ſubſtantiam* vocari (a). Verum contendo, *ſubſtantiam* tunc ab illo ſumi non pro *ente per ſe exiſtente*, ſed pro eo, quod *accidentibus* ſubſtat, atque ab illis afficitur. *Quid* enim, inquit, *hoc mihi proderat, quando & oberat; cum etiam Te, Deus meus, mirabiliter ſimplicem atque incommutabilem, illis decem prædicamentis putans quidquid eſſet omnino comprehenſum, ſic intelligere conarer, quaſi & Tu ſubjectus eſſes magnitudini Tuæ aut pulchritudini, ut illa eſſent in Te, quaſi in ſubjecto, ſicut in corpore; cum Tua magnitudo, & Tua pulchritudo Tu ipſe ſis; corpus autem non eo ſit magnum & pulchrum, quo corpus eſt* (b). Nihil ergo hinc colligi legitime poteſt, quod aſſertioni noſtræ vel minimum officiat. Libentiſſime ſiquidem damus, Deum habere neutiquam poſſe rationem *ſubjecti*; ac proinde neque *ſubſtantiæ*, ſi *ſubſtantiæ* nomine, nonniſi quod ſubſtat accidentibus, quodque idcirco mutationi obnoxium eſt, intelligatur.

SCHOLION II.

176. De *ſubſtantiæ* diviſione in *ſpiritualem*, & *corporeum* nihil modo

(a) Lib. VII. *de Trinitate* n. 10. alias cap. 5.
(b) Lib. 4. *Confeſ.* cap. 16.

do est, quod dicam. Utriusque notionem paucis dedimus in Logica; eaque etiam ibidem innuimus, in quæ utraque ipsa *substantiæ* solet vulgo distribui. Majora tradere hac super re non est hujus loci. Spectat quippe ad Physicum, *corporeæ substantiæ* naturam inquirere; ad aliam vero Metaphysicæ partem in *substantiæ spiritualis* investigatione versari.

Accidentis notio explicatur.

I.

177. Duplex *accidens* in Scholis distinguitur, *logicum*, & *physicum*. *Accidens logicum* vocatur id omne, *quod rei advenit per suam essentiam & proprietates constituta, eamque afficit atque denominat*. Sic vestis, qua homo tegitur, est illi *accidens logicum*. Ei siquidem accidit *essentialiter* jam constituto, suisque omnibus proprietatibus prædito; sicque ipsum afficit, ut hinc *vestitus* dicatur.

Corollarium I.

178. Cum ergo etiam *substantia*, sive *ens per se existens*, possit alteri *essentialiter* constituto ita advenire, ut ipsum denominet, liquido apparet, *substantiam hoc modo sumtam habere optime posse rationem accidentis logici, si alteri comparetur*. Hinc

Corollarium II.

179. *Substantia sumpta pro ente per se existente, & accidens logicum nullatenus opponuntur.*

II.

180. *Accidens physicum* est *ens inhærens subjecto*, videlicet *ea ratione subjectum afficiens, ab eoque dependens, ut ipsa sua natura neque fieri, neque esse possit reipsa, quin in subjecto sit, & in illo producatur*. Hujusmodi sunt *colores*, *sapores*, aliæque corporum affectiones sensibiles. Dependent enim adeo a *subjecto*, quod afficiunt, ut nequeant natura sua sine *subjecto* fieri, neque sine illo conservari, & reipsa existere.

Corollarium I.

181. *Substantia, sive ens per se existens, adeo opponitur accidenti phy-*

phyfico, ut nullum prorfus inter illa medium haberi poffit. Etenim *exiftere per fe*, & *inhærere fubjecto* funt *modi exiftendi* penitus oppofiti. Hinc

Corollarium II.

182. *Omne ens vel eft fubftantia hoc fenfu, vel accidens phyficum.*

III.

183. Celebris porro eft, ac proinde hoc loco haud negligenda, divifio *accidentis phyfici* in *accidens fimpliciter abfolutum*, & in *accidens modale*. Vocant Scholaftici *accidens fimpliciter abfolutum, quod fubjecto quidem inhæret, verum non ita, ut repugnet prorfus, illud fine fubjecto exiftere*. *Modale* vero appellant, *quod ita ab eo, quod afficit, fubjecto dependet, ut ne quidem concipi fine fubjecto poffit, nedum fine illo per aliquam potentiam exiftere*. Tale eft ligni *rotunditas*. Fieri fiquidem nequit, ut concipiatur *rotunditas*, quin lignum, five fubjectum, in quo ea fit, attingatur, mentique reluceat. Hæc tamen Recentioribus non arridet *accidentis* divifio. Nullum enim, eorum fententia, eft *accidens fimpliciter abfolutum*, fed omnes penitus rerum tam *fpiritualium*, quam *corporearum* affectiones pro meris earum *modificationibus* habentur; unde omne, quod eft, in *rem*, & *modum*, ut etiam in Logica diximus, ipfi diftribuunt.

IV.

184. Quæ tamen fit *modi* natura; neque inter Recentiores ipfos plane convenit. Putant nonnulli, quamplures rei modos *effe aliquid reale, diftinctum prorfus ab ipfa re, quam afficiunt, eique fuperadditum.* Contra vero contendunt alii, modum quemlibet nihil aliud effe, *quam ipfam rem ita fe habentem: rem vero ita fe habere, quatenus præcife rebus aliis extrinfecis comparatur, & cum illis confertur*. Etfi autem non inficiar, quamplures rei modos effe meras extrinfecas ipfius rei denominationes, vel in pura negatione confiftere, opinor tamen, id de omnibus dici nequaquam poffe, fed *modos* aliquos effe admittendos, qui fint aliquid *reale*, & *pofitivum*, a re modificata realiter diftinctum.

PRO-

PROPOSITIO II.

Dantur modi reales, & positivi, qui nempe sint aliquid reale positivum, distinctum reipsa a re modificata, eique superadditum.

185. *Probatur*. Corpus *sphæricum* differt reipsa a corpore *cubico*. Differt autem per *figuram*, ut patet. Ergo *figura* est aliquid reale. Potest autem corpus, quin pereat, ea, qua affectum est, *figura* privari. Ergo *figura* est aliquid reale, distinctum *realiter* a substantia corporis figurati, eique superadditum.

Quod autem *figura* sit aliquid positivum, non autem pura negatio, ex eo, ut puto, satis evincitur, quod de *figura* affectiones plurimæ positivæ a Geometris demonstrentur. Neque enim pura negatio positivas proprietates habere potest, ut ex ipsis terminis res videtur perspicua.

Non me latet, opponere quempiam posse, ea, quæ de *figura* a Geometris ostenduntur, non esse proprietates *figuræ*, sed corporeæ substantiæ ita se habentis. Verum contra est. Nam plura demonstrantur a Geometris de substantia corporea, quatenus *sphærica*, quæ illi, si spectetur quatenus *cubica*, haudquaquam conveniunt. Ergo per aliud, & quidem *reale positivum*, substantia ipsa *sphærica* est, per aliud *cubica*. Non enim per idem possunt symptomata adeo diversa eidem subjecto convenire, deque illo ostendi. Illud autem, ratione cujus affectiones tam diversæ de corporea substantia in Geometria demonstrantur, est ipsa *figura*, atque adeo *modus*, ut patet. Ergo *modus* hujusmodi non solum aliquid *reale* est, distinctum *realiter ab* ipsa substantia, eique contingenter adveniens, verum etiam est aliquid *positivum*.

Porro de *modis* pluribus etiam spiritualis substantiæ res mihi videtur aperta. Cogitationes namque, & volitiones, quæ meræ *modificationes* ipsius substantiæ dicuntur, neque puræ sunt *negationes*, neque meræ *denominationes extrinsecæ*. Itaque etiam in rebus spiritualibus aliqui dantur *modi reales*, & *positivi*; adeoque &c.

SECTIO SECUNDA.

De ente abſoluto, & relativo.

DEFINITIO I.

186. *A*Bſolutum dicitur *ens, quod concipi a nobis poteſt, & reipſa concipitur, quin ſimul aliud ab eo diſtinctum intelligatur*. Sic homo, quatenus homo, eſt *ens abſolutum*. Hominis ſiquidem notio haudquaquam exigit, ut aliud aſſumatur *ens*, cui homo comparetur.

DEFINITIO II.

187. Contra vero *ens relativum*, ſive *relatum*, dicitur illud, *quod intelligi minime poteſt, niſi aliud ens ab eo diſtinctum ſimul concipiatur*. Hujuſcemodi ſunt *dominus*, *ſervus*, *ſimile*, *æquale*, atque id genus alia. Nequit enim mens *dominum* concipere, quin ſimul *ſervum* intelligat.

SCHOLION.

188. *Ens abſolutum* dicitur in Scholis *ens ad ſe*; *ad aliud* vero *ens relativum*.

COROLLARIUM.

189. *Omne ens vel abſolutum eſt, vel relativum*. Etenim omne *ens* vel eſt hujuſmodi, ut poſſit concipi, quin ad aliud referatur; vel eſt hujuſmodi, ut intelligi nequeat, niſi alteri comparetur.

DEFINITIO III.

190. *Denominatio* rei *abſoluta* eſt illa, *quæ ipſi rei tribuitur, eique convenit reipſa, omni prorſus ſecluſa ejuſdem rei comparatione ad extrinſeca*. Talis eſt in corpore denominatio *albi*. Neque enim corpus referri ad aliud debet, ut album dicatur.

DEFINITIO IV.

191. *Denominatio* vero *relativa* ea eſt, *quæ tribuitur rebus ex earum comparatione ad extrinſeca*. Hujuſmodi eſt denominatio *æqualis*. Hæc enim

enim non convenit corpori, nisi quatenus ad aliud refertur, atque cum illo penes *quantitatem*, ut dicemus, comparatur.

COROLLARIUM.

192. Quemadmodum omne *ens* (§. 189.), ita omnis rei denominatio vel *absoluta* est, vel *relativa*.

DEFINITIO V.

193. *Fundamentum relativa denominationis* voco id, *per quod termini sunt proxime relative denominabiles*. Sic actio, qua Petrus Paulum generat, est fundamentum relativæ denominationis *patris*, quæ Petro tribuitur. Est enim id in Petro, ex quo cognito determinatur mens, ut Petro relativam *patris* determinationem tribuat, utpote id, per quod Petrus est proxime capax, ut *pater Pauli* dicatur.

SCHOLION I.

194. Ut removeatur cavillandi occasio, *fundamentum relativa denominationis* illud ipsum mihi est, quod Scholastici *rationem fundandi*, sive *fundamentum proximum relationis* appellant.

SCHOLION II.

195. Præter rationem illam, per quam res sunt proxime *relative denominabiles*, formam quamdam, quam *relationem* dicunt, rebus superaddendam putant rigidiores Scholastici, ut *relative* reipsa denominentur. Ajunt autem, hanc formam illius esse naturæ, ut, posita proxima *ratione fundandi*, statim inter ipsos terminos emergat; pereat vero, ratione ipsa sublata. Sic posita actione, per quam a Petro suam Paulus existentiam recipit, ea statim in Petro, illorum sententia, resultat forma, quæ *paternitas* dicitur; ea vero in Paulo forma emergit, quæ vulgo *filiatio* nuncupatur. Contra vero contendunt Recentiores, ad relativam denominationem rebus tribuendam satis esse *rationem* ipsam fundandi, sive proximam earum *relativam denominabilitatem*; nullamque idcirco dari *relationem*, quæ sit *entitas*, sive *forma* ab hac ratione distincta, ipsisque rebus, quæ *relative* denominantur, superaddita. Hæc posterior opinio mihi semper probabilior visa est. Quamobrem, salva, quæ summis Viris contra sentientibus jure debetur, reverentia, sit

PROPOSITIO I.

Nulla datur relatio, quæ ſit entitas, ſive forma diſtincta a ratione proxima fundandi, ſeu a relativa terminorum denominabilitate, ipſiſque ſuperaddita.

196. *Probatur.* Poſita *proxima ratione fundandi*, omnique alia *forma*, ſive *entitate* ſecluſa, habetur in rebus, quidquid in illis eſt opus, ut, mutua earum facta comparatione, *relative* denominentur. Ergo nulla datur *relatio*, quæ ſit *forma* reipſa diſtincta a *ratione proxima fundandi*, ipſiſque terminis ſuperaddita. *Conſeq. eſt evidens*. Hæc enim ideo admittitur, ut termini *relative* per eam denominentur, quemadmodum corpus per albedinem *album* nuncupatur. *Prob. añs*: etenim, poſita *proxima ratione fundandi*, factaque mutua terminorum comparatione, ipſi termini nobis apparent, ut proxime *relative denominabiles*. Ratio ſiquidem illa eſt id, per quod termini ſunt proxime apti, ut *relative* denominentur (*ſ.* 193.). Ergo &c.

Confirmatur. *Relativa* rerum *denominabilitas* illud unice eſt, quod in rebus ipſis intelligitur, cum earum una ad aliam refertur. Ergo *relativa* rerum *denominabilitas* illud eſt dumtaxat, quo determinatur mens, ut, cum res ipſas inter ſe mutuo comparat, eas *relative* denominet.

S C H O L I O N.

197. *Relativam denominabilitatem* illud unice eſſe, quod attingitur in rebus, cum earum una ad aliam refertur; atque adeo quod mentem determinat, ut, comparatione facta, res ipſas *relative* denominet, conſtabit prorſus ad evidentiam, ſi æquo attentoque animo expendere nequaquam pigeat, undenam relativæ *ſimilium*, & *diſſimilium*, *æqualium*, & *inæqualium*, *cauſæ* demum, atque *effectus*, denominationes deriventur. Perſpicuum quippe hinc fiet, nullam eſſe relationem *ſimilitudinis*, & *diſſimilitudinis*, *æqualitatis*, & *inæqualitatis*, *cauſæ*, & *effectus*, quæ ſit *entitas realis* reipſa diſtincta a *proxima ratione fundandi*, ac proinde a *relativa* ipſorum terminorum *denominabilitate*. Sit ergo

DEFINITIO VI.

198. *Convenire duo in aliqua ratione* dicuntur, *cum ea ſunt hujuſmodi, ut ſi penes illam rationem ſpectentur, atque inter ſe mutuo conferan-*

ferantur, discerni eorum unum ab altero nequaquam possit. Sic duo alba convenire dicuntur in albedine, propterea quod, mutua eorum penes albedinem comparatione instituta, fieri minime queat, ut unum ab altero discernatur.

COROLLARIUM.

199. Itaque *duo convenire in aliqua ratione, perinde omnino est, ac illa esse penes illam rationem eodem mentis conceptu conceptibilia*.

LEMMA.

Convenientia duorum in aliqua ratione non est entitas, sive forma realis, reipsa distincta ab illa ratione, in qua conveniunt.

200. *Probatur*. Etenim posita *albedine* in duobus corporibus, omnique alia *entitate*, sive *forma reali* distincta ab *albedine*, non solum præcisa, ac prorsus neglecta, verum etiam penitus repugnante, duo illa corpora sunt hujusmodi, ut, si penes *albedinem* conferantur inter se mutuo, discerni unum ab altero minime possit, sed eodem plane conceptu conceptibilia sint, & reipsa concipiantur. Ergo illa duo corpora conveniunt in albedine, quin ulla alia *realis forma* illis superaddatur (§. 199.); ac proinde duorum convenientia &c.

SCHOLION.

201. Quod diximus de *convenientia*, de *non convenientia* intelligendum itidem est. Videlicet, sicuti non est opus *forma* distincta, ut duo in aliqua *ratione* conveniant, ita distincta *forma* opus non est, ut duo in aliqua *ratione* minime convenire dicantur. Profecto, quemadmodum duo alba hoc ipso præcise, quod sint *alba*, conveniunt in *albedine*, ita hoc ipso præcise, quod alterum duorum corporum *album* sit, & alterum *nigrum*, in *qualitate* non conveniunt.

DEFINITIO VII.

202. *Similia sibi mutuo* dicuntur illa, *quæ in qualitate conveniunt*, *dissimilia*, *quæ in qualitate non conveniunt*. Sic duo alba, quatenus alba, sunt *similia*; at vero *dissimilia* album, & nigrum. Conveniunt enim illa in *qualitate*; hæc vero nequaquam.

COROLLARIUM I.

203. *Similia ſunt ſimilia reipſa, hoc eſt, omni ſecluſo opere intellectus*. Etenim duo alba conveniunt in albedine, etſi intellectus minime illa conſideret. Idipſum dicito de *diſſimilibus*.

COROLLARIUM II.

204. *Similitudo* eſt *convenientia*; *diſſimilitudo* eſt *non convenientia* duorum in *qualitate*.

PROPOSITIO II.

Similitudo, & diſſimilitudo non ſunt entitates reales reipſa diſtinctæ a qualitate, penes quam comparatione facta, duo inter ſe mutuo ſimilia, vel diſſimilia dicuntur.

205. *Probatur*. Etenim nec *convenientia*, neque *non convenientia* duorum in *qualitate* eſt forma diſtincta ab ipſa *qualitate*, ipſiſque terminis ſuperaddita (§. §. 200. 201.). *Similitudo* autem eſt convenientia, *diſſimilitudo* vero eſt *non convenientia* duorum in *qualitate* (§. 204.). Ergo &c.

DEFINITIO VIII.

206. Dicuntur *æqualia* inter ſe, *quæ in quantitate conveniunt*; *inæqualia* vero, *quæ in quantitate non conveniunt*. Sic duo ligna palmaris longitudinis dicuntur *æqualia*, ſi conferantur inter ſe mutuo penes *quantitatem*. Contra vero *inæqualia* ſunt ligna, quorum alterum palmaris, alterum bipalmaris ſit longitudinis. Illa etenim, minime vero iſta, in quantitate conveniunt.

COROLLARIUM I.

207. *Tam æqualia, quam inæqualia, ſunt hujuſmodi, omni prorſus ſecluſo opere intellectus*. Etenim independenter ab omni conſideratione intellectus, duo ligna palmaris longitudinis ita ſe habent, ut, ſi unum ſuperponatur alteri, neque illud excedat, neque ab illo excedatur. Hujuſcemodi quoque ſunt lignum palmaris, & lignum bipalmaris longitudinis, ut unius magnitudo alterius magnitudinem ſuperet.

Co-

COROLLARIUM II.

208. *Æqualitas est convenientia; inæqualitas est non convenientia duorum in quantitate.*

PROPOSITIO III.

Æqualitas, & inæqualitas non sunt entitates reales reipsa distincta a quantitate, penes quam facta duorum comparatione, æqualia, vel inæqualia inter se mutuo illa duo dicuntur.

209. Probatur eodem modo, quo de *similitudine*, & *dissimilitudine* idipsum præcedenti propositione demonstravimus.

COROLLARIUM.

210. Patet itaque, *similitudinem, & dissimilitudinem, æqualitatem, & inæqualitatem nihil esse distinctum reipsa ab illa ratione, per quam res sunt proxime aptæ, ut, instituta mutua earum comparatione,* similes, *aut* dissimiles, æquales, *vel* inæquales *denominentur*.

SCHOLION.

211. Inficias ibit nemo, recte vocari *similia*, quæ in *qualitate*; *æqualia*, quæ in *quantitate*, conveniunt, & quidem ex eo præcise, quod hujuscemodi convenientia inter illa habeatur. Non enim id potest in dubium verti, quin lis de nomine moveatur. Neque enim aliud non eruditi solum, verum etiam imperiti atque penitus rudes intelligunt, cum duo alba dicunt *similia* inter se, duoque ligna palmaris longitudinis *æqualia* appellant. Ceterum si quis velit, præter hanc convenientiam in *qualitate*, & *quantitate*, distinctam *formam*, sive *entitatem* requiri, ut duo *similia* inter se, vel *æqualia* dicantur, velim quoque ipse sciat, id meram esse petitionem principii; ac proinde non pro certo habendum illud esse, sed demonstrandum.

PROPOSITIO IV.

Relativa denominatio causa non est formaliter ab entitate aliqua reali distincta reipsa ab actione, qua causa effectum producit.

212. *Probatur*. Deus vere est, recteque dicitur rerum omnium *causa* independenter ab omni *entitate*, sive *forma reali* reipsa distin-

cta ab illo actu Divinæ voluntatis, quo Deus ipse vult, creaturam existere. Nihil enim novi advenire potest Déo, eique, perinde atque forma subjecto, *realiter* contingere. Ergo universaliter relativa denominatio *causæ* non est a *forma reali* distincta reipsa ab actione, qua causa effectum producit, atque *entitati* ipsius causæ superaddita. Qua enim ratione non requiritur hujuscemodi *forma*, ut Deus *causa* rerum dicatur, eadem ipsa ratione frustranea est talis *forma*, ut ens quodlibet creatum denominationem *causæ* jure obtineat.

Neque porro aliquid vel minimum negotii facessit, quod ajunt nonnulli, repugnare scilicet, ut *forma* nova adveniat Deo; minime vero ut illa creaturæ contingat. Etenim contra est; quia vel denominatio *causæ* necessario oritur a *forma reali* distincta ab actione, vel non. Si hoc alterum: ergo neque in creaturis opus est hujuscemodi *forma* distincta, ut *causæ* dicantur. Sin primum: ergo Deus nequit creaturarum *causa* nuncupari. Deus enim incapax illius denominationis est, quæ provenit necessario a *forma reali* superaddenda subjecto, ut patet de denominatione albi, quæ ideo præcise Deo non convenit, quia Deus incapax est illius *formæ*, a qua talis denominatio necessario derivatur.

COROLLARIUM.

213. *Nulla itaque est relatio causæ ad effectum, atque adeo neque effectus ad causam, quæ sit entitas realis distincta reipsa ab actione; per quam effectus suam a causa existentiam obtinet.*

SCHOLION.

214. An actio sit *relatio*, res non est hujus loci. Mihi quippe satis in præsens est, nihil reale distinctum ab actione in eo requiri, quod aliquid producit, ut illius *causa* ipsum dicatur. Stat quippe, ad denominationem *causæ* alicui tribuendam sufficere id, quod *relationum distinctarum* patroni *fundamentum proximum relationis* appellant. Actio enim, eorum sententia, non est nisi *fundamentum proximum* illius *relationis*, quam, ajunt, agenti superaddendam esse, ut denominatio *causæ* jure illi tribuatur.

COROLLARIUM I. UNIVERSALE.

215. *Relatio* prout in rebus, sive cum præcisione ab omni actu comparativo intellectus, *nihil est aliud, nisi ipsa terminorum, qua relative*

lative denominantur, referibilitas, sive denominabilitas relativa.

COROLLARIUM II. UNIVERSALE.

216. *Ad relativam denominationem rebus tribuendam necesse est, ut mutua earum referibilitas cognoscatur*; atque hinc, *ut res ipsæ conferantur inter se mutuo penes illam rationem, penes quam sunt reipsa inter se mutuo referibiles.* Hinc

COROLLARIUM III. UNIVERSALE.

217. *Denominatio relativa partim intrinseca rebus est, partim extrinseca.* Est enim *intrinseca*, quatenus res ipsæ meritum habent in se, ut *relative* denominentur. Est vero *extrinseca*, quatenus nequit mens eas *relative* denominare, nisi illarum unam ad alteram referat, easque comparet inter se mutuo. Neque enim duo alba possunt denominari *similia*, nisi percipiantur in *albedine* convenire; ac proinde nisi penes *albedinem* inter se mutuo conferantur.

ANIMADVERSIO.

218. Ut iis omnibus momentis fiat satis, quibus *relationum* existentia propugnari a rigidioribus Scholasticis solet, animadvertendum maximopere est, non aliud illis evinci, nisi dari in rebus *rationem* quandam *realem*, per quam, nullo cogitante intellectu, proxime aptæ sunt, ut, comparatione penes illam instituta, *relative* denominentur.

SECTIO TERTIA.

De ente essentialiter simplici, & composito.

DEFINITIO I.

219. ENs *essentialiter simplex* dicitur illud, *cujus essentia intrinsecus non constat ex pluribus reipsa distinctis inter se, atque a se mutuo separabilibus*. Sic Deus est *ens essentialiter simplex*; quippe in illius essentia plura distingui non possunt, ex quorum unione ipse consurgat.

DE-

Definitio II.

220. Illud vero ens *essentialiter compositum* vocatur, *cujus essentia ex pluribus consurgit reipsa distinctis inter se, & a se mutuo separabilibus*. Talis est homo. *Essentialiter* siquidem constat ex anima rationali, & corpore.

Scholion.

221. Loquor de compositione *reali*, seu *physica*. Compositio enim tum *metaphysica* ex *essentia*, & *proprietate*, tum *logica* ex *genere*, & *differentia*, non est, nisi lato modo, compositio.

Corollarium.

222. *Omne ens vel est essentialiter simplex, vel compositum*. Cujusvis enim entis essentia vel intrinsecus constat ex pluribus, vel non constat.

Definitio III.

223. *Ex sui nihilo* fieri aliquid dicitur, *cum ita fit, ut nihil prorsus antea in rerum natura extiterit, ex quo illud intrinsecus componatur, sive quod ad illius essentiam intrinsecus pertineat*. Sic anima rationalis dicitur fieri *ex nihilo sui*. Nihil est enim in rerum natura, ex quo praexistente tamquam ex parte, rationalis anima, veluti totum aliquid, *essentialiter* fiat: uno verbo, ita fit, ut nihil ejus fuerit, antequam ipsa fieret.

Definitio IV.

224. Abire dicitur *in nihilum sui, quod ita perit, ut nihil prorsus illius in rerum natura superfit*. Sic abiret homo, cum moritur, in *nihilum sui*, si neque anima, neque aliquid corporis in rerum natura post illius mortem relinqueretur.

Definitio V.

225. *Ex nihilo subjecti* res fieri dicitur, *cum res ipsa a subjecto, ut fiat, atque existat, non dependet*. Hoc modo fit humana mens, etsi, ut dicemus, in corpore producatur. Non enim ipsa sua natura ita dependet a subjecto, ut neque fieri, neque existere possit, quin in subjecto fiat, in eoque existat. Co-

COROLLARIUM.

226. Sumta substantia pro *ente per se existente*, *omnis substantia ex nihilo subjecti efficitur*. Quod enim *per se* existit, non dependet a subjecto (§. 155.)

DEFINITIO VI.

227. Dicitur res *in nihilum* abire *subjecti*, *cum perit*, *quin in subjecto*, *a quo natura sua dependeat*, *destruatur*. Sic humana mens abiret *in nihilum subjecti*, si in morte periret. Nullum quippe subjectum est, a quo ipsa mens natura sua dependeat.

COROLLARIUM.

228. *Omnis substantia*, *si pro ente per se existente ipsa sumatur*, *destrui nequit*, *quin in subjecti nihilum abeat*. Quod enim existit *per se*, a subjecto non dependet (155.).

SCHOLION.

229. Dicitur quoque fieri *ex nihilo subjecti*, quod fit ex nullo præexistente subjecto, tamquam ex parte essentiali determinabili, sicuti etiam abire *in nihilum subjecti*, quod ita perit, ut subjectum non remaneat, ex quo intrinsecus fit constitutum. Verum si *fieri ex nihilo subjecti*, & *abire in nihilum subjecti* hoc modo sumantur, *fieri ex nihilo subjecti* perinde est, ac *fieri ex nihilo sui*, & *abire in nihilum subjecti* idem prorsus est, ac *abire in nihilum sui*, ut rem expendenti fiet perspicuum.

DEFINITIO VII.

230. *Creatio est productio rei ex nihilo sui*, *& subjecti*. Duo nimirum requiruntur, ut res aliqua creari dicatur. Primum est, ut res fiat *ex nihilo sui*, videlicet ea ratione, ut nulla essentialis illius pars præexistat, antequam res ipsa fiat (§. 223.). Secundum, ut fiat, quin aliquod habeatur subjectum, a quo res ipsa in sua productione intrinsecus dependeat (§. 225.). Sic anima rationalis dicitur a Deo creari; quia nihil præexistit, ex quo mens ipsa intrinsecus componatur; neque a subjecto, in quo fiat, natura sua dependet.

DE-

DEFINITIO VIII.

231. *Annihilari* dicitur res, *cum ita deſinit eſſe, ut abeat in nihilum ſui, & ſubjecti*, videlicet ut nihil ipſius remaneat (§. 224.), neque a ſubjecto dependeat (§. 227.). Hoc modo periret humana mens. Quandoquidem nihil illius relinqueretur; neque ſubjectum poſtulat intrinſecus, ut exiſtat.

PROPOSITIO I.

Dari nequit ens compoſitum, quin vel detur ens ſimplex, vel proceſſus in infinitum in iis admittatur, quæ ipſum ens intrinſecus conſtituunt.

232. *Probatur*. Cum enim omne *ens* ſit vel *ſimplex*, vel *compoſitum* (§. 222.), hujuſcemodi quoque erit id omne, ex quo ipſum *ens* intrinſecus coaleſcit. Itaque ſi illud eſt *ens ſimplex*, jam patet, dari *ens ſimplex*, ſi habetur *ens compoſitum*. Si vero eorum quodlibet eſt *compoſitum*, quæro de ſingulis, cujuſcemodi ſint, atque ita deinceps in infinitum. Ergo &c.

PROPOSITIO II.

Non habetur ens compoſitum, dum a ſe mutuo ſeparata exiſtunt ea, ex quibus ipſum ens intrinſecus coaleſcit.

233. *Probatur*. Dum enim ea ſeparata ſunt inter ſe, ex quibus *ens* aliquod conſtare intrinſecus dicitur, nulla prorſus habetur compoſitio, utpote nihil ab unione diverſum. Ergo nullum quoque habetur *ens compoſitum*.

Confirmatur. Nam illa, ſi ſpectentur ut ſeparata, non ſunt *unum*, ſed *multa* (§. 33.). *Ens* autem *compoſitum* vere eſt, recteque dicitur *unum* (§. 39.). Ergo, poſita partium ſeparatione, nullum eſt *ens compoſitum*.

COROLLARIUM.

234. Hinc *ea omnia, ex quibus componitur ens, poſſunt reipſa exiſtere, quin ipſum ens in rerum natura habeatur*. Illa ſiquidem omnia poſſunt exiſtere, quin inter ſe mutuo ſint unita, ac proinde quin illud habeatur *ens*, quod ex illis conſtare dicitur. Profecto, facta ſeparatione animæ rationalis a corpore per mortem, non habetur

tur homo, & tamen tam anima, quam corpus tunc existunt.

PROPOSITIO III.

Ens compositum non est aliud reipsa ab iis omnibus simul sumtis & unitis, ex quibus intrinsecus coalescit.

235. *Probatur*. Ea, ex quibus intrinsecus constat *ens compositum*, simul sumta atque unita, sunt *unum ens* unitate *compositionis* (§.39.). Sunt enim aliquid, divisibile quidem in plura, sed reipsa in se indivisum. Ergo sunt illud ipsum *ens*, quod ex illis intrinsecus constare dicitur.

Confirmatur. In *ente composito* ea tantum nobis occurrunt, ex quibus constat intrinsecus, simul unita. Sic concipitur homo, cum percipitur humana mens corpori unita; neque aliud quidquam nobis in homine occurrit, nisi anima rationalis, corpus organicum, & eorum unio. Ergo *ens compositum* non est aliud reipsa ab iis simul sumtis & unitis, ex quibus intrinsecus coalescit. Sane non video, nec videre unquam potui, quomodo totum sit aliud reipsa a suis partibus simul sumtis & unitis, si, dum concipitur totum, nihil aliud, nisi omnes ipsæ partes simul unitæ concipiantur.

COROLLARIUM

236. Igitur, *ut ens compositum desinat esse, sufficit, ut ea separentur a se mutuo, ex quibus constat. Ut autem fiat, satis est, ut ea, ex quibus dicitur intrinsecus coalescere, simul debita ratione uniantur.* Nullum est enim *ens compositum*, dum ea separata sunt a se mutuo, ex quibus constat (§.233.); ipsumque nihil reipsa est diversum ab omnibus suis partibus simul unitis (§.235.).

PROPOSITIO IV.

Ens compositum est aliud reipsa a quolibet eorum, ex quibus intrinsecus constat, divisim ab aliis sumto.

237. *Probatur*. Nam *ens compositum* plura *essentialiter* involvit, ea scilicet omnia, ex quibus dicitur intrinsecus coalescere. Ergo est aliud reipsa a quolibet illorum, seorsim ab aliis sumto. Sic homo est aliud reipsa tum a corpore, tum ab anima, si divisim spectentur; cum sua in essentia tum animam, tum organicum corpus contineat.

PRO-

PROPOSITIO V.

Ens simplex non potest fieri, nisi ex nihilo sui.

238. *Probatur*. Cum enim *ens simplex* non constet ex pluribus (§. 219.), nihil haberi potest in rerum natura, ex quo praeexistente ipsum *ens* intrinsecus componatur. Illud namque esset pars intrinseca ipsius *entis*. Ergo *ens simplex* nonnisi ex *sui nihilo* potest produci (§. 223.).

PROPOSITIO VI.

Substantia simplex non potest fieri, nisi per creationem.

239. *Probatur*. Substantia simplex non potest fieri, nisi ex *nihilo sui* (§. 238.), & ex *nihilo subjecti* (§. 226.). Creatur autem, quod ex *nihilo sui*, atque *subjecti* efficitur (§. 230.). Ergo substantia simplex nonnisi per creationem potest produci.

PROPOSITIO VII.

Ens simplex perire nequit, nisi in sui nihilum abeat.

240. *Probatur*. Si namque ita periret *ens simplex*, ut aliquid illius relinqueretur, jam ex illo, tamquam ex parte, intrinsecus coalesceret. Ergo non esset *ens simplex* (§. 219.). Perire igitur haud potest *ens simplex*, quin in *sui nihilum* abeat (§. 227.).

PROPOSITIO VIII.

Non potest perire substantia simplex, nisi per annihilationem.

241. *Probatur*. Nam substantia simplex perire non potest, quin tum in *nihilum sui* (§. 240.), tum in *nihilum subjecti* (§. 226.) ipsa redigatur. Ergo perire nequit, nisi per annihilationem (§. 231.).

PROPOSITIO IX.

Potest fieri ens compositum, quin fiat ex nihilo sui.

242. *Probatur*. Enimvero, cum *ens compositum* ex pluribus intrinsecus

ſecus conſtet (§.220.), eaque poſſint eſſe hujuſmodi, ut eorum unum queat exiſtere, ceteris non exiſtentibus; ac proinde quin exiſtat ipſum *ens compoſitum* (§.234.), poteſt ipſum *ens* fieri ex uno illorum jam præexiſtente. Ergo produci poteſt, quin ex *ſui nihilo* producatur (§.223.).

C O R O L L A R I U M.

243. *Poteſt fieri ens compoſitum, quin creetur.* De ratione namque *creationis* eſt, ut res ex *ſui nihilo* producatur (§.230.).

P R O P O S I T I O X.

Interire poteſt ens compoſitum, quin in ſui nihilum abeat.

244. *Probatur.* Sicuti namque poteſt fieri *ens compoſitum* ex præexiſtente ſubjecto, ita poteſt perire, quin ea omnia ſimul pereant, ex quibus intrinſecus coaleſcit. Ergo interimi poteſt *ens compoſitum*, quin in ſui nihilum redigatur (§.224.).

C O R O L L A R I U M.

245. *Poteſt perimi ens compoſitum, quin illius deſtructio ſit annihilatio.* Id enim neceſſario poſtulat *annihilatio*, ut res in ſui nihilum abeat (§.231.).

P R O P O S I T I O XI.

Poteſt fieri ens compoſitum, quin ulla prorſus abſoluta entitas ex nihilo ſui producatur.

246. *Probatur.* Fit *ens compoſitum* hoc ipſo præciſe, quod ea ſimul uniantur, ex quibus dicitur ipſum *ens* intrinſecus coaleſcere (§.236.). Nulla autem producitur *abſoluta entitas* ex eo tantum, quod fiat aliquorum unio. Ergo poteſt fieri *ens compoſitum*, quin *abſoluta* aliqua *entitas* ex *ſui nihilo* producatur.

C O R O L L A R I U M.

247. *Poteſt fieri ens compoſitum, quin aliqua entitas abſoluta creetur.* Nihil enim creatur, ſi ex *ſui nihilo* nihil efficitur (§.230.).

PRO-

PROPOSITIO XII.

Poteſt deſtrui ens compoſitum, quin aliqua entitas abſoluta in ſui nihilum redigatur.

248. *Probatur*. Nam deſtruitur *ens compoſitum* hoc ipſo præciſe, quod ſeparantur ea a ſe mutuo, ex quorum unione illud conſurgit (§.236.). Nulla autem tunc perit *entitas abſoluta*, ut patet. Ergo perire poteſt *ens compoſitum*, quin *entitas* aliqua *abſoluta* in *ſui nihilum* abeat (§. 224.).

COROLLARIUM.

249. *Poteſt perire ens compoſitum, quin habeatur abſoluta alicujus entitatis annihilatio*. Non enim habetur *annihilatio abſoluta* alicujus *entitatis*, ſi nulla hujuſcemodi *entitas* in *ſui nihilum* redigatur (§.231.).

DISSERTATIO IV.

De cauſis.

ATtributum *cauſa* non minus *tranſcendentale* eſt, quam ſint ea, quæ hactenus explicavimus. Illud enim non ſpiritualibus tantum rebus, neque ſolum corporeis, ſed utriſque convenire, res eſt perſpicua. Pertinet igitur ad metaphyſicum contemplatio cauſarum. Quamobrem de his in hac quarta Diſſertatione & ipſi agemus.

SECTIO PRIMA.

De cauſis in genere.

DEFINITIO I.

250. NOmine *principii*, generatim loquendo, *intelligitur, id quod rationem continet, cur illud ſit, cujus dicitur principium; quodque proinde principiatum nuncupatur*. Sic quoniam pater & filius ita ſe habent, ut in patre contineatur ratio, cur filius exiſtat, pater dicitur *principium* filii, & filius *principiatum*.

Co-

COROLLARIUM I.

251. *Principium debet aliquò modo distingui a principiato*. Continetur enim ratio in *principio*, cur sit *principiatum*.

SCHOLION.

252. Dixi, *principium a suo principiato debere aliquo modo distingui*. Non enim necesse est, ut penes *essentiam* distinguantur. Pater quippe in Divinis vere est, recteque dicitur *principium* filii, licet eadem numero *essentia* in utroque habeatur.

COROLLARIUM II.

253. *Adest necessaria connexio inter principium, & principiatum*. Ita namque se habent, & sese mutuo respiciunt, ut unum ex altero colligatur.

COROLLARIUM III.

254. *Principiatum posterius aliquo modo est suo principio, ab eoque certa ratione dependet*, Ideo namque habetur *principiatum*, quia datur *principium*.

SCHOLION.

256. Posterioritas *principiati*, ejusque dependentia a suo *principio*, non semper sunt hujusmodi, ut hinc aliqua imperfectio in ipso *principiato* inferri jure ac merito liceat, adeo nempe ut nihil prorsus rationem *principiati* habere queat, quin sit imperfectum. Cum enim pater in Divinis vere sit principium filii, is posterior idcirco patre est, ab eoque dependet, neque tamen aliqua vel minima hinc in filio sequitur imperfectio. Itaque tunc solum posterioritas, & dependentia *principiati* a suo *principio* imperfectionem involvunt, cum *principiati* essentia ab essentia *principii* prorsus distinguitur, adeo nimirum ut *principiatum* sit omnino aliud a suo *principio*.

COROLLARIUM IV.

256. *Repugnat prorsus, ut idem, si cum eodem penes eandem rationem conferatur, sit simul principium, & principiatum*. Apetra quippe

contradictio eſt, ut unum ſit prius alio, eoque ſimul poſterius; ſimulque in eadem linea ab eodem dependeat, & non dependeat.

DEFINITIO II.

257. Dividitur *principium* in *principium rei*, & in *principium cognitionis*, ſeu in *principium eſſendi*, & in *principium cognoſcendi*. *Principium rei*, ſive *eſſendi*, dicitur illud, *per quod aliud eſt*. Illud vero *principium cognoſcendi* nuncupatur, *per quod aliud cognoſcitur*. Sic quoniam a patre habet eſſe filius, pater eſt *principium eſſendi* ipſius filii. Quoniam vero axioma illud: *impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe*, ad plura, quæ nos latent, cognoſcenda inſervit, *principium cognitionis* vocatur.

DEFINITIO III.

258. *Principium eſſendi* duplex eſt, *internum*, & *externum*; *Internum* dicitur, *quod ad rei eſſentiam, cujus eſt principium, intrinſecus ſpectat*. *Externum* autem vocatur, *quod ad eſſentiam principiati intrinſecus nequaquam attinet*. Sic pater eſt *principium externum* filii; *internum* vero anima atque corpus. Etenim anima & corpus ita reſpiciunt hominem, ut illius eſſentiam intrinſecus conſtituant. At vero patris eſſentia ab eſſentia filii prorſus diſtinguitur.

DEFINITIO IV.

259. *Cauſa* in genere dicitur *principium influens eſſe in aliud*, ſive clarius: *cauſa generatim ſumta eſt id, quod rationem continet, cur aliquo modo habeatur aliud natura diſtinctum*. Quod autem a *cauſa* ſuum eſſe recipit, *effectus* nuncupatur. *Cauſa* itaque dicitur *principium*, quod ſtat loco generis. Omnis enim *cauſa* principium eſt (§. 250.) cum rationem contineat, cur ſit *effectus*. At vero non omne principium eſt *cauſa*, cum non ſit de ratione *principii*, ut a ſuo *principiato* natura diſtinguatur (§. 252.). Pater proinde in creatis eſt vere *cauſa* filii. At in Divinis non eſt, niſi *principium*. In creatis namque pater diſtinguitur penes eſſentiam a filio, qui ſuum eſſe ab alio recipit: non ſic autem in Divinis, ut eſt manifeſtum.

COROLLARIUM I.

260. *Omnis ergo effectus poſterior natura eſt ſua cauſa, ab eoque eſ-* *ſen-*

sentialiter dependet. Effectus enim ita respicit causam, ut ab illa suum esse recipiat. Dependet igitur a causa quoad suum esse; & ideo non esset effectus, si nulla fuisset causa. Contra vero optime potest esse causa, quin habeatur effectus; cum ratio, cur existat causa, in effectu non comprehendatur.

COROLLARIUM II.

261. Quemadmodum fieri nequit, ut idem, si penes eandem rationem cum eodem conferatur, rationem simul habeat *principii*, & *principiati* (§.256.), ita repugnat prorsus, *ut idem, si alteri penes eandem rationem comparetur, sit illius simul causa, atque effectus*.

DEFINITIO V.

262. *Causalitas causæ* est *illa ratio in causa, propter quam habetur effectus*. Sic quoniam *actio* patris est ratio, cur existat filius, *actio* ipsa est *causalitas* patris in filium.

DEFINITIO VI.

263. *Conditio sine qua non* vocari id omne solet *quod necessario quidem requiritur, ut habeatur effectus, verum non ita, ut in illo sit ratio, cur effectus existat*. Sic appropinquatio ignis ad stuppam non est, nisi *conditio*, sine qua combustio haberi non potest. Etsi enim, appropinquatione sublata, fieri nequeat, ut stuppa comburatur, ratio tamen, cur fiat combustio, in ipsa appropinquatione minime comprehenditur.

DEFINITIO VII.

264. Causa porro vel *adæquata* est, vel *inadæquata*. *Adæquata* dicitur illa, *quæ adeo influit esse in effectum, ut totam ipsa in suo genere rationem contineat, cur sit effectus*. Contra vero *inadæquata* ea est, *quæ in suo genere totam rationem, cur sit effectus, minime comprehendit*. Sic ignis est *adæquata* causa combustionis. At vero pater non est causa filii, nisi *inadæquata*. In igne enim tota habetur ratio, cur fiat combustio. Contra vero tota non est ratio in patre, cur filius existat.

Corollarium I.

265. *Nihil ergo eſt in effectu, cujus ſufficiens ratio in adæquata ipſius effectus cauſa non contineatur.*

Corollarium II.

266. *Cauſa adæquata ita influit eſſe in effectum, ut ea poſita, omnique alia in eodem genere & ordine ſublata, effectus ipſe perfectiſſime exiſtat.*

Definitio VIII.

267. Dividitur poſtremo *cauſa*, quemadmodum *principium* (§.258.), in *intrinſecam*, & *extrinſecam*. *Intrinſeca* eſt illa, *quæ ita influit in id, cujus dicitur cauſa, ut illud eſſentialiter conſtituat*. *Extrinſeca* vero ea eſt, *quæ ad eſſentiam illius, cujus cauſa vocatur, intrinſecus conſtituendam minime ſpectat*. Sic lignum dicitur *cauſa intrinſeca* ſtatuæ, quæ ex illo fit; *extrinſeca* vero artifex, a quo efficitur. Fit enim ſtatua ex ligno, perinde ac totum ex parte. At non ita fit ab artifice, ut illius eſſentiam artifex ipſe ingrediatur, eamque conſtituat.

Genera cauſarum.

268. Ariſtotelis fuit opinio, omnium deinde Scholaſticorum firmata conſenſu, quatuor eſſe cauſarum genera, quæ ad habendum *ens compoſitum* neceſſario requiruntur, *materialem* ſcilicet, *formalem*, *efficientem*, & *finalem*. Vocant *materialem cauſam* id, *ex quo* præexiſtente fit compoſitum; *formalem* id, *per quod* compoſitum eſt tale *ens* in ſpecie; *efficientem* agens illud, *a quo* compoſitum producitur; *finalem* vero id, *propter quod* agens operatur, ipſumque compoſitum efficit. *Cauſam Ariſtoteles putat tribus modis dici*, inquit Seneca. *Prima cauſa eſt ipſa materia, ſine qua nihil poteſt effici. Secunda opifex. Tertia forma, quæ unicuique operi imponitur, tamquam ſtatuæ. Nam hanc Ariſtoteles idos vocat. Quarta quoque, inquit, his accedit, propoſitum totius operis* (a). His quintam addit Plato, quam *exemplar* dixit, ſive *ideam*; *eſt enim, ad quod reſpiciens artifex, id, quod deſtinabat, efficit* (b). Quinque igitur ſunt ex mente Platonis *cauſarum* ge-

(a) Epiſt. 66.
(b) Seneca Ibidem

genera, nimirum, teste eodem Seneca, *id*, ex quo; *id*, a quo; *id*, ad quod; *id*, propter quod; *novissime id*, *quod ex his est. Tamquam in statua id*, ex quo, *aes est*; *id*, a quo, *artifex est*; *id*, quo, *forma est*, *quae aptatur illi*; *id*, ad quod, *exemplar est*, quod *imitatur is*, *qui facit*; *id*, propter quod, *facientis propositum est*; *id*, *quod ex istis est*, *ipsa statua* (a). De singulis porro hisce causis infra agemus, earumque naturam nitide explicabimus. Modo expendendum paucis est, *an haec Platonica causae distributio sit idonea*; deinde *an idem numero effectus a pluribus causis adaequatis ejusdem generis, & ordinis simul esse possit*.

PROPOSITIO I.

Quinque causarum genera satis apte a Platone numerantur, scilicet materialis, formalis, efficiens, finalis, & exemplaris.

269. *Probatur*. Tot sunt genera causarum, quot sunt ea, quae diversa ratione influunt esse in aliud (§. 259.). Quinque autem haec sunt. Ergo &c. *Prob. min.* etenim primo cum ex nihilo nihil prorsus naturae viribus fieri possit, *subjectum*, sive *materia* requiritur, *ex qua* praexistente res producatur. Quoniam vero praexistens subjectum, ex quo res fit, pluribus *essentialiter* diversis est ex aequo commune, opus est *forma*, scilicet principio determinativo, *per quod* res ipsa in certa *entis* specie statuatur. *Neque enim*, inquit Seneca, *statua ista Doriphoros, aut Diadumenos vocaretur, nisi haec illi esset impressa facies* (b). Extrinseco quoque agente est opus, *a quo* res fiat. Ut enim nihil ex nihilo oriri potest, ita nihil, natura sua contingens, potest existere, quin ab alio producatur, sive quin existentiam ab alio recipiat (§. 148.). Porro cum certa res sit, nihil temere, vel fortuito fieri, aliquid admittendum necessario itidem est, *propter quod* ab agente fiat, quod ab illo efficitur. Quoniam demum agens ratione praeditum nihil molitur extra, nisi *exemplar* habeat, quod imitetur; aliqua etiam in ipso *exemplari* adest ratio, cur externum ipsum opus existat. Quinque igitur sunt, quae influunt, & quidem modo plane diverso, in esse alterius; ac proinde quae sunt hujusmodi, ut ratio *causae* illis merito optimoque jure conveniat; adeoque &c.

(a) Epist. 66.
(b) Ibidem.

PROPOSITIO II.

Fieri minime poſſe videtur, ut idem numero effectus habeat ſimul eſſe a pluribus cauſis adæquatis ejuſdem generis, & ordinis.

270. *Probatur*. Non poteſt idem numero effectus habere ſimul eſſe a duabus cauſis *adæquatis* ejuſdem generis, & ordinis, quin earum una ſimul ſit, & non ſit cauſa ipſius effectus. Id autem aperte repugnat (§. 128.). Ergo &c. *Prob. ſeq. majoris*. Cum enim cauſa rationem contineat, cur ſit effectus (§. 259.), illud non eſt alterius cauſa, quo ſublato, adhuc effectus ipſe perfectiſſime exiſtit. Una autem illarum cauſarum ſublata, perfectiſſime adhuc exiſtit effectus (§. 264); cum, quæ illius remanet cauſa, poſita ſit *adæquata*. Igitur illa non habet rationem *cauſæ*. Simul autem eſt cauſa per hypotheſim. Ergo &c.

Confirmatur. Nam ſi idem numero effectus poſſet ſimul eſſe a pluribus cauſis *adæquatis* ejuſdem generis, & ordinis, effectus ipſe ab una illarum ſimul perfectiſſime in eſſendo dependeret, & non dependeret. Dependeret enim; cum illa poſita ſit cauſa ipſius affectus *adæquata*. Non dependeret vero; quia nihil perfecto ab eo quoad ſuum eſſe dependet, quo ſublato, non minus, quam illo poſito perfecte exiſtit. Ergo &c.

Objecta diluuntur.

Poſteriori huic propoſitioni opponitur primo. Non repugnat, ut plura corpora ſimul ſint in eodem loco; ac proinde ut idem locus ſimul a pluribus repleatur. Ergo neque, ut idem effectus a pluribus adæquatis cauſis ſuum ſimul eſſe recipiat. Repletio ſiquidem loci ſpectari optime poteſt, veluti effectus corporis locum occupantis.

℞. *diſting. añs*: non repugnat, ut plura corpora ſimul ſint in eodem loco, ipſumque ſingula ſimul repleant, *nego añs*; ut ſint in eodem loco, quin tamen ſimul a ſingulis locus ipſe repleatur, *concedo añs*, & *nego conſeq*. Concedo itaque, evidentem in eo non eſſe repugnantiam, ut plura corpora ſimul ſint in eodem loco. Verum contendo, fieri tunc nequaquam poſſe, ut ſingula locum ipſum repleant. Locum quippe repleri a corpore, perinde eſt, ac locum ipſum ea ratione a corpore occupari, ut aliud quodcunque corpus ab eo excludat. Illud ergo dumtaxat corpus locum replet, quod in illo impenetrabiliter exiſtit. Quamobrem, dum in eodem loco plura ſimul

ſunt

ſunt corpora, a nullo eorum locus ipſe repletur, ſed divina virtute ita ſunt in loco, ut naturalis effectus poſitionis corporis in loco, ſcilicet loci repletio, penitus prohibeatur. *Inter dimenſionem, & dimenſionem*, inquit Doctor Subtilis, *non eſt repugnantia formalis, quia talis non eſt, niſi quoad idem ſubjectum; non autem ſunt in eodem ſubjecto; nec formaliter etiam, quia quanta non repugnant formaliter. Si ergo ſunt repugnantia, hoc non eſt, niſi reſpectu loci, ex eo ſcilicet, quod locus eſt ſpatium capax corporis. Sed unum corpus replet locum unum, quantum natus eſt repleri. Ergo aliud corpus quoad hoc opponitur ſibi, quia non poteſt habere effectum illum in illo loco....... Eſt ergo tantum oppoſitio virtualis, inquantum effectus unius cauſæ, qui eſt repletio loci, eo modo quo quantitas habet efficaciam, vel efficientiam reſpectu effectus, qui eſt eſſe in loco repletive, opponitur alteri cauſa naturali: ergo non repugnat corpori eſſe cum alio corpore, niſi quia eſt repletivum loci naturaliter, quantum aptus natus eſt impleri; ſed quia jam repletum eſt, non poteſt ibi eſſe, quia non eſt cum effectu ſuo, qui naturaliter ſequitur eſſe corporis in loco. Hoc autem non impedit, quin per potentiam divinam poſſit ibi eſſe; quia Deus poteſt facere cauſam naturalem ſine ſuo effectu, ſicut calorem poteſt facere ſine calefactione, ut patet in illis tribus pueris ex Daniele* (a).

Opponitur 2. Poteſt idem corpus ſimul eſſe in pluribus locis. Ergo etiam idem effectus ſimul a pluribus cauſis adæquatis.

℞. *neg. conſeq.* Corpus enim non dependet a loco, ſicuti effectus eſſentialiter dependet a ſua cauſa.

Opponitur 3. Si plures Sacerdotes ſuper eandem hoſtiam ſimul conſacrationis verba proferrent, eorum quilibet eam adæquate conſecraret; ac proinde eſſet cauſa adæquata ejuſdem effectus. Ergo &c.

℞. *diſting. ant:* eorum quilibet hoſtiam conſecraret, hoc eſt, ſignum poneret, quod ex divino pacto conſequitur tranſubſtantiatio, *concedo ant:* hoc eſt, eorum quilibet tranſubſtantiationem efficeret, *neg. ant*, & *conſeq.* Cum enim verba conſecrationis non ſint niſi ſignum, quo poſito, Deus ipſe tranſubſtantiationem efficit, una tantum eſt illius cauſa; ac proinde non ſequitur, eundem effectum a pluribus cauſis dependere. Deo porro perinde omnino eſt, ſive ab uno, ſive a pluribus ſimul, conſecrationis verba proferantur. Neque ab hiſce verbis ita determinatur Deus, ut ſi ad Deum referantur, rationem *cauſæ* habere poſſint.

(a) IV. *Sentent.* Diſtin. 49. q. 16. §. *Ad primum argumentum.*

SECTIO SECUNDA.

De causa efficiente.

271. Acturi de *causis* in particulari, ab *efficiente* initium sumimus. Hujusmodi quippe ipsa est, ut principem inter omnes locum teneat, eaque sola simpliciter, & absque addito, *causa* dicatur. Itaque

DEFINITIO I.

272. *Causa efficiens* dicitur illa, *quæ id efficit, cujus est causa* (a), seu *quæ ita agit, ut ipsius actio sit ratio, cur aliud in rerum natura existat*. Sic pater est *causa efficiens* filii; cum ab illius actione existentiam filius ipse recipiat.

SCHOLION.

273. Aristoteles *causam efficientem* definit *principium, a quo motus* (b), sive *a quo mutatio quævis in subjecto efficitur*. Hæc tamen definitio *effectrici* cuilibet *causæ* minime convenire videtur. Nemo siquidem est, quem lateat, creantem causam inter *efficientes* jure ac merito collocari, quamvis nullum ab illa subjectum mutetur; nullusque idcirco motus per illius actionem fiat. Itaque Aristotelica *efficientis causæ* definitio creatis tantummodo agentibus competit, utpote quæ sola cum subjecto, ut operentur, indigeant, principium dici possunt, a quo motus, sive mutatio efficitur.

COROLLARIUM.

274. Quoniam *actio* efficientis causæ est ratio, cur id existat, quod ab illa fieri dicitur, *causalitas hujusce causæ in illius actione posita est* (§. 262.).

DEFINITIO II.

275. Duo porro in qualibet *causa efficiente* distinguenda quamaccurate sunt, *potentia* scilicet *activa*, & *actio*. *Potentia activa causæ efficientis est illa virtus, ratione cujus causa ipsa valet alteri existentiam tri-*

(a) Tullius lib. *de Fato* cap. 15.
(b) Lib. II. *Physic.* cap. 3. & V. *Metaph.* cap. 2.

tribuere. Actio vero *est exercitium activæ potentiæ, per quod affectui existentia reipsa communicatur.* Agit siquidem *efficiens causa,* quatenus vim, qua pollet, exercet.

S C H O L I O N.

276. Cl. Volfius *actionem* definit *per mutationem status, cujus ratio in subjecto est, quod statum mutat* (a). Fateor, *actionem creatam* explicari hoc modo posse; cum certa res sit, causam creatam non posse agere, quin per suam actionem causa ipsa mutetur; certoque itidem constet, rationem hujusce mutationis in ipsa causa contineri. Verum, cum quæri ab aliquo possit, in quonam hujuscemodi mutatio posita sit, seu quidnam sit illud, per quod causa ipsa, dum agit, statum mutat, videtur, *actionem* creaturæ clarius per *exercitium internæ virtutis*, quam per *status mutationem*, explicari.

D E F I N I T I O III.

277. Dupliciter spectari solet atque sumi *efficiens causa* a Philosophis, nimirum *in actu primo*, ut ipsi ajunt, & *in actu secundo*. Dicitur sumi *in actu primo*, cum ea consideratur, *quatenus præcise valet alteri, quod modo non est, existentiam tribuere*, seu *quatenus præcise potest operari*. Dicitur vero sumi *in actu secundo*, cum ea ipsa spectatur, *quatenus existentiam reipsa alteri confert*, seu *quatenus vim, qua pollet, exercet, suumque effectum producit*. In primo enim statu causa ita nobis occurrit, ut sola *virtus activa*, seu *potentia operandi*, quæ dicitur *actus primus*, menti cogitanti reluceat. In secundo vero causa ipsa nobis ita se prodit, ut in illa *exercitium* pateat *virtutis*, quod *actus secundus* ipsius causæ nuncupatur.

C O R O L L A R I U M I.

278. *Notio causæ efficientis tam* in actu primo, *quam* in actu secundo *relativa est, hujusmodi scilicet, ut relationem ad effectum involvat.* Concipi siquidem illa nequit, ut *potens agere*, nisi id simul nobis occurrat, quod potest ab illa existentiam recipere. Nequit vero concipi, ut *agens reipsa*, nisi simul nobis id pateat, quod per illius actionem reapse existit. Hinc

Co-

(a) P. II. *Ontol.* §. 713.

COROLLARIUM II.

279. Sicuti per *relationem* diſtinctam non habet *cauſa efficiens*, ut *poſſit agere*, licet ſine *relatione* nequeat ſub hac ratione attingi; ita neque habet per *relationem*, ut *reipſa operetur*, etſi concipi haud poſſit, ut *actu operans*, quin ad exiſtentem effectum referatur. Videlicet ſicuti *potentia activa* non eſt *relatio*, ſed id, ratione cujus ad effectum *poſſibilem* efficiens cauſa referri poteſt; ita *actio* ipſa pro mera *relatione* habenda non eſt, ſed dicendum, eam eſſe id, ex quo mens fundamentum ſumit, ut cum effectu *exiſtente* cauſam ipſam conferat.

DEFINITIO IV.

280. *Terminus actionis* eſt id, *quod ipſa actione efficitur*. Sic filius eſt *terminus* actionis generativæ patris, utpote id, quod per eam fit; atque adeo quod actionem ipſam terminat.

DEFINITIO V.

281. *Actioni* in agente opponitur *paſſio* in termino. Definiri idcirco poteſt: *talis rei mutatio, ut per illam a* non eſſe *ad* eſſe *res ipſa transferatur*. Pati quippe rem, perinde eſt hoc loco, ac eam produci.

SCHOLION.

282. Loquendo de *paſſione*, quæ *creatæ actioni* reſpondet, non inficior, deſcribi eam poſſe cum Volfio *mutationem ſtatus, cujus ratio continetur extra ſubjectum, quod ſtatum mutat* (a). Dum enim cauſa efficiens creata operatur, neceſſario per ipſam actionem mutatur ſubjectum, a quo cauſa ipſa in operando dependet.

DEFINITIO VI.

283. Dividitur porro *actio* in *immanentem*, & *tranſeuntem*. *Immanens* vocatur *actio*, *cujus terminus in ipſo agente, tamquam in ſubjecto, recipitur*; *tranſiens vero, cujus terminus eſt in ſubjecto ab ipſo agente prorſus diſtincto*. Sic intellectio eſt actio *immanens*; *tranſiens* calefactio. Per intellectionem quippe nihil extra mentem intelligentem

(a) P. II. *Ontol.* ſ. 714.

tem efficitur. At vero plane distinctum est subjectum, quod per calefactionem mutatur.

DEFINITIO VII.

284. *Causa efficiens* triplex est, *physica*, *metaphysica*, & *moralis*. *Causa efficiens physica* dicitur illa, *quæ vera & reali actione aliud a se distinctum producit*. Sic pater in creatis est *causa efficiens physica* filii. Realis quippe ea actio est, per quam filius suam a patre existentiam recipit.

DEFINITIO VIII.

285. *Causa metaphysica* est illa, *quæ per realem actionem id quidem non efficit, cujus causa dicitur; verum, cum certa ratione hoc ab illa colligatur, atque ab ea dependeat, concipitur perinde prorsus, ac si vere & proprie ab illa produceretur*. Hujuscemodi causa est rei cujusque essentia, si cum *metaphysicis* ipsius rei *proprietatibus* conferatur. Ex eo enim, quod proprietates ipsæ ab essentia proveniant, concipiuntur non secus ac si ab illa, tamquam a vera sui causa, producerentur.

DEFINITIO IX.

286. *Moralis* demum *causa* ea est, *quæ licet reipsa in id non influat, cujus dicitur causa, attamen, prudentum judicio, perinde prorsus illa se habet, ac si reipsa in ipsum influeret*. Sic, qui homicidium suadet, *moralis* illius *causa* dicitur. Quamvis enim hominem vere non interficiat, dignus tamen est, cui crimen ipsum imputetur, quique illius auctor, sive causa habeatur.

DEFINITIO X.

287. Divisio altera *efficientis causæ* est in *principalem*, *instrumentalem*, & *occasionalem*. *Principalis* dicitur causa, *quæ ita influit in effectum, ut in illa vere contineatur ratio, cur effectus ipse existat*. Dicitur vero *instrumentalis*, *quæ absolute sumta rationem non continet, cur fit effectus, sed eatenus tantum agit, quatenus a causa principali movetur, eique ad effectum producendum inservit*. Sic artifex est *causa principalis* statuæ; *instrumentalis* vero scalprum. *Quod* enim agit, artifex est; *quo* vero agit, scalprum.

DE-

Definitio XI.

288. *Occaſionalis cauſa* dici ea ſolet, *quæ cauſæ principali occaſionem præbet, ut effectum producat, quatenus nempe illam movet, certoque modo ad effectum producendum determinat*. Sic nuces puero exhibitæ, ſunt illi *occaſionalis cauſa* motus. Non enim efficiunt motum, ſed puerum dumtaxat, ut moveatur, alliciunt.

Scholion.

289. Diſſimulandum nequaquam eſt, diviſionem *efficientis cauſæ* tam in *phyſicam*, *metaphyſicam*, & *moralem*, quam in *principalem*, *inſtrumentalem*, & *occaſionalem* non eſſe generis in ſpecies. Etenim neque *metaphyſicæ*, & *morali*, neque *inſtrumentali*, & *occaſionali* vere convenit generica notio *efficientis cauſæ*, quam initio dedimus.

Definitio XII.

290. *Cauſa* vere, & proprie *efficiens* vel *univerſalis* eſt, ſive *æquivoca*, vel *particularis*, ſeu *univoca*. *Univerſalis* dicitur illa, *quæ ad effectus diverſæ prorſus naturæ producendos ſeſe extendit*. Ea vero *particularis* nuncupatur, *quæ ad unum dumtaxat in ſpecie effectum, & quidem ejuſdem cum illa naturæ, producendum determinata eſt*. Hujuſmodi eſt homo; quippe qui nonniſi hominem generare poteſt. At vero Sol eſt cauſa *univerſalis*; cum ad eorum omnium, quæ in ſublunari mundo fiunt, ſi vera ſunt, quæ a Peripateticis traduntur, productionem concurrat.

Definitio XIII.

291. Eſt etiam *cauſa efficiens* vel *per ſe*, vel *per accidens*. *Cauſa efficiens per ſe* dicitur illa, *quæ ex ipſa ſua natura ad eum effectum producendum ordinata eſt, cujus cauſa dicitur*. *Cauſa* vero *efficiens per accidens* ea eſt, *quæ ex natura ſua*, ſive *ut talis*, *effectum ipſum non reſpicit*. Sic muſicus, quatenus muſicus, eſt cauſa *per ſe* cantus; *per accidens* vero ſtatuæ, ſi qua ab eo efficitur. De ratione enim muſici eſt, ut cantet; non autem ut ſtatuam efformet.

DE-

Definitio XIV.

292. *Causa efficiens per se* dividitur in *proximam*, & *remotam*, sive in *immediatam*, & *mediatam*. Prior est illa, *quam inter ipsumque effectum nulla alia ejusdem generis, & ordinis causa habetur, cui effectus ipse referri possit acceptus*. Posterior vero ea est, *inter quam, & ipsum effectum alia adest causa ejusdem generis, & ordinis, a qua ipse effectus dependet*. Sic pater est causa efficiens *proxima* filii, *remota* illius avus.

Definitio XV.

293. *Causa efficiens alteri subordinata* vocatur illa, *qua ita subjecta alteri est, ut in ipsa sua actione ab ea dependeat*. Sic causa quævis creata dicitur Deo *subordinata*. Adeo quippe a Deo in operando dependet, ut, Divino sublato concursu, nequeat quidquam moliri.

Definitio XVI.

294. *Naturaliter agere* dicitur causa, *qua juxta vires sibi proprias operatur*, adeo nempe *ut in ipsa causæ natura contineatur ratio, cur sic agat*. Dicitur vero *agere supernaturaliter*, *cum supra vires sibi proprias quidquam molitur*, seu *cum ita agit, ut ratio, cur sic agat, in ipsius causæ natura minime habeatur*. Sic ignis *naturaliter* lignum comburit; *supernaturaliter* vero homo meritorie operatur. Tota enim ratio, cur ab igne comburatur lignum, in ipsius ignis natura est; minime vero in natura hominis, cur ita agat, ut per ipsam actionem dignus fiat, cui æterna beatitudo conferatur.

Corollarium.

295. *Perspecta debet esse natura causæ, ut nobis certo constet, unum supernaturaliter, an vero naturaliter, quod efficit, ipsa efficiat*.

Definitio XVII.

296. Sumta *natura* pro intrinseco earum omnium sensibilium mutationum principio, quæ constanti lege in mundo contingunt, *naturalis causa* vocatur illa, *qua ad hujuscemodi principium intrinsecus spectat*. Illa vero ex adverso *supernaturalis* nuncupatur, *qua principium*

pium hjusmodi plane transcendit. Sic angeli sunt causæ *supernaturales*; *naturales* vero sol, astra, homo, & ceteræ id genus aliæ.

DEFINITIO XIX.

297. *Naturalis* dicitur effectus, *qui a causa naturali producitur*, seu *cujus sufficiens ratio in ipsa corporum natura continetur*. Contra vero *supernaturalis* vocatur, *cujus ratio sufficiens in natura corporum minime comprehenditur*. Sic combustio stuppæ *naturalis effectus* est; *supernaturalis* resuscitatio mortui. Illius enim datur ratio sufficiens in ipsa corporum natura. Hujus vero sufficiens ratio in natura ipsa non datur.

SCHOLION.

298. Effectus, qui naturæ vires transcendit, & plane superat, *miraculosus* etiam dicitur. Duplici autem modo potest effectus *miraculosus* nuncupari, scilicet *quoad substantiam*, & *quoad modum*.

DEFINITIO XX.

299. *Effectus miraculosus*, sive *supernaturalis*, *quoad substantiam* dicitur ille, *qui in se*, *sive* absolute *spectatus*, *non habet sufficientem rationem suæ existentiæ in corporum natura*. Ille vero dicitur *miraculosus*, seu *supernaturalis tantum quoad modum*, *qui non habet in natura rationem sufficientem* modi, *quo ipse efficitur*, *etsi* absolute *sumtus*, *vires naturæ nequaquam excedat*. Sic resuscitatio mortui est effectus miraculosus *quoad substantiam*; quia *absolute* sumta, est hujusmodi, ut sufficiens in natura non detur ratio suæ existentiæ. Contra vero instantanea recuperatio sanitatis, quæ intra certum temporis spatium obtineri potest viribus naturæ, non est effectus miraculosus, nisi *quoad modum*. Etenim nonnisi modi, quo ipsa fit, sufficiens deest ratio in natura.

DEFINITIO XXI.

300. Demum *necessaria* dicitur *causa*, *quæ naturæ sua ad operandum adeo determinata est*, *ut*, *positis omnibus*, *quibus ad agendum est opus*, *ipsa non operari nequaquam possit*. Sic ignis est causa *necessaria* combustionis; nam, posita appropinquatione illius ad stuppam, nequit stuppam non comburere.

SCHO-

SCHOLION.

301. Causa ad agendum, positis omnibus ad actionem prærequisitis, per suam naturam determinata, solet etiam *naturalis* nuncupari. Huic opponitur causa *libera*, de qua, cum de animæ potentiis res nobis erit, opportunius agemus.

PROPOSITIO I.

Quod nihil est reipsa, nequit esse efficiens alicujus causa.

302. *Probatur*. Etenim nulla reipsa habetur actio, si nulla reipsa detur virtus; Nulla autem reipsa est virtus; si nullum reipsa sit agens, quod illa præditum sit. Ergo, si reipsa nullum sit agens, nulla erit actio; ac proinde nullus effectus.

COROLLARIUM.

303. Itaque *nulla res, nullaque rei existentis perfectio potest esse a nihilo, ut a causa efficiente*

SCHOLION.

304. Hæc propositio, una cum iis, quæ sequuntur, eximii in universa Philosophia sunt usus. Recenseri autem solent inter *axiomata*, & quidem non immerito. Etenim nonnisi levi consideratione opus est, ut earum veritas percipiatur.

PROPOSITIO II.

Nullus effectus potest suam adæquatam efficientem causam perfectione superare.

305. *Probatur*. Cum enim, si secus, aliquid haberetur in effectu, cujus existentiæ sufficiens non esset ratio in causa, ipsa causa simul esset *adæquata*, & *inadæquata*. Esset quippe *adæquata* ex facta hypothesi. Non esset vero; cum non omnium eorum, quæ sunt in effectu, rationem sufficientem causa ipsa contineret. Repugnat autem, ut causa sit simul *adæquata*, & *inadæquata*, si penes eundem effectum consideretur (§. 128.). Ergo nullus effectus potest suam *adæquatam* efficientem causam perfectione superare.

Co-

Corollarium.

306. *Omnis ergo perfectio effectus debet formaliter, vel eminenter in adæquata illius cauſa contineri.*

Scholion.

307. Dicitur contineri in alio *formaliter*, quod ſecundum propriam *entitatem* in illa comprehenditur. Dicitur vero contineri *eminenter*, quod non eſt in alio, niſi quatenus illud, in quo dicitur contineri, eſt ipſo perfectius. Sic homo albus *formaliter* albedinem continet. At vero aurum nonniſi *eminenter* argentum comprehendit. Albedo enim eſt in homine quoad ſuam *entitatem*, adeoque ſecundum propriam *rationem formalem*. Contra vero argentum non eſt in auro, niſi quatenus hujus perfectio perfectionem illius ſuperat.

Propositio III.

Non minor requiritur virtus in cauſa ad rem conſervandam, quam ad eam primo producendam.

308. *Probatur*. Rei ſiquidem conſervatio eſt ejuſdem quædam veluti continuata productio.

Propositio IV.

Cauſa neceſſaria ſemper agit, quantum poteſt.

309. *Probatur*. Cum enim cauſa neceſſaria ex ipſa ſua natura determinata adeo ſit ad operandum, ut, omnibus poſitis ad actionem prærequiſitis, nequeat otioſa conſiſtere (§. 300.), manifeſte apparet, nullum gradum virtutis activæ poſſe in hujuſmodi cauſa, dum ipſa operatur, inoperatum manere. Potior namque non eſt ratio de uno, quam de ceteris omnibus, atque adeo de tota ipſa virtute, qua cauſa pollet. Ergo cauſa neceſſaria agit, quantum poteſt, ſeu ſecundum omnes ſuæ potentiæ gradus ſemper operatur.

Corollarium I.

310. *Cauſa neceſſaria ad agendum expedita producit ſemper effectum ſibi æqualem, ſcilicet hujuſmodi, ut ipſius cauſæ virtutem prorſus adæquet.*

Id

Id enim ex eo ad evidentiam sequitur, quod in hac causa nullus, dum operatur, activæ potentiæ gradus otiosus consistat. Hinc

Corollarium II.

311. *Causa necessaria, ad agendum expedita, æquales effectus temporibus æqualibus producit*. Posita namque temporum æqualitate, factaque hypothesi, ut ipsa causa secundum ultimum potentiæ suæ singulis momentis operetur, nulla est ratio, cur alter eorum effectuum debeat alterum perfectione superare.

Corollarium III.

312. Contra vero *inæquales sunt pro ratione temporum effectus illi, qui a causa necessaria ad agendum expedita temporibus inæqualibus producuntur*. Enimvero, si secus, causa ipsa inæqualiter singulis momentis ageret; ac proinde vel non esset semper sibimet eadem, vel secundum ultimum suæ potentiæ non semper operaretur.

Corollarium IV.

313. *Si duæ causæ necessariæ, atque ad agendum expeditæ, æquales fuerint inter se, earum effectus erunt* directe, *ut tempora*. Æquales nimirum erunt effectus, qui temporibus æqualibus ab illis fiunt; erunt vero inæquales, & quidem pro ratione temporum, qui temporibus inæqualibus producuntur. Etenim, si æquales sunt causæ, perinde se habent effectus, ac si ab eadem causa producerentur.

Corollarium V.

314. *Si duæ causæ necessariæ, atque ad agendum expeditæ, fuerint inæquales inter se, effectus, qui temporibus æqualibus ab illis producuntur, erunt* directe, *ut ipsæ causæ*. Illorum enim quilibet vim suæ causæ plane adæquat (§. 310.).

Corollarium VI.

315. *Si duæ causæ necessariæ, atque ad agendum expeditæ, fuerint inæquales inter se, agantque temporibus inæqualibus, earum effectus erunt* directe *inter se in ratione composita ex ratione ipsarum causarum, seu*

virium, quibus agunt, & ex ratione temporum, quibus operantur. Ut si virtus causæ A fuerit $= 3$, & virtus causæ B $= 4$, fueritque tempus, quo operatur causa A $= 5$, & tempus, quo agit causa B $= 2$, effectus productus a causa A erit ad effectum productum a causa B, ut 15. ad 8. Certum siquidem est, pro determinando valore horum effectuum, habendam esse rationem tum virium, quibus agunt ipsæ causæ (§. 314.), tum temporum, quibus operantur (§. 313.). Ex Mathesi autem constat, rationem $\frac{15}{8}$ esse compositam ex rationibus $\frac{3}{4}$, $\frac{5}{2}$ inter se multiplicatis. Ergo effectus, qui a causis A, B illis temporibus producuntur, erunt *directe* inter se, ut 15 ad 8; & universaliter si virtus causæ A ponatur $= a$, & tempus $= x$, virtus causæ B $= b$, & tempus y, effectus causæ A erit ad effectum causæ B, ut ax ad by.

PROPOSITIO V.

Quod est causa causę, est etiam causa causati.

316. Nimirum si A fuerit causa effectus B, ex quo effectus alter C originem trahat, erit C effectus etiam causæ A. Cum enim ex facta hypothesi ratio in A contineatur, cur existat B, & in B sit ratio, cur C existat (§. 272.), etiam in A erit ratio, cur habeatur C. Ergo A veram habebit rationem *causæ* respectu effectus C, non quidem *immediatę*, sed *mediatę* (§. 292.); adeoque &c.

SECTIO TERTIA.

De causa finali.

317. POst efficientem, *finalis causa* expendenda est, ejusque natura, quantum ad Metaphysicum attinet, investiganda. Nulla siquidem est causa efficiens, quæ agat quidquam, quin *finis* adsit, propter quem operetur, suumque effectum producat. Observandum itaque est, *finem* in *intrinsecum*, & *extrinsecum*, seu in *finem operis*, & in *finem operantis* satis apte distingui.

DEFINITIO I.

318. *Finis intrinsecus*, sive *operis*, dicitur id, *in quod ipsa sua na-*

tura

tura opus dirigitur. Sic quies in terræ centro est *finis intrinsecus* corporis gravis deorsum ruentis. Eo enim respicit motus corporis gravis deorsum ruentis, ut in centro terræ quiescat.

DEFINITIO II.

319. *Finis* vero *extrinsecus*, seu *operantis* id est, *propter quod agens operatur*, sive ut ait S. Augustinus, *propter quod facimus, quidquid facimus* (a). Sic lucrum est finis medici pharmacum ægro præscribentis, si propter lucrum medicinam ipsam ægro exhibeat. *Quid est propositum? quod*, inquit Seneca, *invitavit artificem, quod ille secutus fecit. Vel pecunia est hoc, si venditurus fabricavit; vel gloria, si laboravit in nomen; vel religio, si donum templo paravit* (b).

COROLLARIUM I.

320. *Movetur ergo efficiens causa a fine, ab eoque ad agendum veluti determinatur*. Neque enim propter aliquid operari potest efficiens causa, nisi ab illo ad agendum moveatur quodammodo, ac veluti determinetur.

COROLLARIUM II.

321. Quoniam res quævis creata eo tendit natura sua, quo in ipsa Mundi constitutione sapientissime a Deo directa est, *finis intrinsecus* creaturarum est ille, *quem Deus rebus ipsis initio constituit*. *Finis* vero earundem *extrinsecus* is est, *ad quem res ipsa libere a nobis diriguntur*. Hinc

COROLLARIUM III.

322. *Potest optime finis rerum extrinsecus cum fine earundem intrinseco coincidere*, si nimirum, quo a Deo res ipsæ ordinatæ sunt, eo itidem a nobis dirigantur.

DEFINITIO III.

323. *Finis extrinsecus* dividitur primo in *primarium*, & *secundarium*, tum in *proximum*, *remotum*, & *ultimum*. *Finis primarius* vocatur ille, *quem agens adeo respicit, ut, omni alia sublato, adhuc propter ip-*

(a) Lib. II. *de morib. Eccl.* n. 27. alias cap 15.
(b) Epist. 66.

sum operaretur. *Secundarius* vero ille dicitur, *quem non adeo respicit agens, ut, si esset solus, adhuc id, quod facit, efficeret*. Ut si quis naturalis Philosophiç studio navaret operam tum propter delectationem, quam inde capit, tum propter utilitatem, quæ hinc derivatur, hoc tamen discrimine, ut hujusmodi studio minime incumberet, si sola haberetur utilitas, bene vero, si sola delectatio, hæc esset finis illius *primarius*; illa vero *secundarius*.

DEFINITIO IV.

324. *Finis proximus* is est, *quem agens immediate respicit; remotus, in quem tendit mediate; ultimus* vero, *quo*, ut ait Tullius, *omnia, quæ recte fiunt, referuntur, neque id ipsum unquam refertur* (a). Sic Deus est *ultimus* rerum omnium *finis*. In Deum quippe tendunt omnia, quin Deus ipse referri ad aliud possit. Qui vero sua in pauperes erogat bona, ut, eos a miseriis sublevando, ipse a Deo misericordiam consequatur, levamen pauperum *finis* illi *proximus* est, *remotus* misericordiæ consequutio.

DEFINITIO V.

325. *Medium* vocari id solet, *quo agens finem consequitur*. Sic quoniam per opera bona beatitudinem obtinet homo, beatitudo *finis* est, opera *medium*.

PROPOSITIO I.

Finis veram habet rationem causæ.

326. *Probatur*. Cum enim *finis* causam efficientem ad operandum moveat, ac veluti determinet (§. 320.), rationem continet *finis*, cur causa ipsa operetur, atque adeo cur habeatur id, quod ab illa fieri dicitur. Ergo habet *finis* veram rationem *causæ* (§. 259.). *An enim non putas*, inquit Seneca, *inter causas facti operis numerandum, quo remoto, factum non esset* (b)?

COROLLARIUM.

327. *Finalis* igitur *causa* est id, *propter quod causa efficiens operatur, suumque effectum producit*. PRO-

(a) Lib. II. *de Finibus* cap. 2.
(b) Epist. 66

PROPOSITIO II.

Id, ratione cujus finis movet causam efficientem ad operandum, est bonitas ipsius finis.

328. *Probatur*. Etenim nullum agens operatur, ut quidquam obtineat, nisi quia illud sibi bonum est, seu conveniens. Ergo bonitas *finis* est id, ratione cujus causa efficiens ad operandum movetur a *fine*, ab eoque determinatur.

COROLLARIUM.

329. *Finis* ergo, & *bonum* convertuntur. Quamobrem, sicuti *bonum*, ita *finis* triplex est, *honestus*, *utilis*, & *delectabilis*. *Honestus* dicitur *finis*, *si regulis rectæ rationis consentiat*; *utilis*, *si ad aliquod commodum consequendum usui esse possit*; *delectabilis*, *si appetitum rationalem*, *vel sensitivum delectatione perfundat*. Sic virtus *finis honestus* est; *utilis* misericordia in pauperes; *delectabilis* rerum pulcherrimarum contemplatio.

PROPOSITIO III.

Finis habere reipsa non potest rationem causæ, nisi fuerit cognitus.

330. *Probatur*. Cum enim, quod nullo modo est, nihil præstare possit, debet *finis* aliquo modo existere, ut habeat reipsa rationem *causæ*. Re autem nequit existere eo modo, quo est *finis*; alioquin non operaretur causa, ut illud obtineret. Ergo existere debet *intentionaliter*, nempe *in cognitione*.

SCHOLION.

331. Cognitio non requiritur, nisi tamquam *conditio, sine qua non*. Opus enim cognitione non est, nisi ut potentiæ, quam movet, debite præsens *finis* existat.

COROLLARIUM I.

332. Manifestum hinc efficitur, *nonnisi agens rationis particeps operari posse propter finem*; ac proinde *Deo dumtaxat*, *angelis*, *atque hominibus hujuscemodi operandi modum convenire*.

SCHOLION.

333. Non inficior tamen, etiam agentia rationis expertia operari posse *propter finem*, non quidem ab ipsis, sed ab eo, a quo diriguntur, intentum.

COROLLARIUM II.

334. Quoniam errare in rebus cognofcendis adeo possumus, ut bonum nobis videri queat, quod reipsa malum est, *etiam malum habere potest rationem finis, non quidem prout malum, sed quatenus sub boni specie nobis apparet.*

PROPOSITIO IV.

Qui vult finem, velit quoque media ad finem, necesse est.

335. *Probatur.* Enimvero, cum fieri nequeat, ut agens, neglectis mediis, *finem* consequatur (§. 325.), velle agens non potest *finem*, quin ea itidem *media* velit, quæ ad illum consequendum necessario inserviunt.

SECTIO QUARTA.

De caufis materiali, & formali.

336. CAusas *materialem*, & *formalem* hic una complectimur, quod earum una sine altera recte intelligi, perfecteque comprehendi minime possit. Itaque, ut a *materiali* ordiamur, observandum est, triplicem materiam vulgo distingui, scilicet *ex qua*, *in qua*, & *circa quam*.

DEFINITIO I.

337. *Materia ex qua* dicitur id, *ex quo præexistente, tamquam ex parte determinabili, totum aliquod, sive compositum, intrinsecus constituitur.* Sic lignum est *materia ex qua statuæ.* Ex ligno namque præexistente, tamquam ex parte determinabili, statua efficitur.

DEFINITIO II.

338. *Materia in qua* id omne vocatur, *quod ita recipit aliud a se di-*

distinctum, ut per illud perficiatur, atque ad certum compositi genus determinetur. Sic corpus organicum est *materia in qua*, si ad animam referatur. Corpus quippe recipit animam, per quam in linea *viventis* constituitur.

COROLLARIUM.

339. Hinc *materia in qua* idem prorsus est, ac *subjectum* (§.152.).

DEFINITIO III.

340. *Materia circa quam* vocati id omne solet, *circa quod versatur activa potentia, cum aliquid efficit.* Sic lignum est materia, *circa quam* versatur faber lignarius, cum statuam, vel aliud quodcunque opus ex illo efformat.

COROLLARIUM I.

341. Eadem itaque res, si penes diversa consideretur, potest simul habere rationem *materiæ ex qua, in qua*, & *circa quam*. Constat enim, lignum esse materiam, *ex qua* fit statua, *in qua* fit figura, & *circa quam* faber lignarius occupatur. Hinc

COROLLARIUM II.

342. Divisio materiæ in *materiam ex qua, in qua*, & *circa quam* non est divisio *generis* in *species*, sed rei ejusdem penes diversa consideratæ. Dicitur namque *materia ex qua*, si referatur ad totum, quod ex illa fit (§.337.). Dicitur *materia in qua*, si cum ea, quam recipit, *entitate* comparetur (§.338.). Dicitur vero *materia circa quam*, quatenus ad eam, quæ circa illam versatur, potentiam refertur. (§.340).

DEFINITIO IV.

343. Nomine *formæ* generatim sumtæ venit id omne, *quod ea ratione in subjecto recipitur, ut ipsum determinet, certoque modo perficiat.* Sic anima dicitur *forma* corporis, quemadmodum etiam ligni figura. Anima enim recipitur in corpore, & figura in ligno; idque a figura, & corpus ab anima perficitur, eaque ratione determinatur, ut *unum* in specie *ens* inde consurgat.

Corollarium I.

344. Dependet ergo *ſubjectum* a *forma*, quam recipit, tamquam *determinabile* a ſuo *determinativo*. Hinc

Corollarium II.

345. Cum *materia in qua* idem ſit, ac *ſubjectum* (§. 339.) *materia in qua* hoc itidem modo dependet a *forma*, ſcilicet ut *determinabile* a ſuo *determinativo*.

Corollarium III.

346. Compoſitum quoque ex *ſubjecto*, & *forma* conſtitutum, habet ab ipſa *forma*, ut ſit *tale in ſpecie*, ſive ut *a ceteris omnibus eſſentialiter diſtinguatur*. Sic ab anima rationali, ex qua tamquam ex *forma*, & ex corpore, ut ex *ſubjecto*, conſtituitur homo, totum oritur diſcrimen, quod hominem inter, & cetera viventia corporea deprehenditur. Hinc

Corollarium IV.

347. Compoſitum, quod fit ex *ſubjecto*, & *forma*, dependet ab ipſa *forma*, tamquam ab eo, per quod *in ſpecie* eſt id, quod eſt.

DEFINITIO V.

348. Duplex porro eſt *forma*, *ſubſtantialis*, & *accidentalis*. *Subſtantialis* dicitur illa, *quę cum ſubjecto, cui advenit*, *unum per ſe conſtituit*. Illa vero *accidentalis* nuncupatur, *qua cum ipſo ſubjecto conſtituit unum per accidens*. Sic anima rationalis *forma ſubſtantialis* eſt; *accidentalis* rotunditas, quæ ligno advenit. Eſt enim *unum per ſe*, quod ex anima rationali, & corpore conſtituitur, ſcilicet homo. Quod vero fit ex ligno, & rotunditate, non eſt *unum*, niſi *per accidens* (§. 40.).

Corollarium.

349. Ut ergo *forma* ſit *ſubſtantialis* hoc ſenſu, opus nequaquam eſt, ut illa quoad ſuam *entitatem* ſit *ſubſtantia*, niſi prius oſtendatur, ex *ſubjecto*, & *accidente* fieri *unum per ſe* minime poſſe.

DE-

DEFINITIO VI.

350. *Formam educi de potentia materiæ, sive subjecti*, nihil est aliud, *quam eam ita fieri, ut necessario, saltem naturæ viribus, opus sit subjecto, in quo illa producatur, & conservetur*. Sic *rotunditas*, cum in ligno fit, dicitur ex *subjectiva* ligni *potentia educi*. Necessario quippe requiritur lignum, in quo *rotunditas* ipsa recipiatur, in eoque consistat.

COROLLARIUM I.

351. Igitur *forma, quæ de potentia subjecti educitur, necessario ab illo dependet in fieri, esse, & conservari*.

COROLLARIUM II.

352. Quoniam dependere a *subjecto* in *fieri, esse*, & *conservari*, perinde est, ac ipsam *formam*, quæ hoc modo a subjecto dependet, illi inhærere (§. 160.), *ea dumtaxat forma educitur de potentia subjecti, quæ ejus est naturæ, ut subjecto inhæreat*. Quamobrem,

COROLLARIUM III.

353. Sumta *substantia* pro *ente per se existente, nulla forma, quæ hoc sensu sit substantia, potest de potentia subjecti educi, sed ea tantum, quæ est accidens physicum*. Etenim huic tantummodo competit *subjecto* inhærere (§. 180.).

COROLLARIUM IV.

354. Triplex postremo potentia in *materia* distinguenda est, una scilicet *compositionis*, *informationis* altera, postrema *eductionis*. *Materia* quippe est in potentia ad *compositum*, quod ex illa præexistente constituitur; ad *formam*, quam recipit; & ad *formam*, quæ ex illa educitur. Cum enim non omnis *forma* educatur ex *materia*, alia est potentia in *materia*, ratione cujus perficitur a *forma*; alia, ratione cujus *forma* ex illa educitur.

PRO-

PROPOSITIO I.

Materia habet veram rationem cauſæ intrinſecæ reſpectu compoſiti, quod ex illa efficitur.

355. *Probatur*. Cum enim ex *materia*, tamquam ex parte determinabili, *eſſentialiter* conſtituatur compoſitum; ipſumque compoſitum ſit aliud reipſa ab ipſa materia; ex qua intrinſecus conſtituitur (§.237.), materia influit eſſe in compoſitum, quemadmodum ratio *cauſæ intrinſecæ* requirit (§.267.). Ergo materia eſt vera *cauſa intrinſeca* compoſiti, quod ex illa efficitur.

COROLLARIUM.

356. *Cauſa* igitur *materialis* compoſiti eſt id, *ex quo praexiſtente compoſitum ipſum ea ratione conſtituitur, ut in illo habeat rationem partis eſſentialis, ſed potentialis, ſive determinabilis*.

PROPOSITIO II.

Materia habet veram rationem cauſæ reſpectu formæ, quæ ex illa educitur.

357. *Probatur*. Forma, quæ ex materia educitur, adeo ab illa dependet, ut neque fieri, neque eſſe poſſit, quin ſit in materia, in eaque producatur (§.350.). Aliqua ergo continetur ratio in materia, cur exiſtat forma, quæ ex illa educitur. Ergo reſpectu hujuſcemodi formæ veram habet materia rationem *cauſæ* (§.259.).

COROLLARIUM I.

358. Itaque datur *materialis cauſa* formæ, eaque nihil eſt aliud, niſi *ſubjectum, ex quo praexiſtente ipſa forma educitur*.

SCHOLION.

359. Verum quoniam non omnis forma educitur ex potentia materiæ (§.353.) non omnis forma dependet in exiſtendo a *cauſa materiali*, ſed ea tantum, quæ ita materiam afficit, ut illi inhæreat.

Co-

COROLLARIUM II.

360. Cum materia sit *intrinseca* composito, quod constituit, & *extrinseca* formæ, quæ ex illa educitur, habeatque materia rationem *causæ* tum respectu *compositi*, tum respectu hujusce *formæ*, duplex *causa materialis* distinguenda est, *intrinseca*, & *extrinseca*. Ratio *causæ materialis intrinsecæ* stat in materia, cum ad compositum ex illa constitutum refertur. In ea vero stat ratio *causæ materialis extrinsecæ*, cum formæ, quæ ex illa educitur, eadem ipsa materia comparatur.

PROPOSITIO III.

Forma est vere causa intrinseca compositi, quod cum materia essentialiter constituit.

361 *Probatur*. Compositum est aliud reipsa a forma, ex qua fit (§. 237.); ipsaque forma ita influit esse in ipsum compositum, ut illud essentialiter constituat, & quidem taliter, ut ratio, cur compositum sit tale *ens* in specie, in ipsa *forma* contineatur (§. 346.). Ergo *forma* habet respectu compositi veram rationem *causæ intrinsecæ* (§. 267.).

COROLLARIUM.

362. *Formalis* ergo *causa* compositi est id, *per quod ipsum compositum est tale ens in specie*.

PROPOSITIO IV.

Forma veram habet rationem causæ etiam respectu materiæ, in qua recipitur.

363. *Probatur*. Etenim, cum per *formam* potentialitas *materiæ* determinetur (§. 346.), rationem continet *forma*, cur *materia* in una certa *entis* specie existat. Ergo etiam respectu *materiæ* habet forma veram rationem *causæ* (§. 259.).

COROLLARIUM I.

364. Hinc datur *causa formalis* etiam respectu *materiæ*, sive *subjecti*; eaque nihil est aliud, quam id, *per quod potentialitas ipsius subjecti determinatur*. Co-

COROLLARIUM II.

365. Duplex propterea est *causa formalis*, nimirum *intrinseca*, & *extrinseca*. *Causa formalis intrinseca* dicitur *forma*, si spectetur, quatenus tale in specie compositum *essentialiter* constituit. *Causa* vero *formalis extrinseca* ea ipsa *forma* vocatur, quatenus *potentialitatem materiæ* definit, in qua recipitur.

COROLLARIUM III.

366. Porro cum *forma*, quæ ex *materia* educitur, ipsius simul *materiæ potentialitatem* determinet, *mutua inter materiam*, & *formam ex illa eductam datur causalitas*. Quamobrem

COROLLARIUM IV.

367. *Mutua causalitas in diverso genere causæ haudquaquam repugnat.*

PROPOSITIO V.

Materia, & forma simul sumtæ, & unitæ non habent rationem causæ respectu compositi.

368. *Probatur. Materia* & *forma* simul sumtæ & unitæ, sunt illud ipsum compositum, quod fieri ex illis dicitur (§. 235.). Ergo, si sumantur hoc modo, non habent rationem *causæ* respectu compositi. De ratione namque *causæ* est, ut sit aliud reipsa ab eo, cujus dicitur *causa* (§. 259.).

SCHOLION.

369. Dissimulare non possum hoc loco, realem distinctionem compositi a *materia*, & *forma* simul sumtis, & unitis, pro qua, tamquam pro aris & focis, pugnant nonnulli, illegitime prorsus, nisi mea me fallat opinio, ex eo ab illis colligi, quod *materia*, & *forma* sumtæ hoc modo, sint vere causa compositi. Cum enim sit de intrinseca ratione *causæ*, ut ab eo, cujus *causa* dicitur, *realiter* distinguatur, haud recte profecto *materia*, & *forma* simul sumtæ, & unitæ veram respectu compositi habere dicuntur rationem *causæ*, nisi primo manifestum fiat, *materiam*, & *formam* hoc modo sumtas, a com-

composito, quod ex illis efficitur, reipsa distingui. Nequit ergo realis distinctio compositi a *materia*, & *forma* simul sumtis & unitis ex eo deduci, quod *materia*, & *forma* etiam sumtæ hoc modo, sint vere causa ipsius compositi, quin principium aperte petatur.

SECTIO QUINTA.

De causa exemplari.

Definitio I.

370. EXemplaris nomine intelligitur id, *quod respicit agens, dum operatur, ut ad illius similitudinem suum efficiat opus, atque perficiat*. Sic imago Cæsaris in pictoris imaginatione existens, *exemplar* est illius picturæ, quam pictor ipse ad illius formam effingit. Dividitur porro *exemplar* in *internum*, & *externum*.

Definitio II.

371. *Exemplar internum* est *idea rei facienda in artificis mente posita*, sive etiam *ipsius rei simulacrum ab artificis imaginatione effictum*. *Externum* vero est *res foris existens, quam agens, dum operatur, attendit*. Ut enim præclare more suo advertit Seneca, *nihil ad rem pertinet, utrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos; an intus, quod ibi ipse concepit, & posuit* (a).

Corollarium.

372. *Dirigitur ergo agens ab exemplari, quod respicit, dum operatur, ut opus illi simile sua operatione efficiat*. Neque enim agens potest *exemplar* imitari, nisi sua in operatione ab illo certa quadam ratione dirigatur.

PROPOSITIO UNICA.

Exemplar veram habet rationem causa.

373. *Probatur*. Enimvero, cum agens sua in operatione ab *exemplari* dirigatur (§. 372.), rationem aliquo modo continet *exemplar*, cur id habeatur, quod ab agente efficitur. Ergo veram & ipsum habet

(a) Epist. 66.

habet refpectu operis, quod fit ab agente, rationem *causæ* (§. 259.).

Confirmatur. Finis inter caufas numeratur, quia ab illo movetur agens, determinaturque ad operandum (§. 326.). Ergo etiam *exemplar* recenfendum eft inter caufas, quia agens fua in operatione ab illo dirigitur. Non enim videtur major ratio de eo, quod agens ad operandum movet, quam de eo, a quo, ut recte fuum perficiat opus, agens ipfum dirigitur.

COROLLARIUM.

374. *Exemplaris* itaque *caufa* eft id, *ad quod*, ut ait Seneca, *refpiciens artifex, id, quod deftinabat, efficit* (a).

(a) Epift. *66*.



ME-



METAPHYSICES
PARS SECUNDA.
PSYCHOLOGIA
sive
DE MENTE HUMANA.



Ontologia absoluta, *Psychologiam* aggredimur, eam scilicet Metaphysicæ partem, in qua prope divina illius substantiæ, per quam homo est homo, natura inquiritur, mira vis ostenditur, & immortalitas demonstratur. Non est idcirco, cur longo sermone palam a me fiat, quanta hujusce partis utilitas sit atque præstantia. Satis hac de re me dixisse arbitror, si id unum dixero, *rationalem* esse *animam*, quam *Psychologia* contemplatur. *Nihil enim potentius ista creatura, quæ mens dicitur rationalis*, inquit S. Augustinus, *nihil hac creatura sublimius: quidquid supra istam est, jam Creator est* (a). In tres itaque Dissertationes alteram hanc Metaphysicæ partem dividemus. Prima erit de natura mentis humanæ, ejusque origine. Secunda de mirabili commercio, quod inter ipsam mentem atque corpus est. Postrema de ejusdem mentis potentiis, *intellectu* scilicet, *memoria*, & *voluntate*.

(a) Tract. XXIII. in *Joannem* num. 6.

DISSERTATIO I.

De natura mentis humanæ, ejusque origine.

TRia in hac Dissertatione expendemus, nimirum primo: *an mens humana sit substantia spiritualis, num vero corporea*. Secundo: *utrum sit immortalis, an vero in morte una cum corpore pereat*. Postremo: *quæ sit illius origo*.

SECTIO PRIMA.

Expenditur, an humana mens sit substantia spiritualis, num vero corporea.

1. QUamvis fatear ingenue, abstrusam adeo esse humanæ mentis naturam, tamque profundam illius rationem, ut recte dixerit olim Heraclitus apud Laertium (a), *nunquam illam reperiri posse, quantalibet quis via spatia conficiat*; non propterea ab illius investigatione desistendum puto, ejusque considerationem non idcirco relinquendam. *Est enim illud quidem maximum,* inquit Tullius, *animo ipso animum videre: & nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, ut* se quisque noscat. *Non enim credo, id præcipit, ut membra nostra, aut staturam, figuramque noscamus: neque nos corpora sumus: neque ego tibi hæc dicens, corpori tuo dico. Cum igitur* nosce te *dicit, hoc dicit,* nosce animum tuum (*). *Nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum. Ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te. Hunc igitur nosse, nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi præceptum, sic, ut tributum Deo sit, hoc est, seipsum posse cognoscere* (b).

I.

2. Itaque *habere nos animum, cujus imperio & impellimur, & revocamur, omnes fatebuntur,* inquit Seneca; *quid tamen sit animus, ille rector dominusque nostri, non magis tibi quisquam expediet, quam ubi sit. Alius illum dicet esse spiritum, alius concentum quemdam, alius vim divinam, & Dei partem, alius tenuissimum aerem, alius incorporalem potentiam. Non deerit, qui sanguinem dicat, qui calorem* (c). Pro-

(a) Lib. IX.
(b) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 22.
(c) Lib. VII. *qq. natural.* cap. 24.

(*) Animam nosse jubet, qui præcipit: NOSCE TEIPSUM. *Plato* in *Alcibiade* I. vel *de natura hominis*.

Profecto, si veteres Philosophi consulantur, tam confusa est, tamque discors eorum de natura humanæ mentis opinio, ut hoc uno solum nomine *Viris recto judicio præditis laudanda videatur, quod eis illud propositum sit studium, ut se invicem hallucinari, minimeque vera afferre, arguant, & convincant* (a). Thales namque Milesius, ut refert Plutarchus, *animam censuit naturam irrequietam esse, & sua vi citabilem. Pythagoras numerum seipsum cientem. Plato substantiam intellectilem, per sese agitabilem, ad numerum se moventem harmonice modulatum. Aristotelem entelechiam primam corporis naturalis, potentia instrumenti vitam habentis* (*). *Dicaarchus elementorum quatuor harmoniam. Asclepiades medicus sensuum coexercitamentum. Anaxagorei aeris esse instar dixerunt, corpusque. Stoici fervidum spiritum. Democritus ignitum quoddam ex naturis concretum mente perceptis, globosam iis quidem ideam habentibus, igneam autem potentia, idque corpus esse* (**). *Epicurus temperamentum ex quatuor, ex quali igneo, ex quali aqueo, ex quali spirabili, ex quarto quodam innominato, quod ipsum sensibile est* (***). *Heraclitus animam mundi expirationem eorum, quæ in eo sunt, humidorum. Animantium vero animum simul ab extraria expiratione, simulque ab ea, qua intra fit, congenitum esse* (b).

(a) S. Justinus Martyr *Paræn. ad Græcos.*

(b) Lib. IV. de *placitis Philos.* cap. 2., & 3.

(*) Aristoteles longe omnibus (Platonem semper excipio) præstans & ingenio, & diligentia, cum quatuor nota illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quamdam naturam censet esse, e qua sit mens. Cogitare enim, & providere, & discere, & docere, & invenire aliquid, & tam multa alia, meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, lætari; hæc & similia eorum in horum quatuor generum nullo inesse putat. Quintum genus adhibet, vacans nomine, & sic ipsum animum *entelechiam* appellat novo nomine, quasi quandam continuatam motionem & perennem. *Tullius* lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 10.

(**) Democritum enim magnum quidem illum virum, sed levibus & rotundis corpusculis efficientem animum concursu quodam fortuito, omittamus. Nihil est enim apud istos, quod non atomorum turba conficiat. *Tullius* lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 11.

(***) Ea ipsa fuit Epicuri, quæ Democriti, de natura humanæ mentis sententia. Quod enim ex Epicuro *innominatum*, atque *sensile*, scilicet *principium sensus*, Plutarchus appellat, tenuissimis, maximeque rotundis, atque mobilibus, Epicuri quoque judicio, constare corpusculis, ex Laertio, atque Lucretio, ut alios omittam, aperta res est. Epicuri siquidem dogmata recensens Laertius in ejus vita, hæc habet: *ita erit firmissima probatio, quod animus sit corpus tenuibus partibus per totam congregationem seminatum*; unde *illa atomorum multitudine, quæ ad animæ naturam spectat, abscedente, rerum & soluto conventu toto, dispergitur anima*, utpote *ex levissimis atomis atque rotundissimis* composita. Ita vero rem eandem expressit Lucretius lib. III. de *rerum natura* v. 178.

Is tibi nunc animus quali sit corpore, & unde
Constiterit, pergam rationem reddere dictis.
Principio esse ajo persubtilem atque minutis
Perquam corporibus factum constare.

I I.

3. Verum neque defuit, qui animum prorsus de medio tolleret, hac una potissimum, inquit Cicero, ductus ratione, *quia difficilis erat animi, quid, aut qualis esset, intelligentia* (a). Dicæarchus certe, si illi credimus, in quodam sermone, quem Corinthi habitum, tribus libris exposuit, Pherecratem quendam Phthiotam senem disserentem inducit, *nihil esse omnino animum, & hoc esse nomen totum inane, frustraque animalia, & animantes appellari; neque in homine inesse animum (vel animam) nec in bestia: vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis æquabiliter esse fusam, nec separabilem a corpore esse; quippe quæ nulla sit, nec sit quidquam, nisi corpus unum & simplex, ita figuratum, ut temperatione naturæ vigeat, & sentiat* (b).

I I I.

4. Omnes itaque de humanæ mentis natura Philosophorum sententiæ ad duo veluti suprema capita revocari optime posse videntur. Vel enim hujuscemodi ponitur mens, ut nihil esse dicatur a corporea substantia diversum. Vel ejus ipsa dicitur esse naturæ, ut a corporea quavis substantia penitus distinguatur. Qui totum, quidquid in homine est, materialem ajunt esse substantiam, atque hoc tantum substantiæ genus dari contendunt, *materialistæ*, & etiam *monistæ* dicuntur. *Monistæ* quoque sunt, qui humanam mentem immaterialis quidem naturæ constituunt, sed realem mundi corporumque existentiam negant, idealem tantum admittentes, unde *idealistæ* vocari etiam solent. *Materialistis* ergo, atque *idealistis* illud commune est, ut unam tantum substantiam velint reipsa existere, illi nempe *corpoream*, hi vero *immaterialem*. Porro ab *idealistis* parum distare videntur *egoistæ*. Hi enim nonnisi sui existentiam admittunt, adeo nempe ut cetera quæcunque *entia*, sive corporea, sive immaterialia, de quibus cogitant, idealem tantum habere existentiam velint, seu ea omnia nihil prorsus esse ab iis ideis diversum, quas ipsi habent in anima, & circa quas versatur eorum mens, dum de rebus ipsis cogitant. *Dualistæ* demum dicuntur, qui duplex substantiæ genus, spiritualem scilicet, atque corpoream, reapse extare fatentur; unde & humanam mentem spiritualis esse naturæ contendunt, & realem corporum existentiam propugnant. *Materialismum* defendere conatur

(a) Lib. I. q. 7. *Tuscul.* cap. 22. (b) Ibidem cap. 10.

natur Hobbesius Philosophus Anglus, pro eoque stant cum aliis Tolandus, & Covvardus; neque ab illo abhorret Lokius; quippe qui opinatur, per corpusculorum motum posse humanæ mentis cogitationes explicari. *Egoismum* professus est Parisiis paucis abhinc annis quidam Malebranchii assecla, ut refert Volfius (a); neque Malebranchius ipse multum distare ab *egoismo* nonnemini visus est, utpote qui contenderat, hactenus non esse factum, neque posse fieri, ut realis corporum existentia ostendatur. *Dualismum* vero tutati sunt omnes melioris notæ Philosophi, & modo pro illo pugnant tamquam pro aris, & focis, quicunque non ad vanitatem, sed ad sobrietatem sapere cupiunt. Id unum ergo discutiemus in præsens, atque in eo nostra quammaxime versabitur disceptatio, ad quodnam substantiæ genus mens nostra revocanda sit; nimirum an humana mens sit sublimioris ordinis præstantiorisque naturæ, quam corporea quæque substantia; num vero sit talis, ut inter materialia entia collocari & ipsa jure ac merito queat.

DEFINITIO.

5. *Mens humana* dicitur illud principium, *quo homo cogitat*, seu *quo verum intelligit, bonumque vult, suarumque insuper perceptionum, ac volitionum conscius existit*. Dicta est autem *mens*, quatenus cogitandi vis ceteris præstantior est, atque in anima eminet (b). *Rationalis anima*, nec non *animus* vocari etiam solet. Dicitur *anima*, quatenus per eam homo vivit; *animus*, quatenus per eam sapit; *rationalis*, seu *rationis particeps*, quatenus homo per eam, ut ait Tullius, *consequentia cernit, principia, & causas rerum videt; earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adjungit, atque annectit futuras* (c).

COROLLARIUM.

6. *Nihil certius nobis est existentia mentis.* Nihil quippe nobis constat apertius, quam cogitandi principium in nobis existere, seu ita nos intelligere verum, & velle bonum, ut simul simus harum omnium operationum conscii. *Quid enim*, inquit S. Augustinus, *tam cognitionis adest, quam id, quod menti adest? aut quid tam menti adest, quam ipsa mens?* (d). Profecto, & ipsamet dubitatio argumento nobis

G 2

(a) *Psychol. rational.* Sect. I. cap. I. §. 38. edit. Veronensis.

(b) Vide librum *de spiritu*, & *anima* c. 11.

(c) Lib I. *de Officiis* cap. 4.

(d) Lib. X. *de Trinitate* n. 10. alias c. 7.

bis est vel evidentissimo de existentia mentis. *Vivere se, & meminisse*, ait S. Doctor modo laudatus, *& intelligere, & velle, & cogitare, & scire, & judicare, quis dubitet? Quandoquidem etiam si dubitet, vivit; si dubitat, unde dubitet, meminit; si dubitat, dubitare se intelligit; si dubitat, certus esse vult; si dubitat, cogitat; si dubitat, scit se nescire; si dubitat, judicat, non se temere consentire oportere* (a).

HYPOTHESIS I.

7. Citra dubitationis aleam esse puto, essentiam corporeæ substantiæ in eo esse positam, ut sit *ens natura sua impenetrabiliter extensum*, adeo nempe ut *extensio solida*, seu *impenetrabilis*, sit illud, quod primo nos movet, atque determinat, ut quod hujuscemodi deprehendimus, *corpoream* ipsum esse *substantiam*, seu *corpus*, sive *materiam*, censeamus. Hoc itaque pro certo in præsens habeo. Neque enim profecto determinabitur unquam, mentem humanam non esse substantiam corpoream, nisi prius nobis certo constet, quid hujusce substantiæ nomine intelligendum sit, & reipsa intelligatur. Arbitrariam porro non esse notionem hanc substantiæ corporeæ, testem experientiam ipsam appello, ne dicam illam corporis ideam, quæ nobis quodammodo congenita est, atque ab ipsa origine veluti menti nostræ insculpta (b).

SCHOLION.

8. Perinde est hoc loco, sive in *entitativa extensione*, sive in *naturali impenetrabilitate* formalis ratio corporeæ substantiæ statuatur. Satis enim in præsens est, habere pro re comperta, nullum esse corpus, quod *longitudine, latitudine, & altitudine careat* (c), sive quod ipsa sua natura non sit *impenetrabiliter extensum*, nihilque esse hujuscemodi, quod non sit corpus.

COROLLARIUM.

9. *Substantia corporea est in integrales partes divisibilis*. Extensum quippe *entitative* consurgit ex pluribus ea ratione simul unitis, ut unum extra aliud quoad totam suam *entitatem* existat; atque adeo illius naturæ, ut unum ab alia sejungi possit. Hinc vicissim

Co-

(a) Lib. X. *de Trinitate* n. 14. alias c. 10.
(b) Vide, quæ hac de re diximus in *Physica*
(c) S. Augustinus lib. *de quantitate animæ* num. 23. alias cap. 14.

COROLLARIUM II.

10. *Illa substantia non est materialis, quæ natura sua impenetrabiliter extensa non est; ac proinde neque in integrales partes divisibilis.* Materialis quippe non est substantia, cui corporeæ substantiæ ratio minime convenit, neque princeps ejusdem substantiæ inest proprietas.

HYPOTHESIS II.

11. Pro certo itidem habeo, affectiones primitivas substantiæ corporeæ esse *magnitudinem*, *figuram*, *motum*, *quietem*, & *situm*: primitivas, inquam, hoc est, tales, quæ primo, seu immediate corporeæ substantiæ conveniant; quæque proinde hujuscemodi sint, ut ceteræ omnes ipsius substantiæ proprietates, omnesque ejusdem operationes ex illis oriantur, & per eas explicentur. Veritas porro hujusce hypotheseos ex modo tradita notione materialis substantiæ manifesta est. Etenim *impenetrabiliter extenso*, prout tali, non convenit proxime & immediate, nisi posse certa *magnitudine*, atque *figura* determinari & circumscribi, *moveri* & *quiescere*; simulque tales habere partes, quæ *diversa ratione* collocari queant inter se, & *artificiose* componi.

COROLLARIUM.

12. Quemadmodum ergo illa substantia est *corporea*, cujus proprietates possunt per mechanicas affectiones explicari, ita ex adverso *illa substantia non est corporea, cujus proprietates atque operationes per affectiones mechanicas*, scilicet per *magnitudinem*, *figuram*, *motum*, *quietem*, & *situm corpusculorum*, ostendi nullatenus possunt. Hoc enim ipso *impenetrabiliter* non est *extensa*.

HYPOTHESIS III.

13. Certum postremo mihi est, *spiritualem eam esse substantiam, quæ non est corporea*. Ut enim præclare docet S. Augustinus, *quidquid corpus non est, & tamen aliquid est, recte jam spiritus dicitur* (a). Et sane, nisi pro spirituali ea habeatur substantia, quæ non est corporea, nullum habere potest locum, quæ de humanæ mentis spiritualitate instituitur, disceptatio. Certum est enim, quæri recte non

(a) Lib. XII. *supra Genesim* num. 16., *alias* cap. 7.

poſſe, num mens humana ſit ſubſtantia ſpiritualis, niſi primo, quid *ſpiritualis ſubſtantia* nomine intelligatur, apertum fiat. Res quoque videtur perſpicua, ſubſtantiam ſpiritualem duplici tantum modo poſſe deſcribi, nimirum *poſitive* ex illius operationibus nobis notis, & *negative*, ea ſcilicet omnia attributa illi denegando, quæ corporeæ ſubſtantiæ ineſſe cognoſcimus. Jam vero, ſi ſpiritualis ſubſtantia *poſitive* definiatur, dicendum proculdubio videtur, eam eſſe, quæ cogitat. Quamobrem nemo erit, qui de humanæ mentis ſpiritualitate, vel leviter dubitare poſſit; cum nemo ſit, quem lateat, humanam mentem cogitare (*§. 6.*). Relinquitur ergo, ut dicamus, ſpiritualem eam eſſe ſubſtantiam, quæ non eſt corporea; quippe hoc ipſo ſtat, queri optime poſſe, num humana mens ſit ſubſtantia ſpiritualis, hoc eſt, a corporea prorſus diverſa. Igitur

COROLLARIUM I.

14. *Ea ſubſtantia eſt ſpiritualis, quæ natura ſua neque impenetrabiliter extenſa eſt, neque propterea in integrales partes diviſibilis; neque talibus inſtructa proprietatibus, eoque modo operans, ut proprietates ipſa, atque operationes per magnitudinem, figuram, atque motum corpuſculorum oſtendi valeant, & explicari.* Hujuſcemodi namque ſubſtantia non eſt corporea (*§. §. 10. 12.*).

COROLLARIUM II.

15. Quoniam autem, quæ ſibi mutuo contraria ſunt, oppoſitam habent naturam, oppoſitaſque proprietates, & affectiones, *omnis ſubſtantia ſpiritualis ejus eſt natura, ut ſit entitative inextenſa, atque in partes integrales prorſus indiviſibilis. Hujuſcemodi quoque ſunt illius proprietates, atque operationes, ut per mechanicas corpuſculorum affectiones explicari nullatenus poſſint.*

SCHOLION.

16. *Spiritum* hoc loco ſumimus proprie, & in rigore, ſcilicet pro ſubſtantia diverſi omnino generis a corporea, præſtantioriſque naturæ. *Spiritus* quippe nomine, lato modo ſumti, ea etiam deſignari ſolet corporea ſubſtantia, quæ tenuis apprime eſt, & maxime vivida.

LEM-

LEMMA I.

Nihil eorum, quæ extra nos existunt, potest motionem aliquam nobis in cerebro excitare, nisi motum iis nervorum fibrillis primo communicet, qui ex interiori cerebri substantia prodeuntes, extimis nostri corporis partibus inseruntur.

17. *Probatur*. Nihil eorum, quæ sunt extra nos, tangere immediate potest interiorem substantiam cerebri. Ergo nihil prorsus eorum, quæ extra nos existunt, potest motionem aliquam nobis in ipso cerebro immediate excitare. Constat quippe experientia, ipsa etiam demonstrante ratione, communicationem motus peragi inter corpora neutiquam posse, nisi illa physice sese tangant. Manifestum porro est ex Anatome, ex innumeris pene partibus, quæ humanum corpus constituunt, nervos dumtaxat ita interiori cerebri substantiæ respondere, eique conjungi, ut nulla vel levissima motio in extremis etiam ipsorum nervorum partibus excitari queat, quin ad cerebrum usque deferatur, ejusque interiori substantiæ communicetur. Ergo, ut res, quæ extra nos existunt, aliquam nobis in cerebro motionem efficiant, necesse est, motum iis nervorum fibris primo communicent, qui ex interiori ipsius cerebri substantia, veluti ex radice, erumpunt, nostrique corporis extimis partibus inseruntur, & sensoria constituunt.

SCHOLION.

18. Deus tamen, atque angeli ab hac lege excipiendi sunt, eosque excipio. Res enim est certissima, motiones quascunque excitari in humano cerebro ab illis posse, quin ullam prorsus in extremis nervorum, ex interiori illius substantia prodeuntium, fibris motionem primo efficiant.

COROLLARIUM I.

19. *Nihil ergo eorum, quæ extra nos sunt, si Deum, atque angelos excipias, potest motionem aliquam nobis excitare in cerebro, nisi iis nervorum fibris communicare valeat motum, qui ex ipso cerebro ad extimas usque nostri corporis partes propagantur.* Si enim nulla rerum extra nos existentium potest motionem aliquam nobis in cerebro excitare, nisi motio ab illa primo fiat in extremis nervorum ex ipso cerebro

prodeuntium fibris, relinquitur profecto, nihil eorum, quæ extra nos existunt, aptum esse ad motionem aliquam nobis excitandam in cerebro, nisi ejus sit naturæ, ut valeat extremis illorum nervorum fibris motum primo communicare. Hinc

Corollarium II.

20. *Nonnisi qua proxime, & immediate sensibilia sunt, hoc est, hujusmodi, ut per sensus attingi possint, & attingantur reipsa, valent motionem nobis in cerebro excitare.* Hæc enim dumtaxat, ut patet ex Physica, ita afficiunt fibras nervorum, qui ex interiori cerebri substantia per universum corpus propagantur, ut motum illis fibris reipsa communicent.

Corollarium III.

21. *Ipsa quoque sensibilia secundum illam dumtaxat rationem valent nobis motum aliquem excitare in cerebro, secundum quam formaliter sunt proxime, & immediate sensibilia.* Sensibilia enim motionem in cerebro non excitant, nisi quatenus nerveis organorum sensoriorum fibrillis motum communicant. Hisce autem fibris motum non communicant, nisi quatenus sunt sensibilia. Ergo nonnisi quatenus sensibilia, cerebro quoque motum communicant.

Lemma II.

Plura extra nos posita reipsa percipit humana mens, quæ sensuum organa nullatenus afficiunt, seu quæ proxime & immediate non sunt sensibilia.

22. *Probatur.* Constat enim *primo*, nos percipere Deum, ejusque plura attributa, summam scilicet *veracitatem*, *bonitatem*, *justitiam*, atque *potentiam*, & quidem nullo limite circumscriptam; nihilque nobis in hisce notionibus relucere, quod aliquid vel minimum sensibilitatis contineat. Constat *secundo*, tres dimensiones ita a nobis in solido discerni, ut & *lineam* omni latitudine, & profunditate carentem, & *superficiem* nulla affectam profunditate nitide intelligamus, quamvis neque *linea*, neque *superficies*, si sumantur hoc modo, reipsa sint, nec esse possit; ac proinde etsi illæ organa sensuum haudquaquam afficiant. Ut enim olim egregie dixerat S. Augustinus Evodium alloquens, *sola longitudo nonnisi intelligi animo potest, in corpo-*

re

re inveniri non potest (a). Constat *tertio*, sensibus minime subiici Solis, Lunæ, astrorumque magnitudinem, eorum situm, celeritatem, atque distantiam tum inter se, tum a loco, a quo corpora ipsa cernimus, & tamen hæc omnia nitide a nobis intelligi, menteque comprehendi. Constat *quarto*, nos cognoscere intestinum in corporibus motum; corpora quæque mixta ex tenuissimis, visusque aciem omnino fugientibus, componi corpusculis; innumeris porulis ea omnia esse inspersa, simulque tenuissimam maximeque mobilem substantiam jugiter ex ipsis poris erumpere, & quoquoversus in orbem diffundi. Constat *postremo*, ut alia, & quidem plurima, compendii gratia, omittam, nos perspicue intelligere, atque, ut egregie advertit S. Augustinus, memoria tenere *numerorum, dimensionumque rationes, & leges innumerabiles, quarum nullam corporis sensus impressit; quia nec ipsa colorata sunt, aut sonant, aut olent, aut gustata, aut contrectata sunt. Audivi sonos verborum, quibus significantur, cum de his disseritur*, inquit laudatus S. Doctor, *sed illi alii, ista autem alia sunt. Nam illi aliter græce, aliter latine sonant; ista vero nec græca, nec latina sunt, nec aliud eloquiorum genus. Vidi lineas fabrorum vel etiam tenuissimas, sicut filum aranea, sed illa alia sunt; non sunt imagines earum, quas mihi nuntiavit carnis oculus. Novit eas quisquis sine ulla cogitatione qualiscunque corporis intus agnovit eas. Sensi etiam numeros omnibus corporis sensibus, quos numeramus; sed illi alii sunt, quibus numeramus, nec imagines istorum sunt, & ideo valde sunt. Rideat me ista dicentem, qui eos non videt, & ego doleam ridentem me* (b). Ergo &c.

Corollarium.

23. *Plura igitur extra nos posita percipit mens nostra, quæ nullam prorsus in cerebro motionem excitant.* Earum quippe dumtaxat rerum proprium est, motionem in cerebro excitare, quæ ita sensuum organa afficiunt, ut fibris nervorum ipsa organa constituentium motum aliquem, qui ad cerebrum usque propagari possit, & propagetur reipsa, dum illis occurrunt, communicent (*§.19.*).

Scholion.

24. Animadvertendum quamaccurate est, mihi prorsus sufficere hoc loco, ut res, quæ percipiuntur, etsi corporeæ sint, atque ex suo genere sensibiles, sensus tamen ipsos minime reapse efficiant. Hoc enim

(a) Lib. *de quantitate animæ* n. 10. alias cap. 6. (b) Lib X. *Confessionum* n. 19. alias cap. 12.

enim ipſo ſtat optime, quod modo contendimus, nullum ſcilicet motum a rebus ipſis, dum eas mente complectimur, nobis in cerebro excitari. Si namque externa ſenſoria ab illis non afficiuntur, nulla motio communicatur fibris organa ipſa conſtituentibus; atque hinc neque motio aliqua ab illis in cerebro excitatur, utpote quæ non habetur in cerebro, niſi ex propagatione illius motionis, quæ a rebus ipſis in organo externo efficitur (§. 17.).

L E M M A. III.

Mens humana plures rationes percipit in rebus ſenſibilibus, ſecundum quas formaliter res ipſa non ſunt ſenſibiles.

25. *Probatur.* Manifeſtum eſt, in rebus ſenſibilibus diſtincte a nobis concipi rationes *entis*, *poſſibilitatis* tam *logicæ*, quam *metaphyſicæ*, *ſubſtantiæ*, *eſſentiæ*, & *exiſtentiæ*, *principii*, & *principiati*, *cauſæ*, atque *effectus*; rationes quoque *unitatis*, *veritatis*, & *bonitatis*, *ſimplicitatis*, & *compoſitionis*, *neceſſitatis*, & *contingentiæ*, aliaſque plurimas id genus. Conſtat autem, res ipſas, ſi penes has rationes *formaliter* ſpectentur, non eſſe ſenſibiles. Neque enim per eas *formaliter* lucidæ ſunt, vel coloratæ, non ſapidæ, non odoræ, non ſonoræ, non duræ, aut molles, non lenes, aut aſperæ, non calidæ, aut frigidæ &c. Unde S. Auguſtinus de iis loquens quæſtionibus, quæ circa rerum *eſſentiam*, & *exiſtentiam* inſtitui ſolent, *cum audio*, inquit, *tria genera eſſe quæſtionum*, an ſit, quid ſit, quale ſit, *ſonorum quidem, quibus hæc verba confecta ſunt, imagines teneo, & eos per auras tranſiiſſe cum ſtrepitu, & jam non eſſe ſcio. Res autem ipſas, quæ illis ſignificantur ſonis, neque ullo ſenſu corporis attigi, nec uſpiam vidi præter animum meum, & in memoria recondidi non imagines earum, ſed ipſas, quæ unde ad me intraverint, dicant, ſi poſſunt* (a). Ergo &c.

C O R O L L A R I U M.

26. Hinc manifeſtum efficitur, *res ſenſibiles a nobis percipi etiam ſecundum rationes, ſecundum quas formaliter nullam prorſus motionem nobis in cerebro excitant, neque excitare poſſunt.* Per id enim *formaliter* res ſenſibiles extra nos poſitæ motionem in cerebro excitant, per quod *formaliter* ſunt ſenſibiles (§. 21.).

LEM-

(a) Lib. X. *Confeſſionum* n. 17. alias cap. 10.

LEMMA IV.

Cogitatio posita non est formaliter in certa quadam motione tenuissima maximeque mobilis substantiæ a rebus, circa quas cogitando versamur, nobis in cerebro excitata.

27. Cogitatio sumitur hoc loco, prout continet tum *perceptionem* rei *directam*, *judicium*, atque *discursum*, tum *perceptionem reflexam*, eam scilicet, per quam mens ita in *perceptionem directam*, *judicium*, atque *ratiocinationem* tendit, ut earum omnium operationum, atque hinc etiam sui ipsius, conscia fiat. Ita enim, ipsa teste conscientia, mens percipit, judicat, atque discurrit, ut se percipere, se judicare, seque ratiocinari simul itidem sciat. Hoc itaque posito, probatur assertio.

I.

28. Si namque *directa* rei *perceptio* nihil aliud esset *formaliter*, nisi certa quædam motio tenuissimæ maximeque mobilis substantiæ ab ea re, quæ percipitur, nobis in cerebro excitata, id dumtaxat percipi a nobis posset, & perciperetur reipsa, quod valet motionem hujuscemodi substantiæ nobis in cerebro excitare, eamque reipsa excitat; atque insuper, quod modo a nobis percipitur, secundum eam dumtaxat rationem perciperetur, secundum quam *formaliter* motio illa ab eo in cerebro efficitur. Perceptibile quippe dicitur, quod sui perceptionem excitare in nobis valet; quodque percipitur, secundum eam rationem dicitur a nobis percipi, secundum quam *formaliter* perceptio ipsa ab illo in nobis excitatur. Hoc autem vel evidentissime falsum est; cum nihil ferme nobis constet apertius, quam plura a nobis percipi, quæ ad aliquam motionem nobis in cerebro excitandam plane inepta sunt (*§*. 23.); simulque plura a nobis concipi, optimeque intelligi penes rationes, secundum quas *formaliter* nullam nobis in cerebro motionem excitant, neque excitare possunt (*§*. 26.). Ergo *directa* rerum *perceptio* posita *formaliter* non est in certa quadam tenuissimorum maximeque mobilium corpusculorum motione, ab ea re, quæ percipitur, nobis in cerebro excitata.

II.

29. Hinc neque *judicium*, neque *ratiocinatio* potest in corpusculorum motione collocari. Hæc enim utraque mentis operatio adeo a *perceptione* dependet, ut, *perceptione* seclusa, neutra esse possit. Ceterum,

terum, dato etiam, *perceptionem* nihil eſſe a corpuſculorum motione diverſum, adhuc ſtat, *judicium*, atque *diſcurſum* minime poſſe in corporea motione conſtitui. Et quidem in primis quod ſpectat ad *judicium*, cum mens affirmative judicet, quatenus duas ideas ſimul conjungit, ſi judicium nihil eſt aliud, quam certa quædam corpuſculorum motio, judicium affirmativum poſitum erit *formaliter* in unione earum motionum, in quibus notiones *ſubjecti*, & *prædicati* conſiſtunt. Alia autem eſt motio corpuſculorum, in qua notio *ſubjecti*, alia, in qua notio *prædicati* poſita eſt. Igitur in *judicio affirmativo* ſimul miſcentur corpuſcula diverſo motu affecta. Miſceri autem nequeunt, quin novam motus determinationem acquirant; ac proinde quin alio motu a priori plane diverſo agitentur. Ergo per *judicium affirmativum* peribunt prorſus illæ corpuſculorum motiones, quibus *ſubjectum*, & *prædicatum* antea exprimebantur. Conſtat autem, notiones *ſubjecti*, & *prædicati* haudquaquam in *judicio* extingui. Ergo *judicium affirmativum* non eſt unio corpuſculorum, quæ ſecundum diverſas determinationes in cerebro moveantur.

Quod vero attinet ad *diſcurſum*, illud certum eſt, totum *affirmativæ ratiocinationis* opus in eo eſſe poſitum, ut ex unione duarum idearum cum tertia unio illarum inter ſe colligatur, quin ex hac unione aliqua ipſarum idearum pereat, aut aliqua hinc fiat confuſio, per quam notiones ipſæ diſcerni a ſe mutuo non amplius poſſint. Igitur, ſi *ratiocinatio* non eſt, niſi certa corpuſculorum motio peracta in cerebro, unientur in *ratiocinatione* duæ diverſæ motiones corpuſculorum ſimul cum tertia ab illis prorſus diverſa, & ex hac unione emerget unio illarum duarum motionum inter ſe, quin aliqua vel minima inter eas confuſio fiat; ac proinde quin ex contactu corpuſculorum diverſa ratione agitatorum mutentur eorum determinationes, & nova in illis excitetur motio, priori prorſus extincta. Hoc autem impoſſibile omnino eſt, demonſtrante experientia, nec repugnante ratione, corpuſcula diverſo motu affecta ſimul miſceri nequaquam poſſe, quin ex mutuo contactu determinationes ipſorum mutentur, & nova hinc motio in illis fiat. Ergo plane repugnat, ut ratiocinatio a certa corpuſculorum motione peracta in cerebro minime diſtinguatur.

I I I.

30. Quod demum ad eam operationem ſpectat, per quam mens ſuarum *perceptionum*, *judicii*, atque *diſcurſus* conſcia efficitur, tanta evidentia conſtare puto, per corpuſculorum motionem id explicari

non

non posse, ut a nullo, qui rem æquo attentoque animo expenderit, illud jure queat in dubium verti. Neminem quippe latet, eandem esse mentem, quæ percipit, judicat, & discurrit, quæque simul scit, certoque cognoscit, se percipere, judicare, atque discurrere. Ergo eadem debent esse corpuscula, quæ simul moveantur, tum prout exigit *perceptio directa*, *judicium*, & *ratiocinatio*, tum prout postulat *perceptio reflexa*; ac proinde quæ duplici simul motu affecta sint, quorum alter alterum exprimat, quin sese mutuo turbent ne quidem levissime. Id autem, ut ex Physicis constat, motuum legibus penitus contrarium est. Ergo dicendum, cogitationem ab omni corpusculorum motione, quę fieri in cerebro queat, toto cęlo differre.

C o r o l l a r i u m.

31. Quoniam *magnitudo*, & *figura*, si spectentur *absolute*, sive *secundum se*, sunt affectiones prorsus inertes, & de genere sterilium, nequit in motione corpusculorum statui cogitatio, quæcumque *magnitudo*, vel qualiscunque *figura* illis corpusculis tribuatur. Quamobrem stat, *cogitationem esse operationem præstantis adeo ordinis, atque naturæ, ut nullatenus possit*, quidquid dicat Lokius, aliique cum eo, *per mechanicas corpusculorum affectiones explicari*.

PROPOSITIO I.

Mens humana est entitative substantia, hoc est, ens per se existens.

32. *Probatur*. Quia, si mens humana non est *entitative* substantia, seu *ens per se existens*, cum substantiam inter atque accidens non detur medium (P. I. §. 182.), mens ipsa erit accidens physicum. Hoc autem plane falsum est. Ergo mens humana est *entitative* substantia. *Prob. min.* etenim mens humana non potest esse accidens physicum, nisi sit accidens substantiæ vel corporeæ, vel spiritualis. Neutrius autem potest esse accidens. Non enim spiritualis; quia vel nulla est substantia hujuscemodi, vel si qua datur, ea non est, nisi substantia cogitans, ac proinde aliquod ejusdem naturæ, ac ipsa mens. Neque corporeæ; quia tunc cogitatio esset actio corporeæ substantiæ; ac proinde nihil diversum a certa quadam determinataque motione particularum materiæ; cum ex omnibus corporeæ substantiæ affectionibus, motus dumtaxat rationem *activi* habeat; nullaque sit corporeæ substantiæ operatio, quæ per motum particularum, ut patet ex Physica, non explicetur. Differt autem cogitatio a quavis motione particularum materiæ (§. 27.). Ergo &c.

Co-

COROLLARIUM.

33. *Mens humana subjecto intrinsece, sive natura sua, non indiget, ut existat*. Ut enim diximus alibi (P. I. §. 158.) *perseitas* excludit intrinsecam dependentiam rei a subjecto in existendo.

PROPOSITIO II.

Mens humana est aliquid omnino diversum ab ea tenuissima, maximeque mobili ac vivida substantia, qua ex puriori sanguine in cerebro elaboratur.

34. *Probatur*. Cum enim omnis actio illius vividæ actuosæque substantiæ, quæ ex puriori sanguine elaborari in cerebro dicitur, nihil sit a certo corpusculorum motu diversum, nequit humana mens in illa vivida actuosaque substantia *formaliter* collocari, quin ipsa itidem cogitatio in certa corpusculorum motione, quæ in cerebro fiat, *formaliter* statuatur. Constat autem, cogitationem ab omni corporea motione, quæ fiat in cerebro, toto cœlo differre (§. 27.). Ergo mens humana est omnino aliud ab ea vivida substantia, quę ex puriori sanguine in cerebro perficitur.

COROLLARIUM I.

35. *Mens humana non est substantia ex tenuissimis maximeque mobilibus conflata corpusculis, qua certis determinatisque legibus, pro cogitationum discrimine, intestino motu agitentur*. Tunc enim cogitatio nihil esset aliud, quam certa quædam corpusculorum motio ex rerum externarum appulsu in cerebro excitata.

COROLLARIUM II.

36. *Humana mens neque est subtilior aeris, aut ignis, vel alterius vivida actuosaque substantia portio in humani corporis penetralibus residens, neque elementorum mixtio, harmonia, vel combinatio, neque temperies primarum qualitatum, sive elementorum, neque demum aliud quidquam ex iis substantiis, sive naturis elaboratum, qua in hoc mundo aspectabili nobis innotescunt*. In horum enim nullo constitui potest mens, quin fateri cogamur, cogitationem nihil esse a corpusculorum motu diversum. Præclare idcirco Tullius, *animarum*, inquit, *nulla in ter-*

ris

vis origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fixum esse videatur. Nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura prævideat, & complecti possit præsentia, quæ sola divina sunt; nec invenietur unquam, unde ad hominem venire possit, nisi a Deo. Singularis est igitur quædam natura atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cœleste & divinum est, ob eamque rem æternum sit necesse est. Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens, ipsaque prædita motu sempiterno (a).

COROLLARIUM III.

37. Quod de humana mente diximus, de quavis cogitante substantia intelligendum est, dicendum scilicet, *substantiam cogitantem ab omni eo penitus differre, quod atomorum turba conficiat*.

PROPOSITIO III.

Mens humana non est substantia in integrales partes reipsa divisibilis.

38. *Probatur*. Vel enim quælibet illarum partium integralium, in quas ponitur humana mens reipsa posse secari, seorsim ab aliis sumta, vi cogitandi prædita est, vel hac vi penitus est destituta. Neutrum dici potest. Ergo mens ipsa non est substantia in integrales partes divisibilis *Prob. min.* Nequit dici primum. Nam, si quælibet illarum partium seorsim sumta ab aliis posset cogitare, quælibet esset tota mens, ac proinde earum una dumtaxat in nobis existeret, nisi forte plura cogitandi principia simul in uno homine extare velimus. Porro nisi cogitans illa particula ponatur integralibus carere partibus, redit argumentum, ut patet, atque ita in infinitum. Alterum quoque dici non potest. Si namque nulla illarum partium, divisione posita, vi cogitandi pollet, tota quoque substantia ex illis conflata, eadem ipsa vi penitus careat, necesse est; cum ex inertibus, experientia teste, fieri nequeat totum integrale vi activa donatum, nisi for-

(a) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 27. Vide S. Augustinum lib. X. de *Trinitate* num. 8., & seq.

fortasse aliquis velit, unioni, qua partes illæ simul copulatæ sunt, cogitandi vim acceptam referre.

Evidentius autem id adhuc fiet, si omnes illæ integrales partes inter se homogeneæ statuantur. Eadem quippe tunc erit totius ipsius substantiæ, ac singularum partium, ex quibus constat, natura; & ideo aut illæ singulæ cogitare poterunt, aut etiam tota ipsa substantia erit cogitandi vi penitus destituta.

Si quis dicat, integrales eas partes non esse omnino inertes, sed pollere vi cogitandi, non quidem adæquata, & totali, sed partiali & inadæquata; contra est, quia sicuti tota vis cogitandi, sive adæquatum completumque cogitationis principium, ex pluribus partialibus principiis intrinsecus constituitur, ita quævis perceptio ex pluribus partialibus perceptionibus constaret, & una fieret. Neque enim perceptio indivisibilis esse potest, si indivisibile non sit principium, ex quo illa ita provenit, ut simul in eo, tamquam in subjecto, recipiatur. Quæro igitur, quomodo res se habeat, cum una simplicissima penitusque indivisibilis ratio, *entis* nimirum, *veri*, *boni &c.* a nobis percipitur. Vel enim quælibet illarum partialium perceptionum rationem illam exprimit, vel non. Si primum: ergo frustraneæ sunt reliquæ. Sin alterum: ergo neque omnes simul sumtæ eam exprimere, nobisque repræsentare valebunt. Mente quippe complecti non possum, quomodo, si nulla partialium earum perceptionum aliquid vel minimum exprimit simplicissimæ illius *formalitatis*, eam omnes simul sumptæ exprimere valeant, mentique cogitanti exhibere.

Quod si perceptio simplicissimæ *formalitatis* ponatur omnino simplex, aperta res est, neque percipiendi principium, mentem scilicet ipsam, ex pluribus integralibus partibus coalescere posse; cum omnis perceptio, utpote certa quædam modificatio mentis, in illa, veluti in subjecto, recipiatur.

Nobis porro ne leviter quidem officit, plures in humana mente vires distingui, *percipiendi* nempe, *judicandi*, & *ratiocinandi*, nec non *appetendi*, quod bonum est, idque *nolendi*, quod est malum; non officit, inquam; quandoquidem hinc minime sequitur, mentem humanam pro virium numero atque discrimine, in plures dissimilesque partes posse reipsa secari. Ipsa etenim teste conscientia, notum cuique est, eandem penitus in nobis esse rem, quæ hasce omnes operationes elicit; utque præclare advertit, & explicat Auctor libri de *Spiritu*, & *anima* cap. 19. *anima in quibuscunque suis motibus, vel actibus tota simul adest. Tota videt, & tota sonorum reminiscitur: tota odorat, & tota odores recolit: tota per linguam & palatum sapores sentit,* di-

discernitque: tota tangit dura, vel mollia: tota simul approbat, & reprobat. Calida vero, vel frigida summo tantum digito tota discernit. Tota est visus, tota est auditus, tota meminit, & cum tota meminit, tota est memoria; cum tota vult, tota est voluntas; cum tota cogitat, tota est cogitatio; cum tota diligit, tota est dilectio. Contrasium autem quisque in seipso experiretur, si integralis una suæ mentis pars perciperet, altera judicaret, ratiocinaretur alia, unaque vellet, & nollet altera. Nobis insuper notum esset, unam tantummodo mentis nostræ partem, eam scilicet, quæ vi percipiendi prædita est, scire, quid præstent aliæ; quæ autem vult, ignorare prorsus se velle, sibique bonum esse, quod appetit. Si enim hæc pars noscit, quod ipsa vult, jam eadem pars duplici simul donatur potentia, *volendi* nempe, ac *percipiendi*, quin in duas & ipsa sit partes discreta. Id ergo non impedit, quominus mens pluribus simul viribus polleat, quin plures in ea integrales partes discerni possint.

COROLLARIUM.

39. *Substantia cogitans integralibus caret partibus, in quas reipsa possit resolvi.* Hujuscemodi quippe esset etiam humana mens, si qua cogitans substantia integrales partes complecteretur.

PROPOSITIO IV.

Mens humana non est substantia entitative extensa.

40. *Probatur.* Mens humana nequit esse substantia *entitative* extensa, nisi plures reipsa contineat integrales partes, in quas dividi possit. Oritur enim extensum ex unione plurium, quorum unum extra aliud quoad totam suam *entitatem* existit. Constat autem, mentem humanam non esse substantiam, quæ possit reipsa in plures integrales partes secari (§. 38.). Ergo non est *entitative* extensa.

Confirmatur. Cum omnis cogitatio, utpote actio *immanens*, in substantia mentis cogitantis, tamquam in subjecto, recipiatur, fieri nequit, ut mens sit substantia extensa, quin aliqua etiam in ipsa cogitatione nobis extensio reluceat. Hoc autem quam falsum sit, nemo non videt. Ergo falsum quoque est, mentem esse substantiam *entitative* extensam.

Dices, concipi nullatenus posse, quomodo, quod *entitative* extensum non est, extensum concipiat, illudque in seipso exprimat.

Contra est, & quidem primo: quia si nequit intelligi, quomodo ab

eo, quod extensum non est, valeat attingi, atque repræsentari extensum, neque eodem jure concipi unquam poterit, quomodo ab eo, quod est extensum, intelligi inextensum possit. Hoc autem non prohibet per adversarios, quominus mens ab illis ponatur *entitative* extensa. Ergo neque illud pari ratione impediet, quominus inextensa eadem ipsa statuatur.

Secundo: quia, si mens debet esse *entitative* extensa, ut in se valeat extensum exprimere, tanta necessario debet esse extensio mentis, quanta est rerum earum, quæ ab ea in seipsa exprimuntur. Qua enim ratione non potest concipi, ut ab inextenso intelligatur extensum, eadem ratione nequit intelligi, ut, quod tripalmaris est extensionis, ab eo, quod semipalmaris tantummodo extensionis est, exprimatur. Tanta ergo erit *entitativa* extensio mentis, cum cœli hemisphærium percipit, quanta est extensio ipsius hemisphærii. Tanta quoque eadem ipsa erit in mente, quanta in musca habetur, dum muscam attingit. Vel si mens potest modo majus, modo minus extensum concipere, quin ipsius mentis extensio mutetur, ac proinde etsi extensionem rei, quam in seipsa exprimit, haudquaquam adæquet, eadem ipsa poterit extensum concipere, licet omni prorsus extensione destituta statuatur.

Neque huic rationi fit satis, si dicatur, posse in exiguo spatio ingentia objecta repræsentari; at vero nullatenus posse fieri, ut imaginem extensi objecti indivisibile punctum exhibeat. Hoc, inquam, nihil est. Quamvis enim imago ingentis objecti possit quoad dispositionem partium in exiguo spatio contineri, non propterea potest per eam tota, quanta reipsa est, extensio objecti ita in illo exiguo spatio nobis exprimi, ut hoc ipso præcise, quod visus imaginem illam cernit, extensionem ipsam attingat. At vero mens ita extensum objectum percipit, sibique illud repræsentat, ut non solum dispositionem partium, verum etiam integram illius extensionem nitide percipiat, distincteque in seipsa exprimat. Sicuti ergo, ut imago totam objecti, cujus imago est, extensionem ostendat, tantæ reipsa debet esse extensionis quoquoversus, quantæ dimensionis est ipsum objectum; ita, si mens debet esse *entitative* extensa, ut valeat extensum objectum percipere, necessario requiritur, ut tantæ reipsa sit dimensionis, quantæ dimensionis est objectum, quod illa tunc percipit. Hoc autem est aperte falsum. Ergo haud recte contendere aliquis potest, humanam mentem ex eo admittendam esse *entitative* extensam, quod extensum percipat. Egregie propterea S. Augustinus, *cum oculi*, inquit, *medium, quod pupilla dicitur, nihil aliud sit, quam quod-*

dam-

dam punctum oculi, in quo tamen tanta vis est, ut eo dimidium cœlum, cujus ineffabile spatium est, ex aliquo eminenti loco cerni collustrarique possit, non abhorret a vero, animum carere omni corporea magnitudine, quæ tribus illis differentiis (longitudine scilicet, latitudine, & profunditate) *consumatur, quamvis corporum magnitudines quaslibet imaginari queat* (a).

COROLLARIUM I.

41. *Mens humana nullam habet, nec habere potest figuram*. Illud enim dumtaxat capax configurationis est, quod secundum plures dimensiones est *entitative* extensum.

COROLLARIUM II.

42. *Substantia cogitans omni entitativa extensione caret, nullaque figura circumscribitur*. Etenim etiam humana mens posset extensione aliqua, & figura donari, si qua cogitans substantia harum affectionum capax existeret.

PROPOSITIO V.

Mens humana non est substantia physice composita ex subjecto, & forma.

43. *Probatur*. Cognitio non est talis operatio, quæ exigat esse a principio physice composito ex *subjecto*, & *forma*, alioquin etiam Deus ipse, utpote substantia cogitans, ex *subjecto*, & *forma* physice componeretur. Ergo humana mens ex *subjecto*, & *forma* physice non coalescit. Mentis quippe natura nonnisi ex cogitatione cognoscitur.

Confirmatur. Quia *subjectum*, ex quo mens intrinsecus constare dicitur, erit certe aliquod omnino passivum, ac prorsus iners. Tota enim vis activa eorum, quæ ex subjecto & forma composita sunt, ex *forma* derivatur, in eaque residet. Nihil autem hujusmodi in humana mente est. Si namque est ulla materies, *unde anima fiunt*, inquit S. Augustinus, *quid ipsa est? quod nomen, quam speciem, quem usum in rebus conditis tenet? Vivit, an non? Si vivit, quid agit? quid confert universitatis effectibus. Beatamne vitam gerit, an miseram, an neutram? Vivificat aliquid, an ab hoc etiam opere vacat, & in quodam secreto universitatis otiosa requiescit, sine vigili sensu, motuque vitali* (b)? Profecto, si interiora men-

(a) Lib. *de quantitate animæ* num. 24. alias cap. 14.
(b) Lib. VII. *de Genesi ad litteram* num. 10. alias cap. 7.

tis nostræ ipsi scrutemur, fateamur necesse est, nihil prorsus in ea haberi, quod vi cogitandi non polleat. Quidquid enim nobis in ea relucet, totum cogitat. *Absurdum est dicere*, inquit laudatus S. Doctor, *non eam totam*, mentem scilicet, *scire, quod scit. Non dico, totum scit, sed quod scit, tota scit. Cum itaque aliquid de se scit, quod nisi tota non potest, totam se scit. Sic autem, se aliquid scientem, nec potest quidquam scire, nisi tota. Scit igitur se totam* (a). Itaque si nihil passivum, nihilque iners in se percipit mens, nihil hujuscemodi in ipsa est; ac proinde nullum in ea habetur subjectum, ex quo intrinsecus, quemadmodum quæ sensibus patent corpora, componatur.

COROLLARIUM I.

44. *Mens humana est substantia physice simplex*. Non enim ex pluribus *essentialiter* conflata est, quorum unum sejungi reipsa ab altero possit, habeatque eorum alterum rationem *materiæ*, sive *subjecti*, alterum rationem *actus*, sive *formæ*.

SCHOLION.

45. Loquimur de *compositione physica*, de ea scilicet, quæ fit ex principiis reipsa separabilibus. Nihil enim interest hoc loco, si *logice*, vel *metaphysice* composita mens ipsa dicatur.

COROLLARIUM II.

46. *Omnis substantia cogitans est physice simplex*. Qua enim ratione humana mens, eadem prorsus quævis alia substantia cogitans physicam compositionem excludit.

PROPOSITIO VI.

Mens humana est substantia spiritualis.

47. Triplici medio, eoque satis valido, nisi mea me fallat opinio, evincitur, humanam mentem esse substantiam spiritualem, ejusque naturam quasi, ut ita dicam, esse divinam.

I.

48. Constat enim in primis, mentem humanam esse substantiam ejus naturæ, ut neque integrales habeat partes, in quas reipsa dividi

(a) Lib. X. de Trinitate num. 6, alias cap. 3.

vidi queat (§. 38.). neque sit *entitative* extensa (§. 40.) neque operetur ea ratione atque lege, ut illius operationes per motionem corpusculorum ostendi a nobis recte possint, & explicari (§. 31.). Ergo humana mens est substantia spiritualis (§. 14.). Nec enim *illud audiendum est*, inquit S. Augustinus, *quod quidam putaverunt, quintum quoddam esse corpus, unde sit anima, quod nec terra, nec aqua sit, nec aer, nec ignis, sive iste turbolentior, atque terrenus, sive ille caelestis purus, & lucidus; sed nescio quid aliud, quod careat usitato nomine, sed tamen corpus sit. Si enim qui hoc sentiunt, hoc dicunt corpus, quod & nos, idest naturam quamlibet longitudine, latitudine, altitudine spatium loci occupantem, neque hoc est anima, neque inde facta credenda est. Quidquid enim tale est, ut multa non dicam, in quacunque sui parte lineis dividi, vel circumscribi potest* (a).

II.

49. Modus quo agit humana mens, ab eo penitus differt, quo corporea substantia operatur. Etenim *primo*, substantia corporea passive indifferens adeo est ex suo genere ad motum & quietem, ut, secluso extrinseco determinante, neque moveri queat, seu se determinare ad motum, dum est in quiete; neque, dum movetur, a motu cessare, in eodemque loco consistere. At humana mens ita seipsam ad cogitandum determinat, ut extrinseco agenti minime subiiciatur. *Sentit animus se moveri*, inquit Tullius, *quod cum sentit, illud una sentit, se sua vi, non aliena moveri* (b); utque habet Lactantius, *animus sua sponte & cogitat, & movetur* (c). *Secundo*: vis motiva corporeae substantiae continuo languescit, ac demum prorsus extinguitur; contra vero cognoscitiva humanae mentis potentia tantum abest, ut exercitio minuatur, quin potius crescat quodammodo, validiorque fiat. *Potentia animae, atque virtutes*, inquit Auctor libri *de spiritu & anima* cap. 30., *longa exercitatione, & successu temporum crescunt*; unde *mens, ratio, & consilium in senibus est*, teste Tullio (b). *Tertio*: potentia quaevis corporea, ut experientia vel evidentissime constat, plerumque laeditur a suo objecto, quinimo, si nimis vehemens illud fuerit, penitus etiam extinguitur; si vero fuerit debile, ne leviter quidem ab illo immutatur. Nequit enim visus purissimam Solis lucem sustinere, neque a minima affici. At mens perfectius veritatem aspicit, quo fuerit clarior; in eaque contemplanda, quae summa est, nul-

(a) Lib. VII. *super Genesim ad litteram* num. 27. alias cap. 21.
(b) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 24.
(c) Lib. *de Opificio Dei* cap. 16.
(d) Lib. *de Senectute* cap. 19.

nullam vel minimam læsionem patitur, quinimo delectatur quammaxime, & beata efficitur. *Quemadmodum illi*, inquit S. Augustinus, *qui in luce Solis eligunt, quod libenter adspiciant, & eo adspectu latificantur, in quibus si qui forte fuerint vegetioribus, sanisque & fortissimis oculis praditi, nihil libentius, quam ipsum Solem, contuentur, qui etiam cetera, quibus etiam infirmiores oculi delectantur, illustrat: sic fortis acies mentis & vegeta, cum multa vera & incommutabilia certa ratione conspexerit, dirigit se in ipsam veritatem, qua cuncta monstrantur, eique inharens tamquam obliviscitur cetera, & in illa simul omnibus fruitur. Quidquid enim jucundum est in ceteris veris, ipsa utique veritate jucundum est* (a). *Quarto*: quæ corpori inhærent vires, quæque ab illo potentiæ dependent, nonnisi circa ea, quæ sibi præsentia sunt, certisque locis circumscripta, & definita temporibus, versari possunt, adeo nempe ut neque futura potentias ipsas vel leviter moveant, neque præterita afficiant. Contra vero humana mens præterita æque prorsus ac ea, quæ coram exiftunt, scrutatur intueturque, neque ipsam plane latent futura. *Diffusis cogitationibus atque consiliis*, ait Auctor lib. *de spiritu & anima* cap. 2., *huc atque illuc vagatur mens. Considerat, & spectat omnia. Videt absentia, transmarina visu ambit, & percurrit adspectu, abdita scrutatur, & uno momento sensus suos per totius orbis fines & mundi secreta circumfert. Descendit ad inferna, ascendit inde, versatur in cælo, adharet Christo, conjungitur Deo*; utque antea scripserat Tullius, *inter hominem, & belluam hoc maxime interest, quod hac tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum, aut futurum. Homo autem, quoniam rationis est particeps, consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adjungit, atque annectit futuras; facile totius vitæ cursum videt, ad eumque regendum præparat res necessarias* (b). *Quinto*: celeritas mentis in cogitando tanta est, quanta in corporeis potentiis haberi nullatenus potest. *Nulla est celeritas*, teste Tullio, *qua possit cum animi celeritate contendere* (c); & jure quidem. Fertur enim mens cogitatione sua de loco in locum, quin interjectum spatium eadem ipsa cogitatione perlustrare cogatur; nihilque est, quod vim illam mentis nedum impedire, sed ne retardare quidem possit. *An potest aliquis non admirari*, inquit Lactantius, *quod sensus ille* vi-

(a) Lib. II. *de libero arbitrio* num. 36. alias cap. 13.
(b) Lib. I. *de Officiis* cap. 4.
(c) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 19.

vivus atque cœlestis, qui mens, vel animus nuncupatur, tanta mobilitatis est, ut ne tunc quidem, cum sopitus est, conquiescat, tanta celeritatis, ut uno temporis puncto cœlum omne collustret, & si velit, maria pervolet, terras ac urbes peragret, omnia denique, quæ libuerit, quamvis longe lateque summota sint, in conspectu sibi ipse constituat (a)? *Postremo*, nulla potentia corporea ita operatur, ut simul ea ipsa sit sui ipsius, suarumque operationum conscia. *Cum colorem sentimus*, inquit S. Augustinus, *non itidem sensu ipso nos sentire etiam sentimus; neque cum audimus sonum, nostrum etiam audimus auditum; neque cum olfacimus rosam, olet nobis aliquid & ipse olfactus; neque quidquam gustantibus sapit in ore ipse gustus; nec tangentes aliquid, ipsum etiam tangendi sensum possumus tangere*; ut proinde res sit perspicua, *quinque istos sensus nullo eorum sensu posse sentiri, quamvis eis corporalia quæque sentiantur* (b). At vero mens *quadam interiori, non simulata, sed vera præsentia, videt se in se. Nam cognoscit se vivere, se meminisse, se intelligere, se velle, cogitare, scire, judicare* (c). *Memini, me habere memoriam, & intelligentiam, & voluntatem*, ait laudatus S. Doctor, *& intelligo me intelligere, & velle, atque meminisse, & volo me velle, & meminisse, & intelligere, totamque meam memoriam, & intelligentiam, & voluntatem simul memini. Quod enim memoria mea non memini, non est in memoria mea. Nihil autem tam in memoria, quam ipsa memoria, est. Totam igitur memini. Item quidquid intelligo, intelligere me scio, & scio me velle, quidquid volo. Quidquit autem scio, memini. Totam igitur intelligentiam, totamque voluntatem meam memini* (d). Itaque, si in modo operandi adeo differt humana mens a corporea quavis potentia, ut nihil prorsus cum illa commune habeat, manet perspicuum, mentem ipsam præstantioris esse naturæ, ac sit substantia materialis; ac proinde eam non corpus esse, sed spiritum. Neque enim aliud adest medium, quo essentiale rerum discrimen evidentius dignosci a nobis possit, certiusque determinari.

III.

50. Postremum momentum ex artium disciplinarumque inventione desumitur. Id autem tanta evidentia ostendit, prope divinam esse humanæ mentis vim, atque naturam, ut rem ipsam veluti ob oculos ponat. *Cum videmus*, inquit elegantissimus Cicero, *speciem primum, candoremque cœli, deinde conversionis celeleritatem tantam, quantam*

(a) Lib. *de Opificio Dei* cap. 16.
(b) Lib. II. *de libero arbitrio* num. 36., alias cap. 13.
(c) Auctor libri *de spiritu & anima* cap. 32.
(d) Lib. X. de *Trinitate* num. 18., alias cap. 11.

tam cogitare non possumus ; tum vicissitudines dierum atque noctium; commutationesque temporum quadripartitas ad maturitatem frugum, & ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem, & ducem Solem, Lunamque accretione & diminutione luminis, quasi fastorum notantem, & significantem dies ...... possumusne dubitare, quin his præsit aliquis vel effector, si hæc nata sunt, ut Platoni videtur ; vel si semper fuerint, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis & muneris? sic mentem hominis, quamvis eam non videas, ut Deum non vides, tamen, ut Deum agnoscis ex operibus ejus, sic ex memoria rerum, & inventione, & celeritate motus, omnique pulchritudine virtutis vim divinam mentis agnoscito (a). Itaque, ut ad rem veniamus, *præter artes bene vivendi* (verba sunt S. Augustini) *& ad immortalem perveniendi felicitatem, quæ virtutes vocantur, & sola Dei gratia, quæ in Christo est, filiis promissionis regnique donantur, nonne humano ingenio tot tantaque artes sunt inventæ & exercitæ, partim necessariæ, partim voluntariæ, ut tam excellens vis mentis, atque rationis in his etiam rebus, quas superfluas, imo & periculosas perniciosasque appetit, quantum bonum habeat in natura, unde ista potuit vel invenire, vel discere, vel exercere, testetur? Vestimentorum & ædificiorum ad opera quam mirabilia, quam stupenda, industria humana pervenerit; quo in agricultura; quo in navigatione profecerit: quæ in fabricatione quorumque vasorum, vel etiam statuarum, & picturarum varietate excogitaverit & impleverit; quæ in theatris mirabilia spectantibus, audientibus incredibilia facienda & exhibenda molita sit: in capiendis, occidendis, domandis irrationalibus animantibus, quæ, & quanta repererit: adversus ipsos homines tot genera venenorum, tot armorum, tot machinamentorum, & pro salute mortali tuenda atque reparanda quot medicamenta atque adjumenta comprehenderit: pro voluptate faucium, quot condimenta & gulæ irritamenta repererit: ad indicandas & suadendas cogitationes quam multitudinem varietatemque signorum, ubi præcipuum locum verba & litteræ tenent; ad delectandos animos, quos elocutionis ornatus, quam diversorum carminum copiam ad mulcendas aures, quot organa musica, quos cantilenæ modos excogitaverit: quantam peritiam dimensionum atque numerorum, meatusque & ordines siderum quanta sagacitate comprehenderit: quam multa rerum mundanarum cognitione se impleverit, quis possit eloqui, maxime si velimus non acervatim cuncta congerere, sed in singulis immorari? In ipsis postremo erroribus & falsitatibus defendendis, quam magna claruerint ingenia Philosophorum atque hæreticorum, quis æstimare sufficiat? Loquimur enim nunc de natura mentis humanæ, qua ista vita*

(a) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 28., & 29.

ta mortalis ornatur, non de fide atque itinere veritatis, qua illa immortalis acquiritur (a). *Audisti ergo*, ut cum eodem loquar, *quanta vis sit animæ ac potentia, quod ut breviter colligam, quemadmodum fatendum est, animam humanam non esse, quod Deus est, ita præsumendum, nihil inter omnia, quæ creavit, Deo esse propinquius* (b). Profecto & ipse summus Orator æque ac Philosophus Tullius fassus aperte est, nunquam fore, ut tot a nobis invenirentur artes, & disciplinæ, quot inventæ jam sunt, nisi aliquid in nobis esset sublime prorsus, & plane divinum. Præstantioribus enim artibus, ac disciplinis, quas hominis ingenium excogitavit, perfecitque, enumeratis, *prorsus*, inquit Vir summus, *hæc divina mihi videtur vis, quæ tot res efficiat, & tantas. Quid est enim memoria rerum & verborum? quid porro inventio? profecto id, quo nec in Deo quidquam majus intelligi potest. Non enim ambrosia Deos, aut nectare, aut Juventate pocula ministrante, lætari arbitror: nec Homerum audio, qui Ganymedem a Diis raptum ait propter formam, ut Jovi bibere ministraret. Non justa causa, cur Laomedonti tanta fieret injuria. Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat: divina mallem ad nos. Quæ autem divina? vigere, sapere, invenire, meminisse. Ergo animus, qui, ut ego dico, divinus est; ut Euripides audet dicere, Deus: & quidem si Deus aut anima, aut ignis est, idem est animus hominis. Nam ut illa natura cælestis, & terra vacat, & humore, sic utriusque harum rerum humanus animus est expers: sin autem est quinta quædam natura ab Aristotele inducta primum, hæc & Deorum est, & animorum* (c). Quis igitur, ut loquar cum Lactantio, *tam indoctus est, ut nesciat? quis tam imprudens, ut non sentiat, aliquid inesse in homine divini? Nonne ipsius corporis status, & oris figura declarat, non esse nos cum mutis pecudibus æquales? Illarum natura in humum, pabulumque prostrata est, nec habet quidquam commune cum cælo, quod non intuetur. Homo autem recto statu, ore sublimi, ad contemplationem mundi excitatus, confert cum Deo vultum, & rationem ratio cognoscit* (*). *Propterea nullum est animal, ut ait* Ci-

(a) Lib. XXII. *de Civitate Dei* cap. 24. n. 3.
(b) Lib. *de quantitate animæ* n. 77. alias c. 34
(c) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 26.
(*) Hominem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus, tamquam satellites, attribuit, ac nuntios: & rerum plurimarum obscuras, & necessarias intelligentias enudavit, quasi fundamenta quædam scientiæ; figuramque corporis habilem & aptam ingenio humano dedit. Nam cum ceteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad cœlique, quasi cognationis domiciliiq; pristini conspectum excitavit; tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam & oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur; & is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse, præter hominem, potest, indicat mores. *Tullius* lib. I. *de Legibus* cap. 9.

Cicero (*), præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Solus enim sapientia instructus est, ut religionem solus intelligat; & hæc est hominis, atque mutorum vel præcipua, vel sola distantia (a).

COROLLARIUM I.

51. Est igitur humana mens, ut eam præclare explicat Auctor libri de *spiritu & anima* cap. 24., *substantia spiritualis, simplex, & indissolubilis, invisibilis, & incorporea, passibilis, atque mutabilis, carens pondere, figura, & colore.*

COROLLARIUM II.

52. Cum tanta evidentia, quanta in rebus physicis esse potest, ostensum fuerit naturali ratione, mentem humanam esse substantiam spiritualem, stat, *evidenter constare, evidentia physica, & quidem sola attenta ratione naturali, materialismum esse falsam hypothesim.*

COROLLARIUM III.

53. *Homo intrinsecus componitur ex substantia spirituali, & corporea.* Ex corpore siquidem, atque mente ipsum intrinsecus coalescere, certum est.

COROLLARIUM IV.

54. *Substantia cogitans est spiritualis.* Demonstravimus enim, cogitandi vim materiali substantiæ minime posse competere. Hinc

COROLLARIUM V.

55. Rectissime dicitur, *spiritualem substantiam eam esse, qua cogitat.* Sola enim cogitatio illud est, ex quo evincitur, extare substantiam spiritualem.

Co-

(a) Lib. *de ira Dei* cap 7.

(*) Ex tot generibus nullum est animal, præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. *Lib. I. de Legibus* cap. 8.

O rem dignam, in qua non modo homines, sed ipsas etiam pecudes obstupescere, ac, si fieri possit, etiam erubescere oporteat cognatum esse hominem Deo: nullum aliud in terris animal, nisi hominem solum, Dei cognitione imbutum esse; nec quidquam esse aliud, quod animo e divina mente haustro, præditum sit. *Auctor libri* de consolatione *Ciceroni vulgo adscripti.*

Corollarium VI.

56. Dividere substantiam in *cogitantem*, *& extensam*, perinde est, ac eam dividere in *spiritualem*, *& corpoream*. Sicuti enim omnis substantia extensa *corporea* est, quodque primo in ea attingitur, est *solida extensio*; ita omnis substantia cogitans est *spiritualis*, & quod nobis in illa primo relucet, est *cogitatio*. Nulla quoque substantia spiritualis est nobis nota, quæ non cogitet, quemadmodum nullam substantiam corpoream existere scimus, quæ non sit ipsa sua natura *impenetrabiliter* extensa.

Objecta diluuntur.

Opponitur primo, non unum esse ex vetustissimis Ecclesiæ Patribus, qui humanam mentem dixerit corporeæ esse naturæ. Tertullianus quippe id in primis docet aperte, & quidem non uno loco. Etenim lib. *de anima* cap. 7., *igitur, si quid tormenti*, inquit, *sive solatii anima percepit in carcere, seu diversorio inferum, in igne, vel sinu Abrahæ, probata erit corporalitas animæ. Incorporalitas enim nihil patitur, non habens, per quod pati possit; aut si habet, hoc erit corpus. In quantum enim omne corporale passibile est, in tantum quod passibile corporale est*. Lib. de *carne Christi*. cap. 2. ait: *si habet aliquid, per quod est* (anima) *hoc erit corpus ejus. Omne, quod est, corpus est sui generis. Nihil est incorporale, nisi quod non est*. Demum lib. de *resurrectione carnis* hæc habet: *nos autem animam corporalem & hic profitemur, & in suo volumine probamus, habentem proprium genus substantivæ soliditatis, per quam quid & sentire, & pati possit*. S. Hilarius cap. 5. in *Matthæum* sic ait: *Nihil est, quod non in substantia sua & creatione corporeum sit, & omnium sive in cælo, sive in terra, sive visibilium, sive invisibilium, elementa formata sunt. Nam & animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exulantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur; quia omne, quod creatum est, in aliquo sit, necesse est*. Auctor demum libri de *spiritu & anima* cap. 18. hæc habet: *Nihil invisibile & incorporeum natura credendum est, præter solum Deum, idest, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*. Irenæus quoque, Origenes, Tatianus, Cassianus, & etiam S. Ambrosius non secus de natura mentis humanæ sensisse dicuntur. Ergo &c.

℞. *nego añs*, si unum excipias Tertullianum. Qui enim, hoc seclusо

cluſo, humanam mentèm corporeæ eſſe dicunt naturæ, nonniſi improprie materialem ſubſtantiam ſumunt, ſcilicet pro eo, quod temporum, locorumque limitibus circumſcriptum exiſtit; non autem pro ea re, quæ natura ſua ſolida eſt, atque ita quoad ſuam *entitatem* extenſa, ut ſecundum trinam dimenſionem reipſa poſſit ſecari. Patet ex ipſo Auctore libri *de ſpiritu* & *anima* cap. 18.. Is enim, poſtquam dixit, nihil inviſibile & incorporeum natura credendum eſſe, præter ſolum Deum, ſtatim addit, Deum ex eo incorporeum & inviſibilem nuncupari, *quia infinitus, & incircumſcriptus, ſimplex, & ſibi omnibus modis ſufficiens, ſeipſum ſuſtinet, & idipſum. Et cum ubique ſit, in ſemetipſo inviſibilis & incorporeus eſſe dignoſcitur. Omnis vero rationalis creatura corporea eſt, Angeli, & omnes virtutes corporeæ ſunt, licet non carne ſubſiſtant. Ex eo enim intellectuales naturas corporeas eſſe dicimus, quia loco circumſcribuntur, ſicut & anima humana, quæ carne clauditur, quæ idcirco & eſſe in loco, & localis dici poteſt: in loco, quia hic, aut alicubi præſens eſt: localis, quia quod alicubi præſens eſt totum, alibi non eſt. Non habet tamen corporalem dimenſionem, nec corporalem circumſcriptionem, quoniam corporalis quantitatis expers eſt. Sed quia per præſentiam & operationem in loco concluditur, localis & ipſa dicitur; verumtamen non ſicut corpus, cui ſecundum locum principium, medium, & finis aſſignatur. Reſpectu vero naturæ incorporeæ, quæ ſumme incommutabilis ubique eſt, corporea eſt anima, quia tale aliquid non eſt ipſa; nec tamen per loci ſpatium ita ſiſtitur, vel movetur, ut majori ſui parte majorem locum occupet, & breviore breviorem, minorque ſit in parte, quam in toto.* Hanc autem doctrinam deſumtam eſſe ex S. Auguſtino, videtur perſpicuum. Ad Hieronymum quippe ſcribens S. Doctor: ait, *incorpoream eſſe animam, etſi difficile tardioribus perſuaderi poteſt, mihi tamen fateor eſſe perſuaſum. Sed ne verbi controverſiam vel ſuperfluo faciam, vel merito patiatur, quoniam, cum de re conſtat, non eſt opus certare de nomine, ſi corpus eſt omnis ſubſtantia, vel eſſentia, vel ſi quid aptius nuncupatur id, quod aliquo modo eſt in ſeipſo, corpus eſt anima. Item ſi eam ſolam incorpoream placet appellare naturam, quæ ſumme incommutabilis, & ubique tota eſt, corpus eſt anima, quoniam tale aliquid ipſa non eſt. Porro ſi corpus non eſt, niſi quod per loci ſpatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita ſiſtitur, vel movetur, ut majore ſui parte majorem locum occupet, & breviore breviorem, minuſque ſit in parte, quam in toto non eſt corpus anima* (a).

Non ſecus porro de humanæ mentis natura etiam S. Hilarium ſenſiſſee, ex eo conſtare ſatis puto, quod habet ipſe S. Doctor in *Pſal-*

(a) Epiſt.CLXVI.num.4.,alias XXVIII.cap.2.

Psalmum 129. num. 6. Inquit enim: *ergo ad imaginem Dei homo interior effectus est, rationabilis, mobilis, movens, incorporeus, subtilis, aeternus ....Sed anima humana in hac sensus sui mobilitate ad imaginem Opificis sui facta est, dum naturam Dei mobilitas animae perennis imitatur, nihil in se habet corporale, nihil grave, nihil caducum.*

Dixi, unum excipiendum esse Tertullianum. Nimis quippe apertum est, eum hac in parte errasse. Plus enim aequo credulus sororis nescio cujusdam nocturnae visioni, ait, rationalem animam visam ab ea fuisse *teneram, lucidam, & aerei coloris, & forma per omnia humana* (a); ac proinde, ut alibi dixerat, *substantiva* ipsam esse *soliditatis* (b). Corpoream porro substantiam ab eo sumi proprie & in rigore, pro substantia nimirum *extensa* & *divisibili*, non autem improprie & lato modo, scilicet pro substantia loco atque tempore circumscripta, patet ex S. Augustino. Is enim loquens de opinione Tertulliani ponentis Deum esse corporeum: *posset*, inquit, *quoquomodo putari, ipsam naturam substantiamque Divinam corpus vocare, non tale corpus, cujus partes aliae majores, aliae minores valeant vel debeant cogitari, qualia sunt omnia, quae proprie dicimus corpora, quamvis de anima tale quid sentiat* (c). Neque mirandum, ait idem S. Doctor ad Optatum scribens, id somniasse Tertullianum; quippe *qui, etiam ipsum creatorem Deum non esse nisi corpus, opinatur* (d).

Dices, ex ipsa etiam Divina Scriptura satis colligi, hominis animam esse corpoream. Etenim *Levitici* cap. 17. ter dicitur, nimirum semel v. 11, & bis v. 14., animam omnis carnis in sanguine esse, sive a sanguine nequaquam distingui. Ergo non solum culpandus non est Tertullianus, quod rationalem animam dixerit esse corpoream, verum etiam contrarium dici nequit, quin Deus laudato Levitici loco errasse dicatur.

℞. *nego ant.* & *disting. ant. probationis*, anima omnis carnis in sanguine est, adeo nempe ut a sanguine nullatenus distinguatur, *nego ant.* Anima omnis carnis in sanguine est, hoc est, primo & principaliter dependet a sanguine, *concedo ant.* & *nego conseq.* Anima ergo dicitur esse in sanguine, non quia nihil ipsa sit a sanguine distinctum; sed quia, cum a sanguine maxime dependeat, ut omnibus notum est, animalium vita; ideo anima per sanguinem designatur, quodque videri nequit, per illud, quod videtur, exprimitur. *Sic dictum est*, inquit S. Augustinus, *anima omnis carnis est sanguis, quomodo dictum est:* petra erat Christus, *scilicet non quia hoc*

(a) Lib. *de anima* cap. 9.
(b) Lib. *de resurrectione carnis.*
(c) Lib. de *Haeresibus* ad *Quodvultdeum* c. 86.
(d) Epist. 190. n. 14 alias Epist. 157. cap. 4.

hoc erat, ſed quia hoc ſignificabatur. Non autem fruſtra lex animam voluit ſignificare per ſanguinem, rem ſcilicet inviſibilem per rem viſibilem; quia ſanguis per venas omnes ab ipſo corde diffuſus, in noſtro corpore plus ceteris humoribus principatur, itaut ubicunque fuerit vulnus inflictum, non humor alius, ſed ipſe procedat: ita quoque anima, quia omnibus, quibus conſtamus, inviſibiliter praevalet, illo melius ſignificatur, quod omnibus, quibus conſtamus, viſibiliter praevalet (a). Videtur quoque dici poſſe, animam non omnis carnis, atque adeo neque hominis, ſed belluarum dumtaxat, in ſanguine reſidere. Etenim certum in primis eſt, Deum non loqui hoc loco, niſi de beſtiis. Agit enim de iis animalibus, quibus permittebat Hæbreis ut veſcerentur. Secundo; quia cap. 12. *Deuteronomii*, ſangnis non dicitur belluarum anima, ſed tantum illis eſſe pro anima, quaſi ſignificare voluiſſet ſummus rerum Opifex, ſanguinem, loco animæ, belluis contuliſſe, hoc eſt, illarum vitam eodem modo a ſanguine dependere, quo vita hominis ab illo pendet ſpiraculo, quod inſpiravit in illius faciem Creator optimus, dum ipſum condidit.

Opponitur. 2. Anima rationalis in corpore recipitur, in eoque ſe habet perinde ac forma in ſubjecto. Concipi autem nullatenus poteſt, quomodo, quod ſpirituale eſt, inextenſum prorſus, atque indiviſibile, recipiatur in corpore, quod extenſionem habet, & poteſt reipſa in plures partes ſecari. Ergo humana mens non eſt ſpiritualis, ſed ejuſdem omnino naturæ, ac eſt ſubjectum, corpus ſcilicet, in quo recipitur.

℞. *Diſtinguo ma*: anima rationalis recipitur in corpore, eſtque in illo, perinde ac forma in ſubjecto, adeo nempe ut illi inhæreat, *nego ma*: Eſt in corpore, ut in ſubiecto, quin tamen ipſi inhæreat, *concedo ma*: & *praetermiſſa minori*, *nego conſeq*: Recipitur ergo anima rationalis in corpore, in eoque ſe habet, perinde atque forma in ſubjecto, quatenus nempe corpus ipſum, ut ait S. Auguſtinus, *praeſentia ſua vivificat, colligit in unum, atque in uno tenet, diffluere atque contabeſcere non ſinit; alimenta per membra aequaliter ſuis cuique redditis diſtribui facit, congruentiam ejus modumque conſervat, non tantum in pulchritudine, ſed etiam in creſcendo atque gignendo* (b). Mens itaque non ea ratione corpus afficit, ut in illo penitus demergatur, ab eoque intrinſecus pendeat; ſed ita, ut ei ſimul præſit, ac in ipſum, veluti domina, jus gerat atque imperium. *Quamdiu in eodem*, inquit Plato, *ſunt anima, atque corpus, hoc quidem ſer-*

(a) Lib. II. *contra adverſ. legis, & Proph.*
(b) Lib. *de quantitate animæ* n.70. alias c.33.

servire atque subesse, natura jubet; hanc vero praeesse, atque dominari (a). Unde a S. Augustino definitur mens: *substantia rationis particeps, regendo corpori accommodata* (b).

Missum porro feci, concipi a nobis nequaquam posse, quomodo mens humana, si spiritualis ponatur substantia, copulari corpori queat, unumque cum illo compositum intrinsecus constituere. Id enim ne levissime quidem nobis officit. Etenim *numquid ideo*, ut ait laudatus S. Doctor, *negandum est, quod apertum est; quia comprehendi non potest, quod occultum est? Numquid propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse; quoniam, cur ita sit, non possumus invenire* (c)? Humanam mentem esse substantiam altioris ordinis, præstantiorisque naturæ, quam sit corpus, ea evidentia nobis constat, quæ in physicis potest esse maxima. Latet vero, qua ratione mens ita sit ipsi corpori colligata, *ut nec cum velit, se inde segregare possit, nec retinere, cum sui Creatoris jussionem audierit* (d). Numquid ergo illud negandum est, licet perspicuum, quia hoc nequimus mente complecti? Profecto animo comprehendi non potest (ut etiam ii, qui materialismum patrocinantur, velint nolint, fateri debent) quomodo materialis substantia valeat cogitare: igitur etiam materialismus hac una de causa est falsa hypothesis. *Plenum fuit miraculo, quod tam diversa, & tam divisa ab invicem, ad invicem potuerint conjungi* (e). Verum *illud modo videto*, ait Tullius, *ut Deum noris, etsi ignores & locum & faciem; sic animum tibi tuum notum esse oportere, etiamsi ejus ignores & locum & formam* (f); atque adeo modum etiam, quo corpori copulatus est, unumque *per se* compositum cum illo constituit.

Dices: Inter corpus, & spiritum nulla datur proportio. Ergo, si humana mens esset substantia spiritualis, corpori copulari nequiret. Unitur autem. Ergo non est substantia spiritualis.

℞. *disting. añs*: inter corpus, & spiritum nulla datur proportio, hoc est, similitudo in natura, *concedo añs*. Nulla datur proportio, hoc est, habitudo *formæ* ad *subjectum*, seu perfectivi ad perfectibile, *nego añs*, & *conseq*. Verum est, corpus, & spiritum esse substantias genere diversas; ac proinde inter corpus, & spiritum eam non haberi proportionem, quam habent inter se duo entia ejusdem generis atque ordinis. At est falsum, inter corpus & spiritum proportionem illam haberi non posse, quæ satis est, ut corpus a spiritu perficiatur

(a) In *Phædone*.
(b) Lib. *de quant. animæ* n.22. alias c. 13.
(c) Lib. *de dono perseverant.* n.37. alias c. 14
(d) Auctor libri *de spiritu & anima* c. 18.
(e) Ibidem cap. 14.
(f) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 29.

tur, totumque *per ſe unum* ex illorum unione conſurgat. Huic enim non officit, ſpiritum eſſe ſubſtantiam alterius generis a corpore, præſtantiorisque naturæ. Quandoquidem etiam *accidens* ipſo genere differt a *ſubſtantia*, & tamen *ſubſtantia*, & *accidens* ita uniri inter ſe mutuo poſſunt, ut hæc ab illo determinetur, & perficiatur, ſimulque ambo unum totum conſtituant.

Opponitur 3. Anima rationalis creſcit cum corpore, cum eoque debilitatur, fatigatque, & torpet. Creſcit quippe in pueris, viget in juvenibus, debilitatur in ſenibus, fatigat & languet in laborantibus, torpetque adeo in profunde dormientibus, ut quaſi extincta videatur. Ergo corporea eſt. Corporeum eſt enim, quidquid mutationes illas ſubit, quæ corporis ſunt propriæ.

℟. *nego añt.* Vere enim cum corpore non creſcit anima, neque cum illo torpet, licet in juvenibus ſenſim adoleſcere, debilitari in ſenibus, atque in infirmis languere videatur. Hæc, atque hiſce ſimilia, non animæ vitia ſunt, ſed corporis. Creſcere nimirum, vigere, debilitari, atque torpere videtur anima; quia cum a corpore, quamdiu illi conjuncta eſt, tamquam ab eo, quod objectum, circa quod verſetur, præbet, in operando mens ipſa dependeat, perfectius agit, & ideo videtur creſcere, cum ſenſim perficitur corpus; imperfectius vero, perinde ac ſi reipſa debilior fieret, cum corpus vel corripitur ſomno, vel morbo afficitur. *Nutus animæ ad movendum corporis pondus*, inquit S. Auguſtinus, *nervis, quaſi tormentis utitur. Nervos autem vegetat, mobilioreſque efficit ſiccitas, calorque moderatus, contra eos laxat atque infirmat humidus vigor. Itaque ſomno, quia eum frigidum & humidum dicunt Mediti & probant, membra langueſcunt, atque ipſe expergefactorum conatus multo eſt debilior, ideoque nihil eſt fractius, & enervius lethargicis. At quoſdam phreneticos, quibus vigilia, & vini vis, & acuta febres, ideſt tot calida plus nimio nervos tendunt atque durant, majoribus viribus, quam integra valetudine, reluctari, & multa facere manifeſtum eſt, cum eorum corpus ſit ægritudine attenuatius & exilius. Si igitur & nutu animæ, & nervorum quodam machinamento, & pondere corporis conſiunt hæ, quæ vires vocantur, voluntas nutum exhibet, qui pronior ſit ſpe vel audacia; retunditur autem timore, ſed multo magis deſperatione; nam in metu cum aliqua ſpes ſubeſt, vehementiores vires apparere adſolent. Machinamentum configuratio quædam corporis coaptat, temperatio modificat valetudinis, confirmat exercitationis induſtria. Pondus dat moles membrorum, quam ætas & nutrimenta comparant, inſtaurant autem ſola nutrimenta. His omnibus qui æqualiter prævalet, mirandus eſt viribus,*

&

& tanto est alius alio invalidior, quanto plus eum ista deficiunt.... Quamobrem cum infanti puero solum ad trahendum aliquid, vel repellendum nutus sit integer; nervi autem & propter recentem minusque perfectam conformationem inhabiles, & propter humorem, qui illi ætati exuberat, marcidi, & propter nullam exercitationem languidi; pondus vero adeo sit exiguum, ut ne ab alio quidem impactum graviter urgeat, opportuniusque sit ad accipiendam, quam ad inferendam molestiam: quis est, qui cum hac omnia, quæ desunt, contulisse annos viderit, viresque per eos datas cognoverit, crevisse animam, qua his in dies amplioribus utatur, recte ac prudenter existimet...... Deinde si anima crescit, vide quam sit inscitum, incrementa ejus de viribus corporis credere, de copia doctrinarum non credere, cum illis solum accommodet nutum, hoc sola possideat. At si crescere animam putamus, cum additur viribus, minui putanda est, cum demitur. Demitur autem in senecta, demitur in labore studiorum; atque his temporibus doctrina aggeri atque extrui solent; neque ullo modo eodem tempore simul augeri quidquam, & minui potest. Nullum igitur crescentis animæ argumentum est, vires in majori ætate majores (a). Ceterum fuse hac de re agemus suo loco, cum scilicet commercium mentis cum corpore explicabimus. Ex admirabili enim fœdere, quod inter ipsam mentem, atque corpus constituit summus rerum Opifex, tota pendet ratio, cur, crescente corpore, adolescere anima, vigere vigente, eoque languente, ipsa itidem languere, ac veluti minui videatur.

SECTIO SECUNDA.

An humana mens sit immortalis, num vero in morte una cum corpore pereat.

57. SI qua in universa Philosophia habetur quæstio, viribus nervisque omnibus a nobis discutienda, ea certe est, in qua de animorum immortalitate disseritur. Nulla est enim, in qua Divini numinis colendi timendique ratio fortius evincatur, nulla, quæ ad definiendum summum hominis bonum, ejusque mores conformandos, recteque instituendos faciat magis, uberiusque pertineat. Hinc omnibus Philosophiæ professoribus sapientissime præcepit olim Lateranense Concilium sub Julio II., & Leone X. celebratum, ut in demonstranda humanæ mentis immortalitate diligentius, quoad fieri pos-

(a) Lib. *de quantitate animæ* num. 38. alias cap. 22.

set, incumberent, atque hanc ex præcipuis Catholicæ fidei veritatibus unam, non auctoritate solum, verum etiam naturali ratione pro viribus stabilirent. Dixi autem: *non auctoritate solum, verum etiam naturali ratione*. Enimvero, *cum ij*, ut egregie more suo advertit doctissimus Melchior Canus, *qui animæ immortalitatem inficiantur, nec Christo, nec Evangelio credant; ecclesiæ vero, sanctorumque fidem pro nihilo putent; ita supervacaneum videtur esse, ex iis locis, quæ auctoritatem fidei continent, argumenta depromere. Nec conclusio hæc proprie Theologica est, ut sit argumentationibus Theologiæ confirmanda. Quia Theologia, quæ ratione effectrix est, & agendi muneri incumbit, illa duo habet primaria fundamenta,* Deum esse hominis & principium & finem, *atque adeo* procuratorem, esseque *item* animorum perpetuam vitam, in qua remunerator Deus sit inquirentium se. *Quæ nisi fidelis penitus habeat infixa, & in animo quasi insculpta, non dico media, & finem consequi felicitatis suæ, sed ne ad Deum quidem accedere potest, ut ab eo media, finemque requirat. Cum igitur prima cujusque disciplinæ principia, tamquam notissima anticipationes, supponantur, nihil opus erit vel ea testimonia referre, quæ ex sacris litteris commemoravimus* (a). In hac ergo disceptatione non sacris auctoritatibus, sed principiis naturæ lumine notis insistendum pro viribus est, tamque grande negotium, quoad potest fieri, absolvendum. Itaque ut ad rem veniamus,

I.

58. Sicuti non una fuit, quemadmodum superiori loco diximus, veterum Philosophorum de spiritualitate humanæ mentis opinio, ita neque fuit una eorum omnium de illius immortalitate sententia. *Sunt,* inquit Tullius, *qui nullum censeant fieri discessum, sed una animum & corpus occidere, animumque cum corpore extingui. Qui discedere animum censent, alii statim dissipari, alii diu permanere, alii semper* (b). Animum cum corpore haudquaquam in morte perire, sed sempiternum ipsum esse, in æternumque victurum, Pherecydes Syrus primus inter Philosophos, si Tullio credimus (c), dixit. Non defuere tamen, quos inter Choerilus poeta, teste Laertio (d), qui Thaleti Milesio id primo acceptum retulerint. Pherecydem hac super re disputantem cum audisset Pythagoras Samius, disputationis novitate permotus,

(a) Lib. XII. de *locis Theol.* cap. ultimo.
(b) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 9.
(c) Ibidem cap. 16.
(d) In vita Thaletis.

tus, ex athleta, ut scribit S. Augustinus ad Volusianum (a), in Philosophum commutatus, idipsum de animorum immortalitate & ipse sensit, etsi tamen in eo erraverit, quod animum, cum moritur homo, ex uno in corpus aliud transire fuerit opinatus. Trismegistum porro, Zoroastem, Anaxagoram, Aratum, aliosque pene innumeros in Pherecydis de animorum immortalitate abiisse sententiam, nemini dubium est. Inter hos tamen principem merito atque optimo sane jure tenent locum Socrates, divinus Plato, atque summus Orator Tullius. Ignorat nemo, quæ supremo vitæ die de animorum immortalitate Socrates disseruerit. *Cum enim pene manu jam mortiferum illud teneret poculum, locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in cœlum videretur ascendere. Ita enim censebat, itaque disseruit: duas esse vias, duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam, qui se humanis vitiis contaminavissent, & se totos libidinibus dedissent, quibus cœcati velut domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent, vel republica violanda fraudes inexpiabiles concepissent, iis devium quoddam iter esse seclusum a concilio Deorum; qui autem se integros castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, sesequе ab his semper sevocassent, essentque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere* (b). Nemo quoque nescit, quanto rationum pondere, animorum immortalitatem ostenderit Plato. *Tot rationes attulit*, inquit Tullius, *ut velle ceteris, sibi certe persuasisse videatur* (c). Fertur, teste S. Augustino, Ambraciotam Cleombrotum, *lecto Platonis libro, ubi de immortalitate animæ disputavit, se præcipitem dedisse de muro, atque ex hac vita migrasse ad eam, quam credidit esse meliorem. Nihil enim urgebat aut calamitatis, aut criminis, seu verum, seu falsum, quod non valendo ferre, se auferret; sed ad capessendam mortem, atque ad hujus vitæ suavia vincula rumpenda, sola adfuit animi magnitudo. Quod tamen magne potius factum esse, quam bene, testis ei potuit esse Plato ipse, quem legerat: qui profecto id præcipue potissimumque fecisset, vel etiam præcepisset, nisi ea mente, qua immortalitatem animæ vidit, nequaquam faciendum, quin etiam prohibendum esse, judicasset* (d). Qua demum animi firmitate atque constantia, animorum immortalitatem tutatus fuerit Tullius, mirum dictu est. *Credo*, inquit, *Deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, quique cœlestium ordinem contemplantes, imitarentur cum vita modo atque constantia. Nec me solum ratio, ac disputatio impulit,*

(a) Epist. 137. alias 3. n. 12. alias cap. 3.
(b) Tullius lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 30.
(c) Ibidem cap. 21.
(d) Lib. I. de *Civitate Dei* cap. 22.

pulit, ut ita crederem, sed nobilitas etiam summorum Philosophorum, & auctoritas. Audiebam Pythagoram, Pythagoricosque, incolas pene nostros, qui essent Italici Philosophi quondam nominati, nunquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus. Demonstrabantur mihi praeterea, quae Socrates supremo vitae die de immortalitate animorum disseruisset, is, qui esset sapientissimus oraculo Apollinis judicatus. Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio (a); *& si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo: sin mortuus, ut quidam minuti Philosophi censent, nihil sentiam, non vereor, ne hunc errorem meum mortui Philosophi derideant* (b). Tandem, si Platoni danda est fides, dubium esse nequit, quin Pindarus, ceterique omnes, quicunque Poetarum divini judicati sunt, habuerint pro re comperta, hominis animum in morte non extingui, sed immortalem ipsum esse, & sempiternum. *Ferunt enim*, inquit, *hominis animum immortalem esse, eumque tum decedere, quod quidem mori vocant; tum iterum redire, interire vero nunquam: quam ob causam, vitam quam sanctissime agere, monent* (c).

I I.

59. Contra vero nihil hominis superesse post mortem, una cum Leucippo, Democrito, aliisque ejusdem furfuris, si qui fuerunt, viris impiis, inique olim censuit Epicurus, contendens propterea, vanum esse, *qui mortem se timere dicit, non quia praesens maerore conficiatur, sed quia expectata, & futura contristet*; nihilque *ad nos pertinere, quod acerbissimum malorum sit, & horrendum maxime mors; quoniam*, inquit, *cum nos sumus, mors non adest; cum vero mors adest, nos jam non sumus* (d). Non secus quoque de animi duratione senserunt Stoici, hoc tamen discrimine, ut putarent, indoctorum animas, utpote imbeciliores, soluto corpore, paulatim concidere; animas vero eorum, qui sapientia virtuteque claruere, utpote firmiores constantioresque, ad totius usque mundi conflagrationem esse duraturas. *Stoici*, inquit Plutarchus, *animam corpore exeuntem, si invalidior sit, una cum concrementis subsistere, cujusmodi esse imperitorum animas; sin strenua sit, quales sunt sapientum, ad flagrantes usque naturas evadere* (e). Quisquis demum tenuit, humanam mentem esse corpoream, non minus impie de illius fine opinatus est. Neque enim fieri potest, ut una...

(a) Lib. *de senectute* cap. 21.
(b) Ibidem cap. 23.
(c) In *Menone*, sive de *virtute*.
(d) Laertius in vita *Epicuri*.
(e) Lib. IV. *de placitis Philos.* cap. 7.

una cum corpore non intereat in morte, quod eandem cum illo naturam obtinuit. Hinc Tullius, *si cor*, inquit, *aut sanguis, aut cerebrum est animus, certe, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore; si anima est, fortasse dissipabitur; si ignis, extinguetur; si est Aristoxeni harmonia, dissolvetur* (a). Porro inter omnes seu Græcos, seu Latinos, qui pessimam hanc, &, si qua est alia, summa vituperatione dignam, Epicuri de animi mortalitate doctrinam amplexati fuere, celebres quammaxime sunt Titus Lucretius Carus, atque Plinius. Ille quippe non contentus, se pessime cum Epicuro de animi natura sentire, conatus est (b), frustra tamen, pluribus argumentis ipsum mortalem esse, ostendere. Hic vero tanta mordacitate contra animi immortalitatem scripsit (c), ut pudeat prorsus, hoc loco illius verba referre.

III.

60. Hac vero super re quæ Aristotelis opinio fuerit, quodque judicium, incertum est. Pessime de mentis humanæ immortalitate sensisse Aristotelem, tenent S. Justinus Martyr, uterque Gregorius, Nyssenus nempe, & Nazianzenus, aliique non pauci, idque ex eo præsertim, quod *lib.* I. *Magnorum Moralium ad Nicomachum* cap. 10. Solonem redarguisse videatur, quod veram hominis felicitatem post mortem esse dixerit, & *lib.* III. *cap. 6.* expresse idem ipse docuerit, *nihil amplius homini mortuo contingere, neque bonum, neque malum*. Accedit, Alexandrum Aphrodisæum Aristotelis mentem ita semper esse interpretatum, quasi certa prorsus illius fuisset opinio, humanam mentem in morte plane extingui (d). At ex adverso, mentem ipsam minime ab Aristotele positam fuisse mortalem, sentiunt, post Theophrastum illius auditorem, Ammonius, Philoponus, Simplicius, aliique præterea multi, quos inter Angelicus Doctor (e), & Albertus Magnus (f). Profecto, cum lib. II. de *gen. animal.* cap. 3, dixerit Aristoteles, *mentem solam forinsecus advenire, eamque tantum divinam esse, utpote quod ejus actio nihil habeat cum corporis actione commune*, extra dubitationis aleam videtur, mentem humanam, illius judicio, esse substantiam spiritualem, atque hinc corruptioni haudquaquam obnoxiam. Demum Doctor Subtilis, Harvæus, Conimbricenses, & alii opinantur, Aristotelem nihil quidem certo hac super re determinasse, verum in eam propen-

(a) Lib. I. *qq. Tuscul.* c. 11.
(b) Lib. III. de *rerum natura* a v. 418. ad v. 842.
(c) Lib. VII. *Hist. Natur.* cap. 55.
(d) Apud Cœlium Rhodiginum l. I. *lect. Antiq.* c. 2.
(e) Lib. II. *conta Gentes* cap. 79.
(f) Lib. II. de *anima* cap. 20.

diſſe partem, quæ humanæ menti immorralitatem tribuit. *Dubium eſt*, ait Doctor Subtilis, *quid Philoſophus circa hoc ſenſit. Varie enim loquitur in diverſis locis, & habuit diverſa principia, in quorum aliquibus videtur ſequi unum oppoſitum, in aliis aliud. Unde probabile eſt, quod in illa concluſione ſemper fuerit dubius, & nunc magis accedere ad unam partem, nunc ad aliam, juxta hoc, quod tractabat materiam conſonam uni parti, magis quam alteri* (a). Si tamen Themiſtio credimus, de animorum immortalitate minime dubitavit Ariſtoteles. In Dialogo etenim, quem ad Eudemum familiarem ſuum, cujus meminit Tullius lib. I. *de Divinatione* cap. 25., & Plutarchus tum in *vita Dionis*, tum in *conſolatoria ad Apollonium*, ſcripſit Peripateticorum Princeps, non tenuit ſolum, ut ipſe refert Themiſtius (b), verum etiam multis demonſtravit argumentis, humanam mentem haudquaquam in morte perire. Accedit, monumentis fuiſſe proditum, teſte Cœlio Rhodigino, *cum Philoſophus hic extremo ſibi ingruere præſenſiſſet, dolore ac ſpe in lacrymas amplius profuſum, primæ cauſæ miſericordiam intenſius imploraſſe* (c): adnotatum quoque haberi in quodam libro, qui, ut ille idem ait, de *pomo* inſcribitur, *Scholaſticos, qui morienti aderant Ariſtoteli, cum is jam expiraſſet, ſic virum affatos: Qui Philoſophorum animas excipit, & tuam colligat, in ſuis recondens theſauris, uti animam addecet recti hominis & perfecti, qualem te novimus* (d): quæ profecto haud dixiſſent, ſi Ariſtotelis fuiſſet opinio, animum una cum corpore interire, penituſque in morte extingui. Hactenus quid hac ſuper re ſenſerint vetuſtiores Philoſophi. Modo reſtat, ut videamus, quid ſentire debeat animus docilis, & veritatis ſtudioſus, non refractarius atque pertinax. Nec enim, ſi quis hujuſcemodi occurrerit, rem hanc cum illo agere mihi in animo eſt. Ut enim monuimus in Logica (§. 548.), refractario & pertinaci ſatius eſt reſpondere antiquum illum ſermonem: *Hæc mihi videntur; illa vero tibi*.

DEFINITIO I.

61. *Intrinſecus incorruptibile* dicitur illud, *quod perire nonniſi per annihilationem poteſt*. Sic angeli eatenus dicuntur *intrinſecus incorruptibiles*, quatenus nonniſi per annihilationem queunt interimi. Idipſum quoque aperte conſtabit, ſi ad ea attendamus animum, quæ *intrinſe-*

(a) IV. *Sentent.* Diſtin. 43. q. 2. §. *Poteſt dici*.
(b) Paraph. ſuper III. de *anima* cap. 37.
(c) Lib. XVIII. *lect. antiq.* cap. 33.
(d) Lib. XVIII. *lect. antiq.* cap. 31.

secus corruptibilia ipsi dicimus. Contrariorum enim contraria ratio est; ac proinde etiam opposita explicatio.

COROLLARIUM.

62. *Omnis substantia simplex est intrinsecus incorruptibilis.* Hujuscemodi namque ipsa est, ut nonnisi per annihilationem perire queat (P.I. 241.).

DEFINITIO II.

63. Illud vero dicitur non *intrinsecus* solum, verum etiam *extrinsecus incorruptibile, quod est hujuscemodi, ut ipsum perire, omnino repugnet.* Hinc

COROLLARIUM.

64. *Solus Deus est intrinsecus simul atque extrinsecus incorruptibilis.* Deus enim nulli subjectus est; cetera vero entia à Deo dependent, ut existant.

SCHOLION.

65. Quod non *intrinsece* solum, verum etiam *extrinsecus* est incorruptibile, *simpliciter*; quod vero est incorruptibile tantum *intrinsecus*, incorruptibile *secundum quid* nuncupatur.

DEFINITIO III.

66. Illud vivens dicitur *intrinsecus*, sive *natura sua, immortale, quod natura viribus nequit vita privari.* Sicuti enim mortale natura sua est, quidquid ita vivit, ut viribus naturæ possit in eo vita extingui, ita ex adverso natura sua est immortale, quod naturæ viribus eo pervenire nequit, ut nullam amplius valeat vitæ functionem exercere.

COROLLARIUM I.

67. *Spectatis ergo viribus naturæ, quod natura sua immortale est, in æternum vivet.* Etenim nunquam in eo extinguetur vita, si naturalium dumtaxat causarum ratio habeatur.

COROLLARIUM II.

68. *Nihil potest esse natura sua immortale, nisi natura sua sit incorruptibile.* Quod enim natura sua corruptibile est, potest naturæ viribus deficere; ac proinde etiam vita privari.

COROLLARIUM III.

69. *Immortale natura sua non est, quod in vitæ functionibus exercendis, natura sua, atque adeo necessario, a corruptibili dependet.* Quod enim, ut vitaliter operetur, intrinsecus dependet a corruptibili, eo potest naturæ viribus pervenire, ut vitaliter operari non amplius possit. Etenim si id corrumpatur, a quo illud, ut vivat, dependet, omnis vitalis actio, atque adeo etiam vita, in ipso deficiat, necesse est. Hinc

COROLLARIUM IV.

70. *Potest aliquod vivens esse intrinsecus incorruptibile, quin natura sua sit immortale.* Incorruptibile siquidem esse potest, simulque in vitæ functionibus exercendis a corruptibili intrinsecus dependere.

DEFINITIO IV.

71. *Immortale non intrinsecus solum, verum etiam extrinsecus,* vivens illud nuncupatur, *quod a nullo prorsus extrinseco agente potest vita privari.* Hinc

COROLLARIUM.

72. *Hujusmodi immortalitas solius Dei propria est.* Solus enim Deus, utpote solus *simpliciter* independens, ita vivit, ut a nullo prorsus agente possit in eo vita extingui. Hoc itaque sensu sumitur immortalitas a D. Paulo, cum solum Deum immortalem appellat (a).

SCHOLION.

73. Immortale tam *intrinsecus*, quam *extrinsecus* dicitur immortale *simpliciter*; dicitur vero immortale *secundum quid*, quod *intrinsecus* dumtaxat est immortale.

ANI-

(a) Epist. I. ad *Timotheum* cap. 6. v. 16.

ANIMADVERSIO I.

74. Cum quæritur, *an humana mens sit immortalis*, res est dumtaxat de immortalitate intrinseca. Dubitabit siquidem nemo, quin Deus, si velit, possit mentem ipsam in hominis morte perimere. Hinc rectissime Plato minores Deos, angelos scilicet, Deum sic alloquentem inducit: *Generati estis, immortales quidem, & tamen indissolubiles omnino non estis. Nec tamen unquam dissolvemini, nec mortis fatum subibitis. Nam voluntas mea majus præstantiusque vobis est vinculum ad vitam custodiendam, quam nexus illi, quibus estis tunc, cum gignebamini, colligati* (a).

ANIMADVERSIO II.

75. Ut humana mens natura sua immortalis evincatur, ostendere minime sufficit, quemadmodum recte observat Cl. Volfius (b), eam natura sua esse incorruptibilem, sive una cum corpore in morte haudquaquam perire. Non enim ex intrinseca illius incorruptibilitate adeo aperte sequitur, ipsam post mortem vivere, ut a nemine prorsus id vocari in dubium possit. Erit fortasse, qui utique dabit, mentem natura sua superesse post mortem; at ibit inficias, eam tunc vita donari. Epicureis profecto, aliisque ejusdem furfuris, perinde est, sive humana mens, dum moritur homo, una cum corpore dissipetur, & pereat, sive maneat corpori post mortem superstes, dummodo id unum illis detur, vitam, sive cogitandi potentiam in ipsa mente aut prorsus per mortem deficere, aut adeo impediri, ut nihil intelligere, nihilque velle aut nolle tunc ipsa possit. Adhuc quippe stat, quod viribus nervisque omnibus sibi, aliisque suadere nituntur, nihil scilicet superesse post mortem sive boni, sive mali, quo ita affici tunc queat mens, ut vel delectetur & gaudeat, vel tristetur & doleat.

ANIMADVERSIO III.

76. Ut ergo quæstioni de humanæ mentis immortalitate fiat satis, ostendendum est primo: *mentem ipsam natura sua corpori superesse post mortem*. Secundo: *eam sejunctam a corpore perinde prorsus, ac dum illi*

(a) In *Timæo*.
(b) Psychol *ration.* §. 739.

illi copulata est, ne dicam perfectius, cogitare & vivere. Postremo, *neque Dei voluntate, humanam mentem una cum corpore in morte perire*.

HYPOTHESIS.

77. *Nullum agens creatum annihilandi vim habet*. Solius quippe Dei id proprium est, quemadmodum ei tantum competit, res ex nihilo condere. Hinc

COROLLARIUM.

78. *Nulla substantia simplex interimi potest ab agente creato*. Hæc enim nonnisi per annihilationem potest perire (P. I. §. 241.).

PROPOSITIO I.

Mens humana, ipsa sua natura, corpore non indiget, ut existat.

79. *Probatur*. Mens humana opus non habet subjecto, ut existat (§. 33.). Ergo neque corpore. Etenim a corpore, nonnisi tamquam a subjecto, potest humana mens dependere.

Confirmatur. Cum enim mens sit substantia spiritualis (§.47.), præstantis adeo est naturæ, ut, quemadmodum egregie ait Plato, maxime cognata sit *cum ente puro, sempiterno, & immortali* (a), eamque Tullius juraret esse divinam (b). Ergo fieri minime posse videtur, ut a corpore, quod ab ente puro maxime distat, mens ipsa in existendo natura sua dependeat.

COROLLARIUM.

80. *Humana itaque mens potest, natura sua, a corpore separata existere*. Unumquodque enim sine eo existere naturaliter potest, a quo, ut existat, intrinsecus non dependet.

PROPOSITIO II.

Mens humana perire nequit per dissolutionem partium.

81. *Probatur*. Mens humana est substantia intrinsecus indivibilis (§. 38.). Ergo partium dissociatione perire haud potest. Hinc Tullius,

(a) In *Phædone*. (b) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 25.

lius, *in animi*, inquit, *cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex: quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discrepi, nec distrahi potest: nec interire igitur. Est enim interitus quasi discessus, & secretio, ac direptio earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur* (a).

COROLLARIUM.

82. *Hinc eodem modo perire nequit humana mens, quo mixta quæque, ac proinde etiam humanum corpus, intereunt*. Hæc enim omnia, ut constat ex Physica, partium dissociatione dissipantur & pereunt.

PROPOSITIO III.

Mens humana est substantia intrinsecus incorruptibilis.

83. *Probatur*. Mens humana est substantia simplex (§. 44.). Ergo est intrinsecus incorruptibilis (§. 62.).

COROLLARIUM I.

84. *Humana itaque mens nonnisi per annihilationem potest perire* (§. 61.).

COROLLARIUM II.

85. *Perire nequit humana mens per actionem agentis creati*. Humana siquidem mens nonnisi per annihilationem perire potest (§. 84.). Hæc autem creati agentis vim superat (§. 77.). Ergo nequit humana mens per hujuscemodi agentis vim actionemque perire.

SCHOLION.

86. Id ex eo etiam immediate patet, quod mens humana sit substantia simplex (§. 62.).

COROLLARIUM III.

87. *Natura itaque sua manet humana mens corpori post mortem superstes*. Manet quippe natura sua superstes post mortem, si ipsa sua natura

(a) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 29.

tura neque dependeat a corpore, ut exiſtat; neque per actionem agentis creati ea poſſit in morte perire.

PROPOSITIO IV.

Humana mens poteſt natura ſua, etiam a corpore ſeparata, cogitare:

88. Hæc propoſitio maximi, ut ex dictis patet, momenti eſt. Quamobrem accuratius, quoad poteſt fieri, eſt demonſtranda. Itaque

I.

89. Mens humana poteſt ipſa ſua natura a corpore ſeparata exiſtere (§.79.). Ergo ſejuncta a corpore poteſt etiam cogitare. Ut enim habet vulgare proloquium, omnium Philoſophorum conſenſione merito optimoque jure probatum, *operatio ſequitur eſſe; modusque operandi ita ex lege naturæ conſequitur modum eſſendi, eique reſpondet, ut eo modo, quo exiſtere poteſt res, & reipſa exiſtit, operari illa poſſit, & operetur reipſa*. Et ſane, naturalis capacitas exiſtendi ſine corpore eſſet in humana mente prorſus fruſtranea, ſi a corpore ſejuncta, operari mens ipſa, ſeu cogitare nequiret. Nec enim puto eſſe, qui velit, animam rationalem, dum ab uno corpore per mortem ſoluta eſt, corpus aliud aſſumere, novumque conſtituere hominem, atque ita deinceps, ne unquam ſcilicet otioſa conſiſtat, quemadmodum olim ſomniavit ille, qui dicebat, ſe primo fuiſſe Æthalidem, poſtea Euphorbum, deinde Hermotimum, tum Pyrrhum, ac deinde poſt Pyrrhi mortem factum eſſe Pythagoram (a). Quæ enim *feruntur accidiſſe*, inquit S. Auguſtinus, *ut quidam quaſi recordarentur, in quorum animalium corporibus fuerint, aut falſa narrantur, aut ludificationibus dæmonum hoc in eorum animis factum eſt. Si enim contingit in ſomnis, ut fallaci memoria quaſi recordetur ſe homo fuiſſe, quod non fuit, aut egiſſe, quod non egit, quid mirum, ſi quodam Dei juſto occultoque judicio, ſinuntur dæmones in cordibus etiam vigilantium tale aliquid poſſe* (b).

II.

90. Si nihil impedit, quominus humana mens a corpore ſeparata exiſtat, nihil itidem eſt, quod ne ipſa cogitare tunc poſſit, jure prohibeat. Certum eſt enim, cogitationem eſſe operationem omnino

(a) Apud Laertium lib. VIII. *in vita Pithagoræ*.
(b) Lib. VII. *de Geneſi ad litteram* n. 16. alias c. 11.

no spiritualem; ac proinde ex suo genere independentem a materia non solum ut a principio, verum etiam ut a conditione intrinsecus, atque adeo necessario, prærequisita. Constat quoque, separatæ menti non deesse objectum, circa quod cogitando versetur. Ipsa enim sibi semper præsto est, & quidem adeo, ut, quemadmodum egregie advertit S. Augustinus (a), nihil illi adsit intimius. Nulla quoque corporea imagine indiget, ut noscat seipsam; cum nulla sit, quæ valeat mentem ipsam ipsi menti exprimere. Videtur postremo, eadem ratione, qua mens cogitat copulata corpori, posse & separata cogitare. Qua enim vi, sive potentia, dum corpori conjuncta est, circa rerum earum versatur imagines, quæ ex illarum appulsu in cerebro excitantur, eique, objecti instar, ut suo loco dicemus, sistuntur; eadem ipsa vi poterit etiam a corpore separata circa res ipsas immediate versari, eas in seipsis percipere, ac proinde clarius, quam dum corpori unita est, illas omnes cogitatione complecti. Hinc Tullius, postquam dixit, *animum & videre, & audire, non eas partes*, organa scilicet sensuum externorum, *quæ quasi fenestræ sunt animi*, corporea, inquit, objecta *tum multo puriora, & dilucidiora cernentur, cum, quo natura fert, liber animus pervenerit. Nam nunc quidem, quamquam foramina illa, quæ patent ad animum a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est, tamen terrenis concretisque corporibus sunt intersepta quodammodo; cum autem nihil erit præter animum, nulla res objecta impediet, quominus percipiat, quale quidque sit* (b). Unde summus ipse Orator, vel, quicumque ille fuerit, auctor libri *de consolatione*, appetendam mortem a nobis esse ait, *quæ eo levior esse debet, quod omnibus communis sit, nec cuiquam singularis, aut præcipua; sed hoc quoque gratior, quod nos a multis erroribus abstrahit (quibus, quoad vivimus, in tanta opinionum varietate, assiduaque veri inquisitione perturbari sæpe solemus) & ad ipsam cernendam fruendamque veritatem jucunde traducit.*

III.

91. Ignorat nemo, mentem nostram, cum in sublimium præsertim, divinarumque rerum vult contemplatione versari, avocare se ab exterioribus, & sensibilibus, se intro recipere, seque ipsam ita in seipsa colligere, ut sejungi a corpore quodammodo videatur. *Cum anima*, inquit Auctor libri *de spiritu & anima* cap. 32, *vult intelligere vel divina, vel Deum, vel seipsam, suasque considerare virtutes, abstrahit*

(a) Lib. X. *de Trinitate* num. 10. alias cap. 7.
(b) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 20.

ſtrahit ſe ab omnibus corporis ſenſibus, quibus non adjuvatur, niſi ad corporeas figuras, coloreſque ſentiendos, & ſpiritu atque ratione ſe conſpicit, meditatione atque contemplatione ad Deum aſcendit. Quinimo univerſaliter, *quis bene ſe inſpiciens*, ut præclare obſervat S. Auguſtinus, *non expertus eſt, tanto ſe aliquid intellexiſse ſincerius, quanto removere atque ſubducere intentionem mentis a corporis ſenſibus potuit* (a)? *Ratiocinatur tunc optime animus*, inquit ſummus ille Philoſophus Plato, *quando horum nihil eum perturbat, neque auditus, neque viſus, neque dolor, neque voluptas; ſed quammaxime ſeipſum in ſe recipiens, deſerit corpus, neque quidquam, quoad fieri poteſt, cum illo communicans, neque attingens, ipſum, quod vere eſt, affectat* (b). Unde, eodem teſte, *dum vivimus, proxime ad ſcientiam accedemus, ſi quamminimum cum corpore commercium habuerimus, nec quidquam cum illo communicaverimus* (c). Tantum igitur abeſt, humanam mentem in cogitando a corpore ipſa ſua natura dependere, quin potius corporis vinculum maximo illi impedimento ſit, ne res, & quidem præcipue quæ ſublimioris ſunt ordinis, diſtincte nitideque percipiat. Neque enim, cum ab ſublimium præſertim rerum contemplationem rapitur, atque in illis conſiderandis verſatur mens, liberari a corpore quodammodo niteretur, ſi, depoſitis corporis exuviis, nihil prorſus percipere, minimeque cogitare tunc ipſa valeret. Rectiſſime propterea conſuluit olim Tullius, ut in ſui avocatione a ſenſibilibus homo ſeſe pro viribus exerceret. Hinc quippe fore arbitrabatur Vir ſummus, ut expeditior ad ſublimia animorum curſus poſt mortem fieret. *Hoc commentemur*, inquit, *mihi crede, disjungamuſque nos a corporibus, ideſt, conſueſcamus mori. Hoc & dum erimus in terris, erit illi cæleſti vitæ ſimile; &, cum illuc ex his vinculis emiſſi feremur, minus tardabitur curſus animorum. Nam, qui in compedibus corporis ſemper fuerunt, etiam cum ſoluti ſunt, tardius ingrediuntur, ut ii, qui ferro vincti multos annos fuerunt. Quo cum venerimus, tum denique vivemus* (d).

IV.

92. Ecſtaſis maximo quoque argumento eſt, humanam mentem a corpore ſeparatam cogitare optime poſſe. Definitur *ecſtaſis* a S. Auguſtino, *alienatio mentis*, hoc eſt, *averſa mens a conſuetudine corporali ad viſum quemdam contemplandum, alienata a præſentibus* (e). Cogitat itaque mens in ecſtaſim rapta, quin ſenſibus tunc ipſa utatur;

atque

(a) Lib. *de immortalitate animæ* n. 17. alias cap. 10.
(b) In *Phædone*.
(c) Ibidem.
(d) Lib. I. *qq. Tuſcul.* cap. 31.
(e) Serm. III. *ſuper pſalm.* 103.

atque adeo tunc agit, perinde ac si a corpore sejuncta existeret. *Tunc omnino*, inquit laudatus S. Doctor, *quacumque sint præsentia corpora, etiam patentibus oculis, non videntur, nec ulla voces prorsus audiuntur. Totus animi contuitus aut in corporum imaginibus est per spiritalem, aut in rebus incorporeis, nulla corporis imagine figuratis, per intellectualem visionem* (a). Quamvis autem naturæ viribus non possit humana mens in ecstasim rapi (donum quippe Dei est) id tamen non impedit, quominus colligere hinc rectissime liceat, mentem nostram non adeo a corpore dependere in cogitando, ut ab illo separata, suique juris facta, cogitare non possit. Satis est enim, ut alicujus hominis anima in ecstasim rapta aliquando fuerit: quod quidem non semel contigisse, adeo certum puto, ut nemo sine maxima temeritatis nota illud valeat in dubium revocare. Ceterum etiam naturæ viribus non raro contingit, ut tanta in nobis fiat mentis a sensibus alienatio, ut supernaturalem ecstasim æmulari ipsa videatur. Profecto de Socrate refert Aulus Gellius, quod solitus fuerit stare *pertinaci statu perdius, atque pernox, a summo lucis ortu ad Solem alterum orientem inconvivens, immobilis, iisdem in vestigiis, & ore atque oculis eundem in locum directis, cogitabundus, tamquam quodam secessu mentis atque animi facto a corpore* (b). Observatione quoque dignum est, quod narrat S. Augustinus, fuisse nimirum presbyterum quemdam, nomine Restitutum, *qui, quando ei placebat* (*rogabatur autem, ut hoc faceret, ab eis, qui rem mirabilem coram scire cupiebant*) *ad imitatas quasi lamentatis cujuslibet hominis voces, ita se auferebat a sensibus, & jacebat simillimus mortuo, ut non solum vellicantes atque pungentes minime sentiret, sed aliquando etiam igne ureretur admoto, sine ullo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere. Non autem obnitendo, sed non sentiendo, non movere corpus, ex eo probabatur, quod, tamquam in defuncto, nullus inveniebatur anhelitus; hominum tamen voces, si clarius loquerentur, tamquam de longinquo se audire postea referebat* (c). Evidenter demum elucet, ut præclare observat idem S. Doctor, *quod plerumque se vehementi cogitationis intentione avertit* (mens) *ab omnibus, ut præ oculis patentibus recteque valentibus multa posita nesciat. Et si major intentio sit, dum ambulabat, repente subsistat, avertens utique imperandi nutum a ministerio motionis, qua pedes agebantur. Si autem non tanta sic cogitationis intentio, ut figat ambulantem loco, sed tamen tanta, ut partem illam cerebri mediam nuntiantem corporis motus non vacet advertere, obliviscitur aliquando & unde veniat, & quo eat, & tran-*

(a) Lib. XII *super Genes. ad literam* n. 25. alias cap. 12.

(b) Lib. II. *noctium Atticarum* cap. 1.

(c) Lib. XIV. *de Civitate Dei* cap. 24.

transit imprudens villam, quo tendebat, natura sui corporis sana, sed sua vi in aliud avocata (a). Potest igitur humana mens vi sua ita alio distrahi, seque ipsam ita in seipsa colligere, ut ad eas motiones, quæ in sensibus fiunt, quasi corpore reipsa vacaret, nequaquam attendat. Ergo in cogitando non ita a corpore dependet, ut, nisi illi copulata sit, cogitare non possit.

V.

93. Res demum perspicua cuique est, ipsa teste conscientia, summum in nobis esse desiderium nitide cognoscendi veritates plurimas, quas modo nonnisi confuse obscureque attingimus, nosque in earum notitiam tendere, atque ad illas rapi quodammodo, appetitu innato, & instinctu quodam vehementissimo. *Tantus est innatus in nobis cognitionis amor & scientiæ, ut,* auctore Tullio, *nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Videmusne, ut pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus, perquirendisque deterreantur? ut pulsi requirant, & aliquid scire se gaudeant? ut aliis narrare gestiant? ut pompa, ludis, atque ejusmodi spectaculis teneantur, ob eamque rem vel famem & sitim perferant? Quid vero? Qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus, eos nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem, omniaque perpeti, ipsa cognitione, & scientia captos? & cum maximis curis, & laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant, voluptatem? Mihi quidem Homerus hujusmodi quiddam vidisse videtur in iis, quæ de Sirenum cantibus finxerit. Neque enim vocum suavitate videntur, aut novitate quadam, & varietate cantandi revocare eos solitæ, qui prætervehebantur, sed quia multa se scire profitebantur, ut homines ad earum saxa, discendi cupiditate, adhærescerent. Ita enim invitant Ulyssem: (nam verti, ut quædam Homeri, sic istum ipsum locum)*

O decus Argolicum, quin puppim flectis Ulysses,
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus.
Nam nemo hæc unquam est transvectus cęrula cursu,
Quin prius adstiterit, vocum dulcedine captus;
Post variis avido satiatus pectore Musis,
Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli, cladem que canemus,
Græcia quam Trojæ divino numine vexit;
Omniaque e latis regum vestigia terris. . . . . . .

Vidit Homerus, probari fabulam non posse, si cantiunculis tantus vir ir-

(a) Lib. VII. *super Genes. ad literam* n. 26 alias c. 20.

vetitus teneretur. Scientiam pollicentur: quam non erat mirum sapientiæ cupido patria cariorem. Atque omnia quidem scire, cujuscunque modi sunt, cupere curiosorum; duci vero majorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiæ, summorum virorum est putandum. Quem enim ardorem studii censetis fuisse in Archimede, qui dum in pulvere quædam describit attentius, ne patriam quidem captam esse senserit? Quantum Aristoxeni ingenium consumptum videmus in musicis? Quo studio Aristophanem putamus ætatem in literis duxisse? Quid de Pythagora? Quid de Platone, aut Democrate loquar, a quibus propter discendi cupiditatem, videmus ultimas terras esse peragratas? qua qui non vident, nihil unquam magna cognitione dignum amaverunt (a). Neque porro mirandum, quod tanta nobis insit veri cognoscendi cupido; cum certo jam pateat, humanam felicitatem in cognitione fruitioneque veritatis consistere. *Nihil beatius homini posse contingere*, inquit auctor libri *de consolatione* Tullio adscripti, quam ut veritatem cernat, eaque fruatur; *satis, ut arbitror, ex eo suspicari possumus, quod innata est homini cupiditas scientiæ: ejus autem præstantia, non sane video, qua alia in re, nisi in perfecta veritatis cognitione posita sit: ex quo fit, ut veritatis cognitionem assecuti, perfecta absolutaque scientia potiamur, vereque dici potest, qui veritatem intueatur, sensuque percipiat, eum voti sui compotem, vereque beatum esse.* Jam vero, si *natura inest mentibus nostris insatiabilis quædam cupiditas veri videndi* (b) sive, ut ait Lactantius, *si naturam hominis Deus veri adipiscendi cupidissimam fecit* (c); sique *appetitio intelligendi ea, quæ vere summeque sunt, summus adspectus est animæ, quo perfectiorem, meliorem, rectioremque non habet* (d), reliquum profecto est, ut dicamus, vel hoc sciendi desiderium frustra nobis a natura fuisse collatum; quippe quod, si cogitandi vis una cum corpore in morte extinguitur, nulla omnino possit ratione expleri: vel mentem nostram a corpore separatam cogitare optime posse; certoque fore, ut ea tunc nitide distincteque mens ipsa percipiat, quorum notitiam nonnisi optare, & quidem vehementissime, modo valemus.

SCHOLION.

94. Si humana mens, a corpore soluta, percipere potest, suarumque perceptionum esse conscia, dubium esse nequit, quin velle, & nolle, gaudere, atque tristari, aliisque id genus motibus affici, ea ipsa

(a) Lib. V. *de Finibus* cap. 18., & 19.
(b) Tullius lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 19.
(c) Lib. III. *Divin. Instit.* cap. 3.
(d) S. Augustinus lib. *de quantitate animæ* num. 75. alias cap. 33.

sa tunc itidem queat. Motiones namque hujuscemodi, sive affectus, non solum independentes sunt a materia, perinde prorsus ac ipsa rerum perceptio, verum etiam ipsam perceptionem in anima consequuntur.

COROLLARIUM.

95. *Vivit ergo humana mens, etiam a corpore separata.* Vita enim mentis humanæ in cogitatione posita est.

PROPOSITIO V.

Humana mens ipsa sua natura est immortalis.

96. Duo sunt argumentorum genera, quibus humana mens solet ipsa sua natura immortalis ostendi, *metaphysica* nimirum, & *moralia.* Prioris generis dicuntur illa, quæ ex ipsius mentis essentia; posterioris vero, quæ ex moralibus quibusdam principiis, derivantur. Illa rem demonstrant; hæc suadent tantum. Ea tamen suadent vi, eoque pondere, ut, *si non protervum & repugnantem*, quemadmodum egregie observat doctissimus Melchior Canus, vincant certe *docilem hominem, & ad disciplinæ leges bene informatum* (a). Metaphysica itaque primo, tum moralia afferemus.

I.

97. Cum enim humana mens a corpore separata cogitare possit (§.87.), hujuscemodi ipsa est, ut ab eo tantum possit vita privari, a quo potest destrui. Non enim sufficit, ut a corpore separetur, ne cogitet, atque adeo ne vivat, si a corpore sejuncta cogitare ipsa potest. Nullum autem agens creatum potest humanam mentem destruere (§. 84.). Ergo nullum potest sua ipsam vita privare. Intrinsecus autem immortale est, quod per actionem creati agentis carere nequit vita (§.65.). Ergo humana mens est ipsa sua natura intrinsecus immortalis.

II.

98. Mens humana est substantia cogitans, atque adeo ita seipsam movens, ut una sentiat, quemadmodum præclare ait Tullius, *se vi sua, non aliena, moveri; nec accidere posse, ut ipsa unquam a se deseratur* (b). Ergo ita vivit, ut illa nunquam possit per actionem creati agen-

(a) Lib. XII. *de locis Theol.* cap. 14. (b) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 23.

agentis a vita cessare, experientia nimirum ad evidentiam demonstrante, in iis tantum, naturæ viribus, motum extingui, & dissipari vitam, quæ non a seipsis, sed alieno pulsu aguntur. Hanc porro rationem, quæ Platonis est, ita exhibet elegantissimus Cicero: *Quod semper movetur, æternum est. Quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat, necesse est. Solum igitur, quod seipsum movet, quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moveri quidem desinit: quin etiam ceteris, quæ moventur, hic fons, hoc principium est movendi. Principii autem nulla est origo; nam e principio oriuntur omnia; ipsum autem nulla ex re alia nasci potest; nec enim esset principium, quod gigneretur aliunde: quod si nunquam oritur, nec occidit quidem unquam. Nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec a se aliud creabit. Siquidem necesse est, a principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur. Id autem nec nasci potest, nec mori: vel concidat omne cœlum, omnisque natura consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur, qua primo impulsa moveatur. Cum pateat igitur, æternum id esse, quod seipsum moveat, quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo; quod autem est animale, id motu cietur interiore & suo. Nam hac est propria natura animi atque vis: qua si est una ex omnibus, quæ seipsam semper moveat, neque nata certe est, & æterna est* (a). Tanti autem rationem hanc fecit ipse Tullius, eoque in pretio ab omnibus habendam esse arbitrabatur, ut, *licet*, dicat, *concurrant plebeii omnes Philosophi (sic enim ii, qui a Platone & Socrate, & ab ea familia dissident, appellandi videntur) non modo nihil unquam tam eleganter explicabunt, sed ne hoc quidem ipsum quam subtiliter conclusum sit, intelligent* (b). Contra tamen Lactantius opinatus est, contendens, hoc argumento animam non hominis tantum, sed & belluarum, æternam evinci & immortalem (c). Verum contendit Cl. Du-Hamel, Platonicam hanc rationem, si penitius inspiciatur, resque ipsa si consideretur attente, non parum roboris firmitatisque habere. Quippe, ut ille ait, & recte quidem, quemadmodum satis constat ex Physica, *cetera animantes non seipsas movent, si proprie loqui velit mus, sed agitantur aliunde. Sensus earum, & nostri corporum incursu impelluntur, ac nullas exerunt functiones, quæ a corporibus non pendeant, cuncta in iis necessitate quadam fiunt. Sed homo consulto & deliberate*

 agit,

(a) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 23.
(b) Ibidem.
(c) Lib. VII. de *Divin. Instit.* cap. 8.

agit, atque ad eundem finem non uno tramite contendit (a). Hinc Auctor libri de *spiritu & anima* cap. 36., *vita*, inquit, *anima est, vivens quidem, sed non aliunde, quam a seipsa, & ob hoc non tam vivens, quam vita est. Inde est, quod infusa corpori vivificat illud; ut sit corpus de vita præsentia, non vita, sed vivens.* Neque omittendum, hac ipsa ratione usum fuisse S. Augustinum, ut humanam quoque mentem mortalitatis expertem ostenderet. Ita enim Vir summus argumentabatur: *si quisquam non eum interitum dicit formidandum animo, quo efficitur, ut nihil sit, quod aliquid fuit; sed eum, quo dicimus ea mortua, quæ vita carent, ostendat, quod nulla res seipsa caret. Est autem animus vita quadam, unde omne, quod animatum est, vivere; omne autem inanime, quod animari potest, mortuum, idest vita privatum intelligitur. Non ergo potest animus mori. Nam si carere poterit vita, non animus, sed animatum aliquid est. Quod si absurdum est, multo minus hoc genus interitus timendum est animo, quod vita certe non est timendum. Nam prorsus si tunc moritur animus, cum eum deserit vita illa, ipsa vita, quæ hunc deserit, multo melius intelligitur animus, ut jam non sit animus, quidquid a vita deseritur, sed ea ipsa vita, quæ deserit. Quidquid enim vita desertum mortuum dicitur, id ab anima desertum intelligitur: hæc autem vita, quæ deserit ea, quæ moriuntur, quia ipsa est animus, & seipsam non deserit, non moritur animus* (b).

III.

99. Ipsæ etiam mentis operationes atque vires quemadmodum, si attento animo inspectæ a nobis fuerint, fateri nos cogunt, illius naturam, sive substantiam esse prope divinam (§. 50.), ita eædem ipsæ ad evidentiam ostendunt, ipsam mentem numquam posse a vita cessare. Neque enim videtur posse a nobis concipi, neque fieri, quemadmodum ex Platone egregie argumentatur Lactantius, *quin sit immortalis animus humanus, cujus miranda solertia inveniendi, & celeritas cogitandi, & facilitas percipiendi atque discendi, & memoria præteritorum, & providentia futurorum, & artium plerumque innumerabilium scientia, quæ cetera carent animantia, divina & cœlestis apparet; quia & origo animi, qui tanta capiat, tanta contineat, nulla reperitur in terris; siquidem in concretione terrena nihil habet admixtum, sed necesse esse, in terram resolvi, quod est in homine ponderosum & dissolubile: quod autem tenue est atque subtile, id vero esse individuum, ac domicilio*

(a) Tract. III. *Metaph. ad usum Burgund.* Disp. III. q. 1.
(b) Lib. de *immortalitate animæ* num. 16. alibs cap. 11.

tio corporis velut carcere liberatum, ad cęlum & ad naturam suam pervolare (a). Hæc ratio quam valuerit apud Tullium, ac proinde quanti ab iis etiam facienda sit, qui recte de rebus sentiunt, ex eo vel maxime patere arbitror, quod postquam dixerat Vir summus, non solam fuisse rationem, sed nobilitatem etiam, auctoritatemque maximorum Philosophorum, quæ eum impulit, ut crederet, *Deos immortales sparsisse animos in corpora humana*, in hæc præclara, tantoque Viro digna, verba proruperit: *quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio, cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum, futurorum prudentia, tot artes, tot scientiæ, tot inventa, non posse eam naturam, quæ res eas continet, esse mortalem* (b).

I V.

100. Hactenus *metaphysica*, nunc ad ea momenta, quæ *moralia* dicuntur, gradum facimus. Illud autem inter hæc omnia principem proculdubio locum tenet, quod ex firmissimo omnium populorum consensu, constantique per omnes ætates nationum omnium sententia, non institutis, teste Tullio, confirmata, non legibus, derivatur. *Cum de animarum æternitate disserimus; non leve*, inquit Seneca, *momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium æthera, aut colentium* (c): & recte quidem; quandoquidem, ut sapienter advertit laudatus Romanæ eloquentiæ Princeps, *omni in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est* (d). Profecto, sicuti, eodem teste, & suo loco dicemus, *firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, neque omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio* (e); ita maximum pro animorum immortalitate argumentum est, quod omnes sic semper senserint, & sentiant modo, *natura duce, nulla ratione, nullaque doctrina* (f). Ita porro sensisse de animorum vita post mortem nationes omnes, omnesque populos, ignorare is tantum potest, qui plane hospes in historiis est, quique veterum cæremonias, ritus, atque leges prorsus ignorat. Auctor est Strabo (g), Indos habuisse pro re comperta, *hanc vitam habendam esse quasi recens concepti fœtus statum. Mortem vero partum esse ad eam, quæ vere vita est, planeque beatam, iis scilicet, qui sapientiam sectati fuerint*. Idipsum de horum Philosophis tradit Cœlius Rhodiginus (h), qui etiam refert, *Chaldæos, & Indorum Magos*, si Pausaniæ danda est fides, *humanam*

(a) Lib. VII. *Divin. Instit.* cap. 8.
(b) Lib. *de Senectute* cap. 21.
(c) Epist. 118.
(d) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 13.
(e) Ibidem.
(f) Ibidem.
(g) Lib. XV.
(h) Lib. XVIII. *Lectionum Antiq.* cap. 31.

manam animam eſſe immortalem, primos omnium tradidiſſe (a). Ex Ægyptiis, & Thracibus, ut ex Herodoto, atque Mela teſtatur Cl. Du-Hamel (b), quidam obeuntium animos redituros arbitrabantur, quidam non redituros, verum neque interimi, ſed ad beatiora tranſire (c). Refert Julius Cęſar, dogma de animorum immortalitate primum fuiſſe, quod Druidæ in Gallia perſuadere nitebantur, idque ea potiſſimum de cauſa, quod *hoc maxime ad virtutem excitari* putarent, *metu mortis neglecto* (d). Priſcis quoque illis, quos *Caſcos*, omnium ſcilicet antiquiſſimos, vocabat Ennius apud Tullium, id erat inſitum, eodem Tullio teſte, *eſſe in morte ſenſum, neque exceſſu vitæ ſic deleri hominem, ut funditus interiret: idque cum multis aliis rebus, tum e Pontificio jure, & cæremoniis ſepulcrorum intelligi licet, quas maximis ingeniis præditi nec tanta cura coluiſſent, nec violatas tam inexpiabili religione ſanxiſſent, niſi hæſiſſet in eorum mentibus, mortem non interitum eſſe, omnia tollentem atque delentem, ſed quandam quaſi migrationem commutationemque vitæ, quæ in claris viris & feminis dux in cælum ſoleret eſſe, in cæteris humi & retineretur, & permaneret tamen* (e). Traditionem poſtremo de immortalitate animorum a primis uſque ductam eſſe parentibus, eamque hinc ad populos moratiores pene omnes manaſſe, *ex Homeri carminibus apparet*, inquit Vir doctiſſimus Hugo Grotius, *& ex Philoſophis non Græcorum tantum, ſed & Gallorum veterum, quos Druidas vocabant, & Indorum, quos Brachmanes, & ex iis, quæ de Ægyptiis, & Thracibus, quin & Germanis Scriptores plurimi prodiderunt. Quin*, addit Vir Cl., *& de judicio divino poſt hanc vitam plurima extitiſſe videmus non apud Græcos tantum, ſed & apud Ægyptios, & Indos, ut nos Strabo, Diogenes Laertius, Plutarchus docent: quibus addi poteſt traditio de Mundo hoc conflagraturo, quæ olim apud Hyſtaſpem, & Sibyllas, nunc quoque apud Ovidium & Lucanum reperitur. Etiam cum in Canarias, Americam, & alia longinqua loca primum ventum eſt, reperta ibi quoque eadem de animis, & judicio ſententia* (f). Itaque ſi, ut cum Tullio loquar, *omnium conſenſus naturæ vox eſt: omneſque, qui ubique ſunt, conſentiunt, eſſe aliquid, quod ad nos pertineat, qui vita ceſſerint, nobis quoque idem exiſtimandum eſt. Et, ſi, quorum aut ingenio, aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima ſunt, cernere naturæ vim maximam veriſimile eſt, cum optimus quiſque maxime poſteritati ſerviat, eſſe aliquid, cujus is poſt mortem ſenſum ſit habiturus* (g).

101.

(a) Lib. XVIII. *Lect. Antiq.* cap. 31.
(b) Tract. III. *Metaph. ad uſum Burgund.* Diſp. 3. q. 1.
(c) Vide lib. I. de moribus, legibus, & ritibus omnium Gentium, Autore Joanne Boemo Aubano, cap. 5.
(d) Lib. VI. *de Bello Gallico*.
(e) Lib. I. *qq. Tuſcul.* cap. 12.
(f) Lib. I. *de Veritate Relig. Chri.*
(g) Lib. I. *qq. Tuſcul.* cap. 15.

V.

101. Constat, beatitudinem a nobis appeti appetitu innato, & quidem vehementissimo. *Beate certe*, inquit S. Augustinus, *omnes vivere volumus; neque quisquam est in hominum genere, qui non huic sententia, antequam plane sit emissa, consentiat* (a). Constat quoque, humanam conditionem tantæ esse dignitatis, *ut nullum bonum, prater summum, ei sufficere possit* (b), & jure quidem; etenim, ut præclare observat laudatus S. Doctor, tale illud esse debet, *quod* (homo) *non amittat invitus. Quippe nemo potest confidere de tali bono, quod sibi eripi posse sentit, etiamsi retinere id, amplectique valuerit. Quisquis autem de bono, quo fruitur, non confidit, in tanto timore amittendi beatus esse qui potest* (c)? Unde *merito Philosophorum non obscurus Euclides*, inquit Lactantius, *qui fuit conditor Megaricorum disciplina, dissentiens a ceteris, id esse summum bonum dixit, quod simile sit, & idem semper* (d). Aut ergo accusanda natura est, quod, ad optandam beatitudinem instinctu vehementissimo dum nos impellit, efficitque perpetuo, ut immortalem vitam, felicitatemque speremus, fallat nos semper, turpiterque decipiat; aut dicendum cum Tullio, certo fore, ut tunc simus beati, *cum corporibus relictis, & cupiditatum, & amulationum erimus expertes; quodque nunc facimus, cum laxati curis sumus, ut spectare aliquid velimus, & visere, id multo tum faciemus liberius, totosque nos in contemplandis rebus perspiciendisque ponemus* (e); atque hinc rem esse certissimam, mentem nostram non dissipari in morte, sed a corpore sejungi solum, eique superesse, ac vivere.

Adde, contrarium dici non posse, quin verum sit, hominem deterioris esse conditionis, quam cetera quæque viventia, licet sit præstantioris naturæ. Quo enim tendunt viventia quæque rationis expertia, quodque appetunt naturali instinctu, eo pervenire, illudque consequi ipsa facile possunt, & consequuntur reipsa, eoque obtento, perfectissime quiescunt. Contra vero, si nulla nobis post mortem futura sit vita, nunquam expleri in nobis poterit illud felicitatis desiderium, quod ipsa nobis natura impressit; unde fateri cogimur, nos ita esse miseros, ut non miseri neque futuri unquam simus, neque esse possimus. Præclare idcirco S. Augustinus, *si pecora*, inquit, *essemus, carnalem vitam, & quod secundum sensum ejus est, amaremus; idque esset sufficiens bonum nostrum, & secundum hoc cum esset nobis bene,*

(a) Lib. *de moribus Ecclesiæ* n. 4., alias cap. 3.
(b) Auctor libri *de spiritu & anima* c. 14.
(c) Lib. *de moribus Ecclesiæ* n. 5., alias c. 3.
(d) Lib. II. *Divin. Instit.* cap. 12.
(e) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 19.

ne, nihil aliud quæreremus. Item si arbores essemus, nihil quidem sentiente motu amare possemus; verumtamen id quasi appetere videremur, quo feracius essemus uberiusque fructuosæ. Si essemus lapides, aut fluctus, aut ventus, aut flamma, vel quid ejusmodi, sine ullo quidem sensu atque vita, non tamen nobis deesset quasi quidam nostrorum locorum atque ordinis appetitus. Nam velut amores corporum momenta sunt ponderum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nitantur. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocumque fertur. Quoniam igitur homines sumus, ad nostri Creatoris imaginem creati, cujus est vera æternitas, æterna veritas, æterna & vera charitas, estque ipsa æterna, & vera, & cara Trinitas, neque confusa, neque separata; in iis quidem rebus, quæ infra nos sunt, quoniam & ipsa nec aliquo modo essent, nec aliqua specie continerentur, nec aliquem ordinem vel appeterent, vel tenerent, nisi ab illo facta essent, qui summe est, qui summe sapiens est, qui summe bonus est; tamquam per omnia, quæ fecit mirabili celeritate, currentes, quasi quædam ejus alibi magis, alibi minus impressa vestigia colligamus: in nobis autem ipsis ejus imaginem contuentes, tamquam minor ille Evangelicus filius, ad nosmetipsos reversi surgamus, ut ad illum redeamus, a quo peccandi recesseramus. Ibi esse nostrum non habebit mortem, ibi nosse nostrum non habebit errorem, ibi amare nostrum non habebit offensionem (a).

V I.

102. Nequit postremo humana mens dissipari in morte, omnisque in nobis vita extingui, quin ad honeste vivendum, tuendamque humanam societatem, universalis error necessario requiratur, mentem scilicet ipsam ita post mortem vivere, ut pro eorum conditione, quæ in corpore gessit, aut lætetur beata, aut diris suppliciis sine fine puniatur. Alterius quippe vitæ, in qua præmia recipiant boni, & puniantur iniqui, spe prorsus sublata, quæ profecto erit morum honestas? quæ justitia, qua una continetur humana societas? quæ religio? quæ virtus? Consulantur eorum mores, quibus, ut ait Seneca, *virtus, & philosophia, & justitia verborum inanium crepitus est, una felicitas est bona vita facere omnia libere, frui patrimonio, hoc est, vivere, hoc est, se mortalem esse meminisse* (b). Nihil enim ex eorum ore auditur frequentius, quam iniquum illud: *venite, & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso, & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis.*

(a) Lib. XI. *de Civitate Dei* cap. 29.
(b) Epist. 124.

poris. Coronemus nos rosis, antequam marcescant. Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxuria nostra. Ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra & sors. Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ; quod enim infirmum est, inutile invenitur. Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ (a). Quid est autem naturali rationi magis dissonum, quid magis turpe, quam humanam societatem ab universali errore adeo dependere, ut, eo sublato, illa tollatur prorsus, & pereat? Quid magis iniquum, ipsique naturæ, rerumque Conditori optimo magis injuriosum, quam periculum esse, ne in homine, nisi perpetuo decipiatur, nulla religio sit, nullaque virtus? *Per seipsum error*, si credimus S. Augustino, *aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, semper malum est* (b). Ergo repugnat prorsus, ut humana societas, ipsaque virtus, quæ, ut præclare dixerat Sophocles, *maximum rerum humanorum bonum est* (c), suisque possessoribus, auctore Platone, *divina sorte accedit* (d), ab errore dependeat; ac propterea, ut falsum reipsa sit, humanam mentem corpori post mortem superesse, ac vivere, quin unquam sit peritura.

Huic adde, quod egregie urget Lactantius, videlicet mentem nostram dissipari in morte non posse, quin contra naturam, & ideo malum, ipsa quoque sit virtus. *Præsenti vita*, inquit ille, *nocet virtus. Nam vita ista terrena, quam communem cum mutis animalibus ducimus, & voluptatem expetit, cujus fructibus variis ac suavibus delectatur, & dolorem fugit, cujus asperitas naturam viventium acerbis sensibus lædit, & ad mortem perducere nititur, quæ dissolvit animantem. Si ergo virtus & prohibet iis bonis hominem, quæ naturaliter appetuntur, & ad sustinenda mala impellit, quæ naturaliter fugiuntur, ergo malum est virtus, & inimica naturæ, stultumque judicare necesse est, qui eam sequitur, quoniam seipsum lædit, & fugiendo bona præsentia, & appetendo æque mala sine spe fructus amplioris. Nam, cum licet nobis jucundissimis frui voluptatibus, nonne sensu carere videmur, si malimus, in humilitate, in egestate, in contemptu, in ignominia vivere, aut ne vivere quidem, sed dolere, cruciari, & mori, ex quibus malis nihil amplius assequamur, quo possit vo-*

(a) *Sapientiæ* cap. II. v. 6. & seq.
(b) In Enchirid. num. 6., alias cap. 19.
(c) Apud Stobæum *Serm.* I.
(d) Apud Stobæum *ibidem*.

voluptas omiſſa penſari? Si autem virtus malum non eſt, facitque honeſte, qui voluptates vitioſas turpeſque contemnit; & fortiter, qui nec dolorem, nec mortem timet, ut officium ſervet: ergo majus aliquod bonum aſſequatur neceſſe eſt, quam ſunt illa, quæ ſpernit. At vero morte ſuſcepta, quod aliud bonum ſperari poteſt, niſi æternitas (a)? Idipſum innuerat antea magnus etiam ille Philoſophus æque ac ſummus Orator Tullius. Dixerat quippe: *nemo unquam ſine magna ſpe immortalitatis ſe pro patria offerret ad mortem. Licuit eſſe otioſo Themiſtocli, licuit Epaminondæ, licuit, ne & vetera, & extera quæram, mihi: ſed neſcio, quomodo inhæret in mentibus quaſi ſæculorum quoddam augurium futurorum; idque in maximis ingeniis, altiſſimiſque animis & exiſtit maxime, & apparet facillime: quo quidem dempto, quis tam eſſet amens, qui ſemper in laboribus, & periculis viveret* (b)? Itaque, ſi honeſte vivere maxima commendatione dignum jure ac merito eſt, efficitque virtus hominem quaſi divinum (c); ſique, ut virtuoſe vivamus, nos non fallit natura, *mors non extinguit hominem, ſed ad præmium virtutis admittit* (d); atque hinc rationalis anima corpori poſt mortem ſuperſtes citra dubium manet, ſine fine victura.

COROLLARIUM I.

103. *Naturali ratione demonſtrari evidenter poteſt, evidentia phyſica, mentem humanam ipſa ſua natura eſſe immortalem.* Tanti ſiquidem ponderis ſunt argumenta, quibus naturalis humanæ mentis immortalitas oſtenſa eſt, ut, niſi in phyſicis plane plumbei ſimus, fateamur oporteat, eodem ipſo jure ambigere hac de re neminem poſſe, quo dubitare de pluribus, quæ in naturali Philoſophia traduntur, ipſi nequimus.

SCHOLION.

104. Culpa non vacat, qui mathematicam hac in re evidentiam requirit. Plus enim exigit, quam ipſa rei patiatur natura. Sane, ſi mortalitatis expers cenſenda mens noſtra non eſt, niſi evidentia, quæ poteſt eſſe maxima, id evincatur, eandem ipſam in omnibus cur non poſtulemus, nequaquam video. Nec enim mens noſtra ignobilis adeo eſt conditionis, deteriorisque naturæ, ut illud dumtaxat, cum de ea agitur, verum cenſeri debeat, quod evidentiſſime verum eſſe cogno-

(a) Lib. VII. *Divin. Inſtit.* cap. 9.
(b) Lib. I. *qq. Tuſcul.* cap. 15.
(c) Plato apud Stobæum *ſerm.* I.
(d) Lactantius lib. VII. *Divin. Inſtit.* c. 10.

cognoscitur. Neque immortalitatis dogma adeo periculosum est, ut nisi evidentia urgeat, & cogat necessitas, non sit admittendum. Itaque, si prudentissime olim dixerat Aristoteles, quemadmodum omnium calculo vere dixit, stultum esse, æqualem in omnibus evidentiam certitudinemque exigere (a), summæ profecto dementiæ est, maximam, cum de animorum immortalitate agitur, evidentiam postulare.

COROLLARIUM II.

105. Merito propterea doctissimus Melchior Canus, *erroneum esse*, ait, *ne dicat hæreticum, astruere, animæ immortalitatem naturali ratione demonstrari non posse; periculosum vero, & temerarium, ne quid addat amplius, affirmare, nullum adhuc inventum esse argumentum, quod animæ immortalitatem vere demonstret* (b).

PROPOSITIO VI.

Humana mens, Dei voluntate, in morte non perit.

106. Animam rationalem a Deo in morte nequaquam interimi, sed, illius etiam voluntate, corpori post mortem superesse sine fine victuram, hisce momentis ostenditur.

I.

107. Constat namque, certissimo ipsiusmet Dei oraculo, pulverem, sive corpus, reversurum esse *in terram suam, unde erat*; spiritum vero, animum scilicet, rediturum *ad Deum, qui dedit illum* (c): justorum animas esse *in manu Dei*, neque unquam fore, ut *tormentum mortis* eas attingat (d): Christum Dominum dicturum esse justis in die judicii, ut ad eum veniant benedicti a Patre, regnumque accipiant, quod a constitutione Mundi illis paraverat misericors Pater; impiis autem ex adverso, ut eant maledicti in ignem æternum, quem diabolo, ejusque angelis tunc itidem constituit justissimus judex (e). Prætereo innumera alia id genus oracula, quibus Deus nos certos reddit, animam nostram in æternum esse duraturam. Hæc enim, quæ summis modo labiis delibavimus, rem ipsam satis evincunt.

108.

(a) Lib. I. *Etib.*
(b) Lib. XII. *de locis Theol.* cap. 14.
(c) *Ecclesiastes* cap. XII. v. 7.
(d) *Sapientiæ* cap. III. v. 1.
(e) *Matthæi* cap. XXV. v. 34., & seq.

II.

108. Haud justus videretur Deus, si nullum futurum esset præmium virtuti, nulla pœna peccatis; atque hinc si una cum corpore animus in morte periret, nihilque hominis relinqueretur, quod pro conditione eorum, quæ gessit in vita, præmium, suppliciumve reciperet. *Si nihil est post hanc vitam*, inquit S. Joannes Chrysostomus, *ne Deus quidem est. Sin Deus est, justus est: quod si justus sit, pro dignitate tribuet unicuique. Si nihil post hanc vitam sit, quomodo, quod par est, recipiet unusquisque* (a)? Nec enim *temere*, *nec fortuito*, ut præclare advertit Cicero, *sati & creati sumus; sed profecto fuit quædam vis, quæ generi consuleret humano; nec id gigneret, aut aleret, quod, cum exantlavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum* (b). Profecto *nulla omnino Respublica*, ut ait doctissimus Melchior Canus, *quod Solon verissime dixit, nisi duabus rebus, contineri potest, præmio, & pœna. Quæ causa Platonem movit, ut, quoniam videbat optimos sæpe viros pro rebus præclare gestis nullo in hac vita præmio virtutis, nullo insigni honoris, nullo monimento laudis decoratos, assereret animos immortales, officii præmium, & fructum aliquando accepturos; absurdum quippe esse, ut verus, justus, & honestus labor honoribus, præmiis, splendore careat, si qua est in cœlo pietas, si quod numen, quod talia curet. Non itaque aut campos Elisios, aut Sisyphi saxum, Ixionis rotam, Tantali sitim, poematis solum esse, sed historiæ. Nam ut ficta sint a Poetis isthæc omnia, veri tamen significandi gratia, ficta sunt, ut utilissima illa, verissimaque sententia in animis hominum inscriberetur:* RECTE FACTIS PRÆMIA, PECCATIS SUPPLICIA DEBERI (c).

III.

109. Quod si quis dicat, peccatum sibi ipsi esse pœnam, juxta illud S. Augustini *jussisti* (Domine) *& sic est, ut pœna sua sit omnis inordinatus animus* (d), arguitur contra, quia aut peccatum est sufficiens pœna peccati, aut non. Si primum: ergo in hoc Mundo injuste prorsus puniuntur iniqui, sed relinquendi sunt omnes, ut voluptatibus libere indulgeant suis, & jura quæque contemnant: quod quam iniquum, quam turpe sit, nemo non videt. Sin alterum: ergo aliam, post corporis mortem, admittamus vitam oportet, ne scilicet aut in-

(a) Orat. IV. *de providentia*, sive *de fato*.
(b) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 49.
(c) Lib. XII. de *locis Theol.* cap. 4.
(d) Lia. I. *Confess.* num. 19. alias cap. 12.

insignis improbitas maneat sine pęna, aut magna virtus sine solatio præmioque relinquatur. Si enim peccatum sibi ipsi adæquata pœna non est, neque virtus profecto erit sufficiens præmium virtutis. *Si virtus*, inquit Lactantius, *per seipsam beata non est, quoniam in perferendis malis tota vis ejus est: si omnia, quæ pro bonis concupiscuntur, negligit: si summus ejus gradus ad mortem patet, quandoquidem vitam, quæ optatur a ceteris, sæpe respuit, mortemque, quam ceteri timent, fortiter suscipit: si necesse est, aliquid ex se magni boni pariat, quia suscepti & superati usque ad mortem labores sine præmio esse non possunt; si nullum præmium, quod ea dignum sit, in terra reperitur, quandoquidem cuncta, quæ fragilia sunt & caduca spernit; quid aliud restat, nisi ut cæleste aliquid efficiat, quia terrena universa contemnit; & ad altiora nitatur, quia humilia despicit. Id vero nihil aliud potest esse, quam immortalitas* (a). Rectissime proinde Socrates moriturus, etsi ethnicus Philosophus, atque adeo sola naturali ductus ratione, *duas*, ut refert Tullius, *esse vias*, dixit, *duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam, qui se humanis vitiis contaminavissent, & se totos libidinibus dedissent, quibus cæcati velut domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent, vel republica violanda fraudes inexpiabiles concepissent, iis devium quoddam iter esse, seclusum a concilio Deorum. Qui autem se integros castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, sesèque ab his semper sevocassent, essentque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere* (b). *Sed quid argumentis colligimus*, ut loquar cum laudato Lactantio, *æternas esse animas; cum habeamus testimonia divina? Id enim sacræ literæ, ac voces Prophetarum docent. Quod si cui parum videatur, legat carmina Sibillarum. Apollinis quoque Milesii responsum consideret* (*), *ut intelligat, delirasse Democritum, & Epicurum, & Dicæarchum, qui soli omnium mortalium, quod est evidens, negaverunt* (c).

Obje-

(c) Lib. III. *Divin. Instit.* cap. 12.
(b) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 30.
(c) *Divin. Instit.* Epitom. cap. 7.
(*) Apollinis Milesii responsum, quod hoc loco memorat Lactantius, relatum ab ipso est Lib. VII. *Divin. Instit.* cap. 13. Fert igitur, Apollinem Milesium consultum a Polyte quodam, utrumne maneat anima post mortem, num vero resolvatur prorsus, & pereat, id ei respondisse: *Anima quidem, quoad vinculis corporeis tenetur, corruptibiles passiones sentiens, mortalibus cedit doloribus. Cum vero humanam solutionem velocissimam, post corruptum corpus, invenerit, omnis in æthera fertur, nunquam senescens, & manet in totum indomita. Primogenita enim hoc divina disposuit providentia.*

Objecta diluuntur.

Monendum in limine, iis tantum objectionibus fieri ſatis hoc loco, quæ humanæ mentis immortalitatem *directe* labefactare videntur. Quæ namque *indirecte* illam oppugnant, quatenus nempe eo tendunt, ut evincant, animum eandem cum corpore naturam habere, ſuperiori loco diluimus.

Opponitur itaque primo *auctoritas Eccleſiaſtis*, quæ eſt hujuſmodi: *unus interitus eſt hominis, & jumentorum, & aqua eſt utriuſque conditio. Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur. Similiter ſpirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius. Cuncta ſubjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum. De terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum? Et deprehendi, nihil eſſe melius, quam lætari hominem in opere ſuo, & hanc eſſe partem illius. Quis enim eum adducet, ut poſt ſe futura cognoſcat* (a)? Et infra: *Viventes ſciunt ſe eſſe morituros; mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem; quia oblivioni tradita eſt memoria eorum* (b). Poſtremo: *quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare; quia nec opes, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas* (c). Ergo, Salomonis judicio, alia non datur vita poſt mortem; ac proinde immortalis non eſt mens humana, ſed in morte diſſipatur tota, penituſque extinguitur.

℞. *neg. conſeq.* His enim omnibus in locis non loquitur Salomon ex ſententia propria, ſed impiorum. Refert nimirum, quod iniqui tenent animo, non autem quod ipſe ſentit. *Hic liber*, ut egregie obſervat S. Gregorius Magnus, *idcirco Concionator dicitur, quia Salomon in eo quaſi tumultuantis turbæ ſuſcepit ſenſum, ut ea per inquiſitionem dicat, quæ fortaſſe per tentationem imperita mens ſentiat. Nam quot ſententias quaſi per inquiſitionem movet, quaſi tot in ſe perſonas diverſorum ſuſcipit. Sed concionator verax, velut extenſa manu, omnium tumultus ſedat; eoſque ad unam ſententiam revocat, cum in ejuſdem libri termino ait: Finem loquendi omnes pariter audiamus: DEUM TIME, ET MANDATA EJUS OBSERVA; hoc enim eſt omnis homo* (d). Hinc doctiſſimus Præſul Daniel Huetius de hujuſce libri auctore ſermonem habens, *neque deſunt*, inquit, *hac ætate homines in ſacris voluminibus non tam vitiorum ſuorum medelam, quam impietatis patrocinium quærere*

(a) Cap. III. v. 19. & ſeq.
(b) Cap. IX. v. 5.
(c) Ibidem, v. 10.
(d) Lib. IV. *Dialog.* cap. 4.

vere soliti, qui his, quæ mox adduximus, verbis errores suos tueantur. Enimvero parum attente sunt in libri hujus lectione versati, in quem si altius penetrassent, non ex sua sententia proferre ea Salomonem, reperissent. Is enim est Ecclesiastæ scopus propositus, ut de finibus bonorum & malorum disserat. Varias itaque statim ab initio profert opiniones, easque ad examen se suum revocasse, ac tandem repudiasse, ait, & in ea demum acquiescit, quæ Deum timendum, ac mandata ejus observanda esse tradit (a): idque ex pluribus ipsius libri locis ad evidentiam ostendit Vir eximius; ut proinde nemini dubium esse possit, quin certissime senserit Sapiens, humanam mentem non perire in morte, sed corpori superesse ac vivere; & ita quidem, ut, si corpori copulata ex præscripto vixerit, æterna post mortem consequutara sit præmia; sin aberraverit, voluptatibus libere indulgens suis, igne perpetuo torquenda sit, acriterque sine fine punienda.

Dices: ex Jobi sententia, *lignum habet spem; si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami ejus pullulant. Si senuerit in terra radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cum primum plantatus est. Homo vero cum mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, ubi quæso est* (b)? Ergo homo ita perit in morte, ut illius nihil plane supersit.

℞. *neg. conseq.* Non enim de anima rationali loquitur Job, sed de homine, prout est aliquod ex anima rationali atque corpore intrinsecus constitutum. Ait propterea: *homo cum mortuus fuerit, atque consumptus, ubi quæso est?* quasi dicat, ita perit homo in morte, ut, secus atque de arboris ramo contingit, revirescere natura sua non possit, quatenus nempe illius anima separatur a corpore, Deique potentia opus est, ut illi iterum conjungatur; cum e contrario ramus arboris a trunco præcisus, perinde ac dum illi est copulatus, suam habeat animam; unde terræ infixus vegetare optime potest, germinare, & comam facere.

Hanc porro fuisse Jobi mentem, ex eo vel maxime patet, quod de animæ rationalis immortalitate, de altera illius vita apud inferos, deque carnis resurrectione disseruerit adeo aperte, ut hisce de rebus ne leviter quidem ipsum dubitasse, res sit perspicua. Hinc doctissimus Lyranus ad illa verba hæc habet: *ubi quæso est? quasi dicat, ex hoc concluditur anima hominis esse immortalis, in qua resurrectio expectatur. Sciendum autem, quod istæ rationes, sicut & consimiles, quas ponit Job de immortalitate animæ, & resurrectione, quamvis non sint* de-

(a) *Demonstrat. Ævangel.* prop. 4. de libro *Ecclesiastis*. (b) Cap. XIV. v. 9. & seq.

demonstrativa, sunt tamen persuasiones probabiles, quod sufficit in proposito. Iste enim liber rhetorice procedit, ut frequenter dictum est. Sicut autem ad Geometram pertinet demonstrare, ita ad Rhetorem persuadere, ut habetur I. Ethicorum.

Opponitur 2. Anima rationalis una cum corpore nascitur. Ergo simul cum illo intereat necesse est, experientia demonstrante, id omne corruptioni esse obnoxium, quod generationi subjicitur.

℞. 1. *neg. añs.* Ut enim suo loco dicemus, anima rationalis non producitur simul cum corpore, sed a Deo creatur, formato jam corpore, nempe cum ea in illo habetur organizatio, quæ satis est, ut, anima ipsi corpori infusa, quod inde emergit compositum, vitæ functiones exerceat.

℞. 2. *disting. añs*: anima cum corpore nascitur, per generationem, *nego añs*; per creationem, *concedo añs*, & *nego conseq.* Nascitur ergo anima cum corpore; at non ita, ut, quemadmodum corpus, ipsa quoque per naturalem generationem producatur. Fit corpus per generationem, quia est ens compositum. Contra vero anima, utpote substantia simplex, nequit produci, quin ex sui nihilo fiat. Hinc perire illud potest, & perit reipsa, viribus naturæ, quia sola partium dissolutione interimitur. At mens cum perire non possit, quin in sui nihilum redigatur, idque naturæ vires prorsus excedat, dissipari nequit, cum perimitur homo, sed, licet una cum corpore nata, sine corpore tamen post mortem existit. Par igitur ratio non est, dato etiam, ut anima, atque corpus una simul nascantur. Hinc Lactantius, *corpus*, inquit, *quoniam fictum ex ponderoso, & corruptibili elemento, & tangibile est, & visibile, corrumpitur, atque occidit; nec vim repellere potest, quia sub aspectum, & sub ictum venit. Anima autem, quia tenuitate sua omnem tactum fugit, nullo ictu dissolvi potest. Ergo quamvis inter se conjuncta, & sociata nascantur, & alterum, quod est de terrena concretione formatum, quasi vasculum sit alterius, quod est a cælesti subtilitate deductum: cum vis aliqua utrumque discrevit, qua discretio mors vocatur, tum utrumque in naturam suam redit. Quod ex terra fuit, in terram solvitur. Quod ex cælesti spiritu, id constat, ac viget semper, quoniam divinus spiritus sempiternus est. Denique idem Lucretius oblitus quid assereret, & quod dogma defenderet, hos versus posuit:*

Cedit enim retro, de terra quod fuit ante,
In terram; sed quod missum est ex ætheris oris,
Id rursus Cœli fulgentia templa receptant.

Quod ejus non erat dicere, qui perire animas cum corporibus disserebat,

bat, sed victus est veritate, & imprudenti ratio veri surrepsit. Praeterea idipsum, quo colligit, dissolvi animam, hoc est, simul cum corpore interire, quoniam simul nascantur, & falsum est, & in contrarium converti potest. Non enim simul interit, sed anima discedente, integrum per dies multos manet, & plerumque medicatum, diutissime durat. Nam si, ut simul nascantur, simul interirent, non discederet repente anima, corpusque desereret, sed uno temporis puncto utrumque pariter dissiparetur, & tam celeriter etiam corpus, adhuc spiritu in eo manente, deliquesceret ac periret, quam celeriter anima secedit; imo vero dissoluto corpore, anima vanesceret, velut humor fracto vase diffusus. Nam si terrenum, & fragile corpus post secessum animae non statim diffluit, in terramque tabescit, ex qua illi origo est; ergo anima, quę fragilis non est, in aeternum manet, quoniam origo ejus aeterna est (a).

Porro corruptioni obnoxium esse, experientia teste, quidquid generationi subiicitur, verum quidem est, si de generatione proprie sumta id intelligatur, nimirum si sumatur generatio pro rei productione ex praexistente subjecto; fallit vero, si sit sensus, nihil ipsa sua natura durare in aeternum posse, quod per creationem in tempore existit. Sicuti enim id natura sua ingenerabile est, ita est etiam intrinsecus incorruptibile. *Id, quod ajunt*, inquit S. Augustinus, *omne, quod in tempore cœpit esse, immortale esse non posse; quia omnia orta occidunt, & aucta senescunt, ut eo modo credi cogant, animum humanum ideo esse immortalem, quod ante omnia tempora sit creatus, non movet fidem nostram. Ut enim alia taceam, cępit esse in tempore immortalitas Christi, quae tamen jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur* (b).

Opponitur 3. Anima rationalis est forma corporis. Ergo, cum perit corpus, pereat & ipsa necesse est, experientia demonstrante, perire formam, cum perimitur subjectum, quod ab illa perficitur.

℟. *disting. ant*: anima rationalis est forma corporis, verum hujusmodi, ut sine illo existere queat natura sua & operari, *concedo ant*. Est forma corporis, & quidem adeo, ut ab illo tum in existendo, tum in operando intrinsecus, ac proinde necessario dependeat, *nego ant*, & *conseq.* Anima igitur est forma corporis, quia ipsum perficit, unumque compositum determinatae speciei, hominem scilicet, cum illo constituit. At simul ejus naturae ipsa est, ut a corpore, neque ut sit, neque ut operetur, intrinsecus dependeat. Hinc, corrupto corpore, ipsa non perit. Pereunt autem ceterae formae, si earum subje-

(a) Lib. VII. *Divin. Instit.* cap. 12.
(b) Epist. CLVI. n. 14, alias XXVIII. c. 5.

subjectum vitiatum nimis fuerit; quia, cum, si loquamur de materialibus, nihil illæ sint a certa subjecti modificatione diversum, eaque sit modi cujusque natura, ut sine subjecto nec esse possit, neque concipi, necessario perire ipsæ debent, vitiato subjecto, quod afficiunt.

Opponitur 4. Si anima rationalis esset immortalis, hanc haberet prærogativam, vel quia *substantia* est, vel quia *spiritualis*. At sive *substantiæ*, sive *spiritualitatis* ratio habeatur, prærogativam hanc habere nequit. Ergo &c. *Prob. min.* Non enim quia *substantia*; cum plures substantias perire, certum sit. Neque propterea quod *spiritualis*; cum gratia, & habitus ipsius animæ sint spirituales, & tamen pereant.

℞. Animam rationalem esse immortalem, non quia *substantia*, neque propterea quia spiritualis, si tum *substantiæ*, tum *spiritualitatis* attributum generatim sumatur; sed quia substantia *simplex* est, simulque talis, ut cogitet. Quia enim est substantia simplex, per actionem creati agentis perire non potest; & ideo maneat, necesse est, corpori post mortem superstes. Quia autem est substantia cogitans, illius est naturæ, ut operari, ac proinde vivere, etiam sejuncta a corpore possit.

Opponitur 5. Si humana mens non periret in morte, sed corpori superesset, ac viveret, homo

Non jam se moriens dissolvi conquereretur,
Sed magis ire foras, vestemque relinquere, ut anguis,
Gauderet (a).

Quam autem id falsum sit, ignorat nemo, qui morientem hominem viderit. Ergo &c.

℞. Cum Lactantio, me nunquam vidisse, etsi plures morientes viderim, *qui se quereretur in morte dissolvi. Sed ille fortasse Epicureum aliquem viderat, etiam dum moritur, philosophantem, ac de sui dissolutione in extremo spiritu disserentem. Quomodo sciri potest, utrum dissolvi se sentiat, an corpore liberari, cum in exitu lingua mutescat? Nam, dum sentit, & loqui potest, nondum dissolutus est; ubi dissolutus est, jam nec sentire, nec loqui potest, ita queri de dissolutione aut nondum potest, aut jam non potest. At enim non prius, quam dissolvatur, intelligit, se dissolutum iri. Quid, quod videmus plerosque morientium non dissolvi conquerentes, ut ait, sed exire se, & proficisci, & ambulare testantes, idque aut gestu significant, aut,* si

(a) Lucretius lib. III. *de rerum natura* v. 615.

si adhuc possunt, & voce pronuntiant (*). *Unde apparet, non dissolutionem fieri, sed separationem, quæ declarat, animam permanere* (a).

Opponitur ultimo. In sexta Synodo approbatæ fuerunt epistolæ Sophronii, in quibus aperte traditur, intellectualia, atque invisibilia, angelos scilicet & animam rationalem, immortalia quidem esse, at non per naturam, sed per gratiam. Ergo humana mens non est natura sua immortalis.

℞. *disting. ans*: intellectualia non sunt immortalia tam *intrinsecus*, quam *extrinsecus* per naturam, *concedo ans*. Non sunt immortalia *intrinsecus* per naturam, *nego ans*, & *conseq.* Intrinseca itaque immortalitas animæ rationali, atque angelis naturalis est. Gratuita vero immortalitas extrinseca. De hac autem, non vero de illa, intelligendus est Sophronius, iique cum eo omnes, qui ajunt, animam rationalem nonnisi per gratiam Dei esse immortalem. Sensus nimirum est, animam rationalem indigere auxilio conservativo Dei, ut post mortem corpori superstes vivat, licet illius sit naturæ, ut ab agente creato neque possit destrui, neque vita privari.

SECTIO TERTIA.

De origine mentis humanæ.

110. OStensa incorporea humanæ mentis natura, ejusque intrinseca immortalitate demonstrata, reliquum est, ut illius originem investigemus. Observandum est igitur, non unam fuisse hac super re omnium Philosophorum, Theologorumque sententiam.

I.

111. Prima, eaque omnium sane absurdissima, opinio illorum fuit, qui, ut elegantissime ex eorum mente cecinit olim Virgilius,

Esse apibus partem divinæ mentis, & haustus
Æthereos dixere. Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.
Hinc homines, armenta, viros, genus omne ferarum
Quemque sibi tenuem nascentem arcessere vitam (b):

 vide-

(a) Lib. VII. *Divin. Instit.* cap. 12.

(b) Lib. IV. *Georgic.* v. 219.

(*) Refert Ælianus lib. XIII. *variarum historiarum* cap. 20., civem quemdam Megalo politam ex Arcadia, Cercidam nomine, morientem dixisse familiaribus suis, *se non ægre mortem obire. Sperare enim, se conventurum ex Philosophis Pythagoram, ex Historicis Hecatæum, ex Musicis Olympum, ex Poetis Homerum. Et hæc effatum, ut fama est, vitam amisisse.*

videlicet animam non hominum tantum, verum & pecudum, ceterarumque belluarum particulam esse ex ipsa Dei substantia avulsam, atque corporibus copulatam. Ita porro de humanæ mentis origine senserunt Pythagoras, & Euripides. Censuit quippe ille, Deum esse *animum per naturam rerum omnem intentum, & commeantem, ex quo nostri animi carperentur* (a), nempe *demitti animos e cælo, divinaque mentis eos esse non solum munus, sed etiam partem precipuam ac propriam* (b); unde ipsum redarguit Tullius, quod non viderit, *distractione humanorum animorum discerpi, & lacerari Deum* (c). Euripides vero, non contentus divinum aliquid, quemadmodum ipsum appellat Tullius, esse animum dicere, contendere ausus est, hominis mentem, atque Deum nulla prorsus inter se ratione discerni (d). Manichæi quoque, ut refert S. Augustinus, nihil aliud dixerunt *esse animam, quam ipsam Dei substantiam, atque id omnino, quod Deus est* (e); neque aliter hac ipsa super re, si S. Hieronymo danda est fides (f), senserunt Stoici, & Priscillianistæ. Pessimam demum hanc, vetustate jam obsoletam, de origine humanæ mentis sententiam impius nuper exsuscitavit Spinosa. Cum enim nullum ille, ut suo loco dicemus, inter Dei, mundique substantiam discrimen ponat, sicuti rationalis anima est pars substantiæ mundi, unam quoque Divinæ substantiæ, Spinosæ judicio, mentem ipsam esse particulam, consectarium est.

II.

112. Alia de animæ origine fuit Platonis opinio. Censuit quippe Philosophus ille nobilis, animas rationales esse particulas non quidem substantiæ Dei, sed animæ Universi, ita nempe ut, quemadmodum humanum corpus corporis Universi pars est, ita animus humanus sit illius animæ, quæ Universum perficit, una veluti portio. Hominis namque productionem explicans Vir summus, ait, rationales animas conditas a Deo fuisse, quatenus rerum omnium Opifex *in eodem cratere, in quo Mundi totius animam permiscens temperaverat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit modo quodam eodem, non tamen perfectas similiter, sed secundo & tertio gradu a primis deficientes* (g). Hinc Macrobius Mundi animam ex

(a) Tullius Lib. I. *de natura Deorum* c. 11.
(b) Auctor libri *de consolatione*, vulgo Tullio adscripti.
(c) Lib. I. *de natura Deorum* cap. 11.
(d) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 26.
(e) Lib. VII *super Genesim ad literam* num. 17., alias cap. 11.
(f) Epist. inter *Augustinianas* CLXV. num. 1., alias XXVII. cap. 1.
(g) In *Timæo*.

ex Platonis mente *animarum omnium fontem* appellat (a). Primus tamen non fuit Plato, qui hominum animas ex una Mundi anima decerptas dixerit; quippe etiam Orpheus dicebat, auctore Stobæo, *unam esse generalem animam, ex cujus multiplici divisione particulares animæ oriantur*.

III.

113. Arbitrabatur insuper Plato, singulas animas, statim ac a summo rerum omnium Opifice conditæ fuerant, in totidem ab eo fuisse astris collocatas, tum humanis copulatas esse corporibus, ex quibus cum exeunt, iterum ad astra redire, atque ex his iterum descendere, aliisque, & quidem pro meritorum conditione diversis, ut nova animantia fiant, corporibus copulari. Plato *persuadere conatus est*, inquit S. Augustinus, *vixisse hic animas hominum, antequam ista corpora gererent* (b); atque insuper eas *nec sine corporibus durare perpetuo, sed alternantibus vicibus indesinenter vivos ex mortuis, & ex vivis mortuos fieri putat; ut a ceteris hominibus hoc videantur differre sapientes, quod post mortem ferantur ad sidera, ut aliquanto diutius in astro sibi congruo quisque requiescat, atque inde rursus miseriæ pristinæ oblitus, & cupiditate habendi corporis victus, redeat ad labores ærumnasque mortalium; illi vero, qui stultam duxerint vitam, ad corpora suis meritis debita, sive hominum, sive bestiarum, de proximo revolvantur* (c). Ita enim ipse loquitur Plato: *cum universum constituisset* (Deus), *astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens, eisque tamquam vehiculo impositis monstravit universi naturam*. Tum enumeratis vitiis, quibus obnoxia esse potest humana mens corpori copulata, *hac*, inquit, *qui superaverint, eos juste esse victuros; injuste vero qui ab his fuerint superati. Atque illum, qui recte curriculum vivendi a natura datum confecerit, ad illud astrum, cui accommodatus fuerit, reversum, beatam vitam acturum. Contra vero agentem, cogi in ortu secundo, sexu mutato, fieri mulierem. Et qui ne tunc quidem finem peccandi faciet, quatenus depravatur, eatenus in brutorum naturam suis motibus similem permutari* (d).

IV.

114. Origenistarum hac super re fuit sententia, rationales animas non tantum antiquiores esse corporibus, quemadmodum senserat Plato,

(a) Lib. I. in *somnium Scipionis*.
(b) Lib. XII. *de Trinitate* num. 24., alias cap. 15.
(c) Lib. XIII. *de Civitate Dei* cap. 19.
(d) In *Timæo*.

to, verum etiam eas omnes ob id in corpora, velut in carcerem, fuisse detrusas, quod, antequam sensibilis conderetur Mundus, lapsæ sint in errores, turpiterque peccaverint. *Animas, dicunt* Origenistæ, inquit S. Augustinus, *non quidem partes Dei, sed factas a Deo, peccasse a Conditore recedendo; & diversis progressibus, pro diversitate peccatorum, a cælis usque ad terras diversa corpora, quasi vincula, meruisse. Et hunc esse Mundum, eamque causam Mundi fuisse faciendi, non ut conderentur bona, sed ut mala cohiberentur* (a).

V.

115. Rejecto Platonicorum, atque Origenistarum delirio, putarunt alii; animam rationalem ex parentibus in filios per traducem propagari, hoc est, animam filii esse unam illius animæ partem, quæ in patre existit, eamque, vehiculo seminis, filii corpusculo, quod in matris utero delitescit, communicari, ineffabiliterque conjungi. Ita olim autumarunt Tertullianus, & Apollinaris, nihilque definire voluit S. Augustinus. Scribens enim S. Doctor ad Renatum Monachum, *dico*, inquit, *etiam ego de anima mea, nescio, quomodo venerit in corpus meum; neque enim ego illam mihi donavi. Scit iste, qui donavit, utrum illam de patre meo traxerit; an sicut primo homini, novam creaverit. Sciam etiam ego, si ipse docuerit, quandocunque voluerit. Nunc autem nescio, nec me pudet, ut istum, fateri nescire, quod nescio* (b). Interrogatus itidem ab Optato, *utrum animæ, ut corpora, propagatione nascantur*, respondit: *de qua re antequam aliquid admoneam sinceritatem tuam, scire te volo, in tam multis opusculis meis nunquam me fuisse ausum, de hac quæstione definitam proferre sententiam, & impudenter referre in literas ad alios informandos, quod apud me non fuerit explicatum* (c). Nolim tamen, ut quis propterea putet, S. Augustinum in eam sententiam propendisse, quæ ponit, animam rationalem ex parentibus in filios, seminis ope, propagari. Optatum quippe monet S. Doctor, ut defendat, quantum potest, atque asserat, *animarum infantium ejusmodi esse novitatem, ut nulla propagatione ducantur* (d). Non omittendum postremo, etiam IX. Christi sæculo latuisse plurimos, quid certo de humanæ mentis origine sentire debuissent. *Nascitur de carne caro*, scribit S. Prudentius Episcopus Tricassinus, qui laudato sæculo floruit; *sed utrum & anima similiter de ani-*

(a) Lib. XI. *de Civitate Dei* cap. 23.
(b) Lib. I. *de anima, & ejus origine* n. 25. alias cap. 15.
(c) Epist. CXC. num. 2., alias CLVII. cap. 1.
(d) Ibidem num. 13., alias cap. 4.

anima nascatur, magna quaestio est, & a Patribus diu multumque discussa, sed absque certa definitione relicta (a).

VI.

116. Cl. Volfius fatetur quidem, animam rationalem ex parentibus in filios per traducem propagari non posse, sed a solo Deo per creationem fieri; verum, Leibnitium sequutus, contendit, animas omnium hominum, qui fuerunt, existunt modo, atque ad finem usque Mundi nascituri sunt, initio simul conditas a Deo fuisse, easque singulas suis inclusas corpusculis, quae in Evae ovario, juxta involutorum hypothesim, quam in Physica explicabimus (b), eodem simul tempore ipse formaverit. *Animae*, inquit, *praeexistunt in corpusculis organicis praeexistentibus, ex quibus fetus in utero formatur*; hancque suam assertionem ita explicat. *Hodie pro certo atque explorato habetur, fetum in utero materno non generari ex massa seminis rudi atque indigesta, sed ex corpusculo organico praeexistente, sive organicum istud corpusculum sit animalculum spermaticum, sive quodcunque aliud rudimentum fetus: quod in Physicis accuratius discutiendum, nobis hic perinde est. Enimvero quoniam generatio non admittitur, nisi ex praeexistente organico, quia vi corporum ex massa rudi, & indigesta, quam chaos dicimus, organicum quid formari, concipi nequit, corpuscula praeexistentia organica aut necessario existunt, itaut impossibile sit, materiam existere alia forma (qua est atheorum impia hypothesis), aut in primo rerum ortu creata fuere (quod in Theologia naturali evincemus). Jam animae, tamquam substantiae simplices (§.48.), itidem aut necessario existunt (§.689. Ontol.), aut, si oriantur, per creationem oriri debent (§.698.): quod posterius veritati consentaneum in Theologia naturali demonstratur. Quamobrem sive animas, & corpuscula organica, quae fetuum rudimenta continent, necessario existere fingas, sive utramque substantiam a Deo creatam esse in prima rerum creatione ponas, evidens est, animas hominum praeexistere debere in corpusculis organicis, ex quibus fetus in utero formatur* (c); ac propterea *animas ipsas cum corpusculis organicis, quae fetus rudimenta continent, in uterum matris deferri* (d), cum hominis conceptio efficitur.

VII.

117. Ponit demum postrema opinio, animas rationales a solo Deo

(a) Lib. *de Praedestin.* adv. Joannem Erigenam cap. 16.

(b) Tom. IV. Dissert. VI. sect. 2.

(c) Psychol. rational. §. 704.

(d) Ibidem §. 705.

Deo fieri per creationem; eas tamen neque antiquiores esse corporibus, neque initio temporis simul omnes conditas ab illo fuisse, suisque organicis corpusculis copulatas; sed quotidie tunc a Deo ex nihilo produci, suoque singulas corpusculo infundi, cum ad eum statum in matris utero illud pervenerit, in quo vitæ functiones valeat exercere. Sive porro organicum illud gignendi fœtus corpusculum ex seminum commixtione in utero matris elaboretur, sive formatum initio temporis a Deo fuisse dicatur, & ovo femineo inclusum, perinde est. Satis est enim, ut ad vitæ munera obeunda non sit idoneum, nisi masculini seminis aura accedat, ovumque femineum, sua vi & energia, fœcundum reddat. Hæc sententia veterum omnium est tam Philosophorum, quam Theologorum, iis exceptis, qui animas dixere vel corporibus antiquiores, vel ex parentibus in filios per traducem propagari. Rationalis itaque animæ originem investigaturi, paucis discutiemus, *utrum lapsa de cælo sit, ut Pythagoras philosophus, omnesque Platonici, & Origenes putant: an a propria Dei substantia, ut Stoici, Manichæus, & Hispana Priscilliani hæresis suspicantur: an in thesauro habeantur Dei olim condita, ut quidam Ecclesiastici stulta persuasione confidunt: an quotidie a Deo fiant, & mittantur in corpora, secundum illud quod in Evangelio scriptum est*: Pater meus usque modo operatur, & ego operor: *an certe ex traduce, ut Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars occidentalium autumavunt; ut, quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima, & simili cum brutis animantibus conditione subsistat* (a).

DEFINITIO.

118. *Intrinsecus ingenerabile* vocari solet id omne, *quod non potest fieri, nisi per creationem*. Sic angeli dicuntur *intrinsecus ingenerabiles*, quatenus nempe illius sunt naturæ, ut tantum per creationem queant produci.

COROLLARIUM.

119. *Omnis substantia simplex est intrinsecus ingenerabilis*. Fieri quippe non potest, nisi per creationem (P.I.§.239.).

HI-

(a) S. Hieronymus Epist. inter *Augustinianas* CLXV. num. 1., alias XXVII. cap. 1.

HYPOTHESIS.

120. *Nullum agens creatum potest quidquam eorum efficere, quæ nonnisi per creationem esse possunt.* Soli quippe Deo convenit creandi virtus. *Neque enim fas est*, inquit S. Augustinus, *ullius naturæ, quamlibet minimæ mortalisque, creatorem, nisi Deum, credere ac dicere* (a).

COROLLARIUM.

121. *Substantia simplex fieri ab agente creato minime potest.* Productio namque hujuscemodi substantiæ creatio est (P. I. §. 239.).

PROPOSITIO I.

Mens humana non est particula Divinæ substantiæ corpori organico copulata.

122. *Probatur.* Si namque humana mens esset particula decerpta ex Divina substantia, Deus esset in partes reipsa divisibilis. Hoc autem absurdum adeo est, atque falsum, ut nihil absurdius, magisque falsum excogitari possit. Ergo &c.

Confirmatur ex S. Augustino. Rem quippe agens S. Doctor contra Fortunatum Manichæum, *si quæris*, inquit, *utrum a Deo descenderit anima, magna quidem quæstio est: sed sive a Deo descendit, sive non, illud de anima respondeo, non esse Deum; aliud esse Deum, aliud animam. Deum esse inviolabilem, incorruptibilem, & impenetrabilem, & incoinquinabilem, & qui ex nulla parte corrumpi possit, & cui nulla ex parte noceri potest. Animam vero videmus & peccatricem esse, & in ærumna versari, & veritatem quærere, & liberatore indigere. Hæc mutatio animæ ostendit mihi, quod anima non sit Deus. Nam, si animæ substantia Dei est, substantia Dei errat, substantia Dei corrumpitur, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur: quod nefas est dicere* (b). Ita quoque ad S. Hieronymum scribit S. Doctor: *Non est pars Dei anima. Si enim hoc esset, omni modo incommutabilis, & incorruptibilis esset. Quod si esset, nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius, nec aliquid in semetipsa vel inciperet habere, quod non habebat, vel desineret habere, quod habebat, quantum ad ejus ipsius affectiones per-*

(a) Lib. XII. *de Civitate Dei* cap. 24.
(b) Disp. I. num. 11.

pertinet. Quam vero aliter ſe habeat, non opus eſt extrinſecus teſtimonio. Quiſquis ſemetipſum advertit, agnoſcit. Fruſtra autem dicitur ab eis, qui animam Dei partem eſſe volunt, hanc ejus labem & turpitudinem, quam videmus in nequiſſimis hominibus, hanc denique infirmitatem, & ægritudinem, quam ſentimus in omnibus hominibus, non ex ipſa illi eſſe, ſed ex corpore. Quid intereſt, unde ægrotet, quæ, ſi eſſet incommutabilis, undelibet ægrotare non poſſet? Nam quod vere incommutabile, & incorruptibile eſt, nullius rei acceſſu commutari, vel corrumpi poteſt. Alioquin non Achillea tantum, ſicut fabulæ ferunt, ſed omnis caro eſset invulnerabilis, ſi nullus ei caſus accideret. Non eſt itaque natura incommutabilis, quę aliquo modo, aliqua cauſa, aliqua parte mutabilis eſt. Deum autem nefas eſt, niſi vere ſummeque incommutabilem credere. Non eſt igitur anima pars Dei (a).

PROPOSITIO II.

Anima rationalis non eſt particula decerpta ex anima Univerſi.

123. *Probatur*. Quæ namque fingitur univerſi anima, vel ſubſtantia ſpiritualis eſt, vel corporea. Si ſpiritualis: ergo, cum in partes nequeat illa ſecari (§. 39.), humana mens una illius particula eſſe non poteſt. Si corporea: ergo repugnat prorſus, ut humana mens, quippe quæ ſubſtantia ſpiritualis eſt (§. 47.), ex illa, veluti pars ex toto, avulſa dicatur. Utcumque ergo res ſit de anima univerſi, certiſſimum manet, animam rationalem pro una illius particula haberi non poſſe.

PROPOSITIO III.

Anima rationalis ex parentibus in filios per traducem non propagatur.

124. *Probatur*. Admitti non poteſt, animam rationalem ex parentibus in filios per traducem propagari, quin corporea ipſa eſſe dicatur. Ut enim habet S. Auguſtinus, *illi, qui animas ex una propagari aſſerunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, ſi Tertulliani opinionem ſequuntur, profecto eas non ſpiritus, ſed corpora eſſe contendunt, & corpulentis ſeminibus exoriri* (b). Sane, cum propagatio per traducem in eo conſiſtat, ut una portio illius ſubſtantiæ, quæ ex uno in aliud hoc modo diffun-

(a) Epiſt. CLXVI. n. 3., alias XXVIII. cap. 2.
(b) Epiſt. CXC. num. 14., alias CLVII. cap. 4.

funditur, decidat ex generante, & genitum subeat, in quod per traducem dicitur propagari, nequit anima rationalis, quæ in parte existit, propagari in filium, nisi plures particulas ipsa contineat, quarum una sejungi a suo toto optime possit, & seminis vehiculo in illud transfundi corpusculum, cui pater ipse, cum filium generat, impertitur & motum, & vitam; ac proinde nisi sit corporea (§. 7.). *Secari namque, seu dividi, augeri, vel minui pro substantia sua spiritus nequit; non enim potest esse major, sed melior* (a). Constat autem, animam rationalem esse substantiam spiritualem (§. 47.), integralibusque partibus eam omnino carere (§. 38.). Ergo nequit, corporeæ instar substantiæ, per traducem propagari.

Neque eos juvat, qui propagationi animæ rationalis per traducem patrocinantur, illud *Geneseos* cap. 46. v. 26.: *cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius*. Non juvat, inquam; quandoquidem *animæ* nomine totus hic homo intelligitur, non vero ea tantum substantia, a qua humani corporis vita dependet. Unde sensus illorum verborum est: *cunctæ animæ*, idest *cuncti homines: quæ egressæ sunt de femoribus Jacob*, hoc est, *qui ab illo per generationem descenderunt* &c. Nullus est enim, quem lateat, homines viles vulgo vocari *viles animas*; & vicissim, qui strenui in bello fuere, *fortes animas* nuncupari. Sufficit autem, quoad corpus descendat filius de femore patris, ut totus ipse filius de patris femore descendisse dicatur. Etsi enim corpus non sit hominis pars princeps, ea tamen est, quæ in homine nobis immediate occurrit, quæque sola, cum hominem intuemur, a nobis conspicitur; & sicuti statua dicitur opus artificis, quamvis nonnisi quoad formam a statuario dependeat, ita homo dicitur ab homine genitus, etsi nonnisi corpus paternæ actioni acceptum referri possit (b).

Si quis autem quærat, quomodo, posito Recentiorum systemate de viventium generatione ex ovis, ac proinde de existentia corpusculi organici gignendi fœtus in ovo femineo, stare possit, filium exire de femoribus patris; cum, hac facta hypothesi, filius ne quidem quoad corpus ex patris femoribus egrediatur: dico, filium, hoc systemate posito, exire ex femoribus patris, quatenus ex hujus lumbis ea exit seminalis aura, a qua femineum ovulum fecundum redditur, gignendique fętus corpusculo, quod in illo delitescit, talis communicatur motus atque vigor, qualis in illo requiritur, ut rationalis anima-

(a) Auctor libri *de spiritu, & anima* cap. 40.

(b) Vide S. Augustinum *Epist.* CXC. num. 18. 19., alias CLVII. cap. 5.

ma, ex lege naturæ, ipſi a Deo infundatur, & homo fiat. Quoniam porro hæc ſeminalis aura ex patre in filios per traducem propagatur, atque in eos, quos ipſi quoque generant, ex illis conſtanti lege diffunditur, ii etiam ex illius femoribus *mediate* ſcilicet, exire dicuntur, a quo eorum parentes naturali generatione deſcenderant.

Verum inſtant moleſtius, intelligi nempe non poſſe, quomodo ea Adami labes, quæ *originale peccatum* dicitur, in poſteros tranſire, ipſiſque communicari potuerit, ſi illorum animæ ex una Adæ infecta propagatæ per traducem haudquaquam fuerint. Ut enim olim apud S. Auguſtinum (a) argumentabatur Pelagius, *ſi anima ex traduce non eſt, ſed ſola caro tantum habet traducem peccati: ſola ergo pœnam meretur. Injuſtum eſt enim, ut hodie nata anima non ex maſſa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum; quia nulla ratione conceditur, ut Deus, qui propria peccata dimittit, unum imputet alienum.*

Sed contra: nam, ſi anima filii ob id naſcitur originalis peccati labe infecta, quod ex una decidat patris anima jam obnoxia peccato, verum itidem erit, fore, ut anima filii iiſdem ſit inſtructa virtutibus, quibus illa, cujus una eſt pars, ornata eſt anima; ſtabitque propterea, ex patre probo & docto nonniſi probum atque doctum filium naſci poſſe; nonniſi ſtultum vero atque improbum ab eo, qui fatuus improbuſque eſt, poſſe generari. Hoc autem quam falſum ſit, neſcit nemo. Ergo non ideo originalis labes a filio contrahitur, quia ipſius anima ex infecta anima patris, veluti pars ex toto, in illius generatione deciderit; ſed aliunde hujuſce rei repetenda ratio eſt. Dico ergo, animam rationalem originali culpa ex eo pollui, quod corruptæ carni conjungatur. *Certum tenemus*, inquit Auctor libri *de ſpiritu & anima* cap. 41., *quia caro contracta de carne per legem concupiſcentiæ, quam cito vivificatur, originalis culpæ vinculo premitur, ejuſque affectionibus anima, quæ carnem vivificat, aggravatur. Sub hoc peccati vinculo demerguntur parvuli, qui ſine remedio baptiſmi moriuntur. Habent enim originale peccatum, non per animam, ſed per carnem utique contractum, animæque refuſum. Carni namque ita unitur anima, ut cum carne ſit una perſona. Fit enim, auctore Deo, anima & caro unum individuum, unus homo; unde, ſalva natura utriuſque proprietate, adjicitur carni, quod animæ eſt, & animæ, quod carnis eſt, pro unitate perſonæ, non pro diverſitate naturæ. Quod igitur ibidem ſingulis eſt proprium, commune ſit amborum; proprium pro natura, commune pro perſona. Exinde ſit anima originali culpæ obnoxia, quam caro contrahit & ani-*

(a) Epiſt. CXC. num. 22., alias CLVII. cap. 6.

anima refundit, cum qua unita est in persona, licet divisa in natura. Porro licet S. Augustinus, ut superiori loco innuimus, incertus fuerit de origine animæ, attamen, posito eam per traducem non propagari, aperte & ipse docuit, originalis peccati labem ob id ab anima contrahi, quod infectæ carni, unione ineffabili, copuletur. Inquit enim: *profecto aut utrumque* (anima scilicet, & corpus) *vitiatum ex homine trahitur; aut alterum in altero* (nempe anima in corpore) *tamquam in vitiato vase corrumpitur, ubi occulta justitia divinæ legis includitur* (a). Hinc Magister Sententiarum, *caro*, inquit, *propter peccatum corrupta fuit in Adam, adeo ut cum ante peccatum vir & mulier sine incentivo libidinis, & concupiscentiæ fervore possent convenire, essetque thorus immaculatus; jam post peccatum non valet fieri carnalis copula absque libidinosa concupiscentia, quæ semper vitium est, & etiam culpa, nisi excusetur per bona conjungii. In concupiscentia ergo, & libidine concipitur caro formanda in corpus prolis. Unde caro ipsa, quæ concipitur, in vitiosa concupiscentia polluitur, & corrumpitur, ex cujus contactu anima cum infunditur, maculam trahit, qua polluitur, & fit rea, idest vitium concupiscentiæ, quod est originale peccatum* (b). Ex originalis itaque peccati propagatione haud recte colligitur, rationalem quoque animam ex parentibus in filium, perinde ac ipsa caro, per traducem propagari.

PROPOSITIO IV.

Anima rationalis est substantia intrinsecus ingenerabilis.

125. *Probatur.* Anima rationalis est substantia physice simplex (§. 44.). Ergo est intrinsecus ingenerabilis (§. 119.).

COROLLARIUM I.

126. *Rationalis anima nonnisi per creationem potest produci.* Patet ex notione intrinsecæ ingenerabilitatis, quæ superiori loco tradita est (§. 118.). Hinc S. Augustinus, *unum est*, inquit, *e duobus: si* (anima) *ex traduce non est, ex nihilo est, ne ita sit a Deo, ut naturæ sit Dei, quod omnino sacrilegum est credere* (c).

SCHO-

(a) Lib. V. *contra Julianum* num. 17.; alias cap. 4.
(b) Lib. II. *Sentent.* Distin. XXXI.
(c) Lib. I. *de anima, & ejus origine* n. 24. alias c. 15.

SCHOLION.

127. Id ex eo etiam immediate colligitur, quod anima rationalis ſit ſubſtantia ſimplex. Stat quippe hoc ipſo, eam fieri non poſſe niſi ex *nihilo ſui* (P. I. §. 238.), atque *ſubjecti* (P. I. §. 226.); ac proinde quin illius productio ſit vera creatio (P. I. 239.).

COROLLARIUM II.

128. *Anima rationalis a ſolo Deo fieri poteſt, & reipſa efficitur.* Soli ſiquidem Deo competit creandi virtus (§. 120.). *Quis negat*, inquit S. Auguſtinus, *non unius tantum, ſed omnis animæ creatorem Deum atque factorem, niſi qui ejus eloquiis apertiſſime refragatur? ſine ulla quippe ambiguitate per Prophetam dicit:* omnem flatum ego feci, *animas videlicet intelligi volens, quod verba conſequentia manifeſtant. Non itaque unum, quem facto ex terra homini primo inſpiravit, ſed omnem flatum ipſe fecit, & ipſe adhuc facit* (a). Rationalis igitur animæ origo cœleſtis eſt, ſive, ut olim cecinit Lucretius,

.... cæleſti ſumus omnes ſemine oriundi;
Omnibus ille idem pater eſt (b).

PROPOSITIO V.

Animæ rationales creatæ non fuere ante corpora, neque in illa, velut in carcerem, detruſæ, ut ſcelerum, quæ antea ipſæ commiſerint, pœnas luerent.

129. *Probatur prima pars*, ſcilicet animas rationales non eſſe corporibus antiquiores. Enimvero, ſi animæ rationales antiquiores eſſent corporibus, talis quoque fuiſſet anima Adæ; omnium quippe animarum eadem prorſus ratio eſt. Sed anima Adæ antiquior ejuſdem corpore nequaquam fuit. Conſtat enim, Deum non inſufflaſſe in faciem Adę *ſpiraculum vitæ*, hoc eſt, rationalem illius animam non creaſſe, quemadmodum omnes Patres, atque Theologi hunc Geneſeos locum explicant, niſi vel prius formato illius corpore, vel ſimul ac ipſum condidit, ne ſcilicet, ut ait S. Gregorius Nyſſenus, *ſecum ipſe diffidere videatur homo, tamquam diverſas in partes, ob temporis in harum ortu diſcrimen, diviſus*

(a) Epiſt. CXC. num. 16., alias CLVII. cap. 5.
(b) Lib. II. *de natura rerum* v. 299.

visus (a). Sic enim hominis productionem expressit Moyses: *Formavit Deus hominem*, scilicet Adæ corpus, *de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus*, nempe formati corporis, *spiraculum vitæ*, hoc est animam rationalem, *& factus est homo in animam viventem* (b). Ergo Adæ anima antiquior non fuit illius corpore; ac proinde nullius rationalis animæ creatio productionem sui corporis præcessit.

Confirmatur. Ut enim præclare argumentatur S. Hieronymus, *si fuit anima, antequam Adam in paradiso formaretur, in quolibet statu, & ordine & vixit, & egit aliquid (neque enim possumus incorporalem & æternam, in modum glirium, immobilem torpentemque sentire) necesse est, ut aliqua causa præcesserit, cur quę prius sine corpore fuit, postea circumdata sit corpore. Et si anima est naturale esse sine corpore: ergo contra naturam est esse in corpore. Si contra naturam est esse in corpore: ergo resurrectio corporis contra naturam erit. Sed non fiet resurrectio contra naturam: ergo juxta sententiam nostram, corpus, quod contra naturam est resurgens, animam non habebit* (c).

Adde, gratis omnino fingi, animam rationalem antiquiorem esse corpore, eamque cogitasse, antequam corpori conjungeretur, si eorum, quæ ipsa tunc gessit, nulla prorsus nobis memoria insit. Neque enim ulla datur hujusce præexistentiæ ratio naturalis, vel tam certa revelatio, cui nefas sit refragari. Nemo est autem, qui aliquid vel minimum eorum, quæ fecerit illius mens, antequam in corpus dilaberetur, memoria teneat. Ego certe, ut loquar cum Tullio, *non commemini, antequam sum natus, me miserum*, neque, si mavis, beatum. *Tu si meliore memoria es, velim scire, ecquid de te recordere* (d). Neque aliter quam pro delirio habendum puto, quod de seipso dixerat olim Pythagoras, se nimirum meminisse eorum omnium, quæ sibi contigerant, antequam corpori mens ejus conjungeretur (e). Ergo &c.

Hinc patet altera assertionis pars, videlicet animas rationales detrusas non fuisse in corpora, velut in carcerem, ut pænas luerent delictorum, quæ antea, a corporibus scilicet solutæ, quemadmodum somniaverat Origenes, ipsæ commiserant. Si namque antiquiores non fuere corporibus, nihil gesserunt mali, propter quod meruerint, ut corporeo carceri conjungerentur. Et sane, admitti nequit hoc Origenistarum delirium, quin demus, graviora scelera haud juste a Principibus ultimo supplicio puniri. Ut enim egregie argumentatur S. Cyrillus Alexandrinus, *si ante corpus existens anima peccavit, & id-*

(a) Lib. *de Opificio hominis* cap. 29.
(b) *Geneseos* cap. II. v. 7.
(c) Epist. LXI.
(d) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 6.
(e) Laertius lib. VIII in *vita Pythagoræ*.

incirco innexa est carni, quam ob causam lex graviora quidem peccata morte plecti, innocentem vero vivere permittit? Præstaret quippe permittere, turpissimorum criminum reos diu in corporibus hærere, ut hoc pacto gravius punirentur; innocentes vero corporibus exsolvi, si, pœnæ loco, inclusę sunt in corporibus animæ. Sed contra, morte quidem punitur homicida; justus autem corpore nihil patitur. Non est igitur, supplicii loco, inclusa corpori anima (a).

Merito propterea Origenistarum opinio censorio stigmate confixa est ab Ecclesia, ut patet tum ex *can. 6.* Concilii Bracarensis II. anno 563. contra Priscillianam heresim celebrati (*); tum ex primo anathematismo, qui ad calcem legitur tractatus Justiniani Imperatoris (**), una cum aliis, adversus Origenis errores a V. Oecumenica Synodo approbatus (***). Quamobrem dicendum cum Concilio Lateranensi III., *Deum simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem, & corpoream, angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam* (*b*); & ideo animas rationales non esse corporibus antiquiores. Neque enim eorum unum antiquius altero est, quæ una simul fuere producta.

PROPOSITIO VI.

Animæ rationales non fuerunt omnes simul initio temporis a Deo creatæ, iisque organicis corpusculis inclusæ, quæ, tunc itidem a Deo condita, in ovis femineis delitescunt.

130. *Probatur primo* auctoritate *Concilii Lateranensis* V. sub Leone X. celebrati. Expresse namque in illo habetur, *animam rationalem pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter esse multiplicabilem, multiplicatam, & multiplicandam* (c). Si ergo pro corporum multitudine rationalis anima multiplicanda est, animæ omnium

nium

(a) Lib. I. in *Joannem* cap. 9., ubi vigintiquatuor rationibus Originis errorem refellit.

(b) Cap. *Firmiter, de fide catholica.*

(c) Sess. VIII. in Bulla Leonis X. Tom. XIX. collect. *Concil.* Labbeanæ *colum.* 842.

(*) Si quis animas humanas dicit prius in cœlesti habitatione peccasse, & pro hoc in corpore humano in terram dejectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit. *Tom.* VI. *Conciliorum* edit. Venetiis 1729. apud Joannem Baptistam Albrizzi. *colum.* 518.

(**) Si quis dicit, aut sentit, præexistere hominum animas, utpote quę antea mentes fuerint, & sanctæ virtutes, satietatem que cępisse divinæ contemplationis, & in deterius conversas esse, atque idcirco refrixisse a Deo charitate, & inde *animas* esse nuncupatas, demissasque esse in corpora, supplicii causa, anathema sit. *Tom.* VI. *Concil.* laudatæ editionis *colum.* 354.

(***) Si quis fabulosam animarum præexistentiam, & quæ ex illa consequitur, monstruosam restitutionem asseruerit, anathema sit. *Can.* I. *adversus Origenem.* Tom. VI. *Concil.* colum. 223.

nium hominum, qui ad finem usque Mundi nasciturі sunt, non fuere initio temporis a Deo creatæ. Quippe, si simul jam sunt creatę, multiplicatæ quidem sunt pro futurorum hominum numero, at non multiplicandæ. Itaque animarum præexistentia in corpusculis organicis propugnari minime posse videtur, quin Lateranensi Concilio aperte refragemur.

Probatur secundo ratione. Enimvero vel illud corpusculum organicum, sive humani corporis machinula, quæ in ovulo latet femineo, vitæ motibus prædita est, adeo nempe ut totum ex ea, & ex anima rationali conflatum, vitales motus exerceat; vel illis, instar mortui corporis, penitus est destitutum. Si hisce motibus caret, nullumque in eo habetur vitæ signum: ergo organicum illud corpusculum rationali anima præditum non est. Sicuti namque ea est lex naturæ, ut anima rationalis corpus relinquat, cum ad vitæ munera obeunda est prorsus ineptum (*), ita videtur lex eadem postulare, ut in organico corpusculo non collocetur mens, eique a Deo non conjungatur, nisi illud sit idoneum, ut, statim ac illi juncta est anima, vitæ functiones exerceat. Si vero illa machinula, humano spiritu animata, vitaliter operatur: ergo ad hominem concipiendum haudquaquam requiritur, ut ovum femineum a masculini seminis aura fœcundum fiat; sed femina optime poterit, quin viro nubat, concipere. Eorum quippe omnium sententia, qui animalia ex ovis oriri arbitrantur, fœcundatio ovi feminei, sive hominis conceptio, ex eo fit, quod subtilior vividiorque virilis genituræ portio femineum ovulum ingressa, primis fœtus staminibus, sive humani corporis machinulæ in ovo delitescenti, motum communicet, illius partes evolvat, efficiatque, ut ad eos peragendos motus, in quibus vita consistit, proxime aptę expeditæque reddantur (a). Illa ergo machinula futuri fętus, quæ in ovulo latet femineo, omnino torpida est, antequam ovum ipsum, & quidem jam maturum, a masculo fęcundetur: quod si torpida, anima rationalis haudquaquam in ea existit.

Confirmatur. Quia vel in omnibus feminis existunt ova animata anima rationali, vel non, sed in aliquibus tantum, nempe in iis, ex quibus homines certo sunt orituri. Si in omnibus: ergo falsum

(a) Videantur, quæ ex Cl. Vallisnerio *de feminei ovuli fæcundatione, hominisque conceptu* diximus in Physica Tom. IV. Dissert. VI. sect. 3.

(*) Cum corporis organa *temperata, & ordinata fuerint, congruunt vivificationi, & nunquam recedit anima. Si vero distemperata, & confusa fuerint, invita recedit anima.* Auctor libri *de spiritu, & anima* cap. 15.

eſt, eorum tantum hominum, qui certo naſcituri ſunt, conditas animas a Deo fuiſſe; non enim ex ſingulis feminis homines, ut patet, naſcuntur. Si vero non in omnibus feminis animata ova exiſtunt, ſed in iis tantum, ex quibus homines naſcituri ſunt, & modo naſcuntur: ergo in feminis, quæ viri neſciæ vita decedunt, natura molita fruſtra eſt aut ovula, ſi qua habent, rationali anima deſtituta, aut organa, quæ ad eum finem in illis elaborata dicuntur, ut gignendorum fœtuum ovula complectantur, humanique generis propagationi inſerviant.

Hac demum opinione poſita, non poſſet ſingulis feminis virginitas impune ſuaderi; minuſque recte egiſſet tum Chriſtus Dominus commendando virginitatem (a), tum Apoſtolus optando, ut omnes, nullo perſonarum diſcrimine poſito, cœlibatum, quemadmodum ipſe fecerat, perpetuo cuſtodirent (b). Suaderi porro indiſcriminatim omnibus feminis tunc non poſſet virginitas; quippe, cum non conſtet, quæ feminæ animatis ovulis præditæ ſint, quæ vero illis careant, nequit virginitas ſingulis feminis ſuaderi, quin verum ſit, optionem in nobis eſſe, ut tot pereant animæ, quot animata ovula illæ complectuntur. Eandem quoque ob cauſam nulli feminæ liceret, ſe perpetuo virginitatis voto obſtringere, eamque Deo, quoad vixerit, devovere, niſi certo ei primo conſtiterit, ovula animata ſuo in ſinu ab ſe minime contineri.

Prætereo, feminas omnes, hac admiſſa hypotheſi, eo niti debere, ut plures, quoad poſſet fieri, partus emittant, ne qua ſcilicet anima, earum cauſa, pereat; ac propterea polygamiam viris prohiberi ſine piaculo ab humana poteſtate non poſſe. Hæc igitur cum non minus falſa, quam abſurdiſſima ſint, relinquitur, Volfianam opinionem de animarum in ovulis præexiſtentia dignam eſſe cenſorio ſtygmate, penituſque a Viro catholico reiiciendam.

Opponitur, Deum quieviſſe *die ſeptimo ab omni opere, quod patrarat* (c), hoc eſt a rebus creandis tunc ita ceſſaſſe, ut nullam aliam deinceps fecerit, neque ad finem uſque mundi ſit ipſe facturus.

Sed contra: quia locus ille *Geneſeos* ita intelligendus eſt, ut ſit ſenſus, Deum quieviſſe a novis condendis ſpeciebus creaturarum, non autem ab iis creandis ſubſtantiis, quibus neceſſario eſt opus, ut alicujus tunc ab eo conditæ, ſpeciei propagatio perficiatur. Cum autem rationalem animam creat, non ſit aliqua ſpecies nova, quam antea Deus ipſe

(a) Matth. 19. v. 12.
(b) Epiſt. I. ad *Corinth.* cap. 7. v. 7.
(c) *Geneſeos* cap. II. v. 2.

ipſe non fecerat, ſed efficitur tantum, ut, quam ad ſui imaginem condiderat ſpeciem, prorſus non extinguatur, & pereat, ſed propagatione perſeveret. Hinc auctor libri *de ſpiritu & anima* cap. 41., *quales*, inquit, *in exordio die ſexto maſculo, & femina dedit* (animas), *tales quotidie inſpirat ſingulis, nova de nihilo creatione, non nova inſtitutione*. Pater, *inquit*, meus uſquemodo operatur, & ego operor. *Operatur uſquemodo Pater, & Filius operatione ſiquidem nova, ſed inſtitutione non nova, pro illa agens, cum iſta quieſcens. Res vero corporea poſt primam ſui creationem nova nullæ creantur, ſed ſimul in exordio condita, temporali formatione propagantur. Animæ autem non ſimul eſſentialiter facta ſunt, ſed pro natura conſimili, quæ ad imaginem, & ſimilitudinem Dei ſiunt, & ſimul facta reputantur, & non ſimul edita judicantur: non ſimul edita pro eſſentia, ſed ſimul facta pro compari forma ad imaginem, & ſimilitudinem Dei prarogata*.

Ne quis autem dicat, auctorem hujus libri, quicumque ille fuerit, hominem quidem eſſe variæ multæque lectionis, quemadmodum probe de illo judicavit Eraſmus, ſed non tantæ auctoritatis, ut ejus dicta digna plane ſint, quæ in honore habeantur; ſciat is velim, non aliter hac ipſa ſuper re opinatum fuiſſe S. Auguſtinum, quinimo totam hanc doctrinam ex tanto Doctore fuiſſe deſumtam. Expreſſe namque fatetur S. Doctor, locum illum *Geneſeos* de Divina quiete a rebus creandis ita poſſe intelligi, ut ſit ſententia, *Deum requieviſſe a condendis generibus creaturæ; quia ultra jam non condidit aliqua genera nova* (a). Sed id apertius docuit ſcribens ad S. Hieronymum. Cum enim is optaret, ut ſibi palam ab Auguſtino fieret, quomodo adverſus Pelagianorum dogma defendi poſſet, ſingulas animas ſingulis naſcentibus etiam modo a Deo creari, quod ipſe Hieronymus in epiſtola ad Marcellinum, & Anapſychiam, inſinuaverat (b), oſtendit S. Auguſtinus, non ſatis quidem evinci ex illo Evangelii loco: *Pater meus uſque modo operatur*, animas quotidie a Deo fieri, & in corpora mitti; at ſimul probat, neque ex eo, quod Deus die ſeptimo quieviſſe dicatur, id eſſe falſum, ſatis evidenter demonſtrari. *His*, inquit, *qui hæc* (quieviſſe ſcilicet Deum die ſeptimo), *ideo dicunt, ne credatur modo Deus, ſicut illam unam, novas animas, quæ non erant, facere, ſed ex illa una, quæ jam erat, eas creare vel ex fonte aliquo, ſive theſauro quodam, quem tunc fecit, eas mittere, facile reſpondetur, etiam illis ſex diebus multa Deum creaſſe ex his naturis, quas jam creaverat, ſicut ex aquis alites, & piſces; ex terra autem arbores, fa-*

(a) Lib. IV. *ſuper Geneſim ad litteram* num. 22. alias cap. 12.

(b) Epiſt. inter *Auguſtinianas* CLXV. num. 1., alias XXVII. cap. 1.

fœnum, animalia: ſed quod ea, quæ non erant, tunc fecerit, manifeſtum eſt. Nulla enim erat avis, nullus piſcis, nulla arbor, nullum animal; & bene intelligitur, ab his creatis requieviſſe, quæ non erant, & creata ſunt, id eſt, ceſſaſſe, ne ultra, quæ non erant, crearentur. Sed nunc quod dicitur, animas non in neſcio quo fonte jam exiſtentes mittere, nec de ſeipſo tamquam ſuas particulas inorare, nec de illa una originaliter trahere, nec pro delictis ante carnem commiſſis, carneis vinculis compedire, ſed novas creare ſingulas ſingulis, unam cuique naſcenti, non aliquid facere dicitur, quod ante non fecerat. Jam enim ſexto die fecerat hominem ad imaginem ſuam, quod utique ſecundum animam intelligitur. Hoc & nunc facit, non inſtituendo, quod non erat, ſed multiplicando, quod erat. Unde & illud verum eſt, quod a rebus, quæ non erant, inſtituendis requievit. Et hoc verum eſt, quod non ſolum gubernando, quæ fecit, verum etiam aliquid, non quod nondum, ſed quod jam creaverat, numeroſius creando, uſque nunc operatur. Vel ſic ergo, vel alio modo quolibet eximus ab eo, quod nobis obiicitur de requie Dei ab operibus ejus, ne propterea non credamus, nunc uſque fieri animas novas, non ex illa una, ſed ſicut illam unam (a).

Ceterum non ita quieviſſe Deum die ſeptimo a rebus creandis, ut nullam plane ſubſtantiam deinceps per creationem effecerit, ex ineffabili Incarnationis myſterio aperte, mea quidem ſententia, luculenterque oſtenditur. Certum namque eſt, Chriſti animam tunc ſolum fuiſſe a Deo creatam, cum Divini Verbi peracta fuit incarnatio. *Ex quo eſſe homo cœpit*, inquit S. Auguſtinus, *non aliud cœpit eſſe homo, quam Dei filius* (b); utque habet Theodoretus, *ne punctum quidem temporis interjectum fuit inter aſſumptionem carnis, & unionem; & aſſumpta natura non fuit ante aſſumptionem & unionem* (c); unde S. Fulgentius firmiſſime tenendum ait, & nullatenus dubitandum; *carnem Chriſti non ſine Divinitate conceptam in utero Virginis, priuſquam ſuſciperetur a Verbo, ſed ipſum Verbum Deum ſuæ carnis acceptione conceptum, ipſamque carnem Verbi incarnatione conceptam* (d). Certum eſt autem, adimpletum fuiſſe Incarnationis myſterium, cum Angelo nuntianti reſpondit Virgo: *ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum* (e). Ergo tunc ſolum, non autem initio temporis, creata a Deo fuit anima Chriſti.

Fateor equidem, Divini Verbi incarnationem eſſe miraculum. At ſimul contendo, argumenti vim non propterea infringi. Nihil quippe,

(a) Epiſt. CLXVI. n. 12. alias XXVIII. cap. 5.
(b) In Enchirid. n. 11., alias cap. 36.
(c) Dialog. II.
(d) Lib. *de Fide ad Petrum* cap. XVII. num. 61.
(e) *Lucæ* cap. I. v. 38.

pe, ne quidem per miraculum, creare debet Deus, ut ſtet, quod ajunt, ipſum ſcilicet a rebus condendis die ſeptimo penitus quieviſſe. Quieti enim non minus ea opponitur actio, quæ ſupra leges naturæ eſt, quam ea, quæ ejuſdem legibus plane reſpondet. Sicuti ergo quies illa non prohibet, quominus anima Chriſti tunc ſolum creata fuerit, cum Divinum Verbum humanam ſibi copulavit naturam; ita ea ipſa jure impedire non poteſt, quominus *ſingulas animas ſingulis naſcentibus etiam modo Deus faciat* (a). Primum poſtulavit humani generis reparatio, non prius facienda, quam *temporis plenitudo* veniſſet (b). Hoc alterum generis ejuſdem propagatio requirit, non prius finienda, quam electorum numerus compleatur.

ANIMADVERSIO I.

131. Haud recte dixit Cl. Volfius, ſe non videre, *quid inde ſequatur, quod vel naturali, vel revelatæ religioni, vel virtuti ſit adverſum, ſi in prima ſtatim rerum creatione animas a Deo ex nihilo productas affirmes una cum ſtaminibus fœtus* (c). Videre quippe debuiſſet, eo quo pollet ingenii acumine, animarum præexiſtentiam neque cum Incarnationis myſterio, neque cum doctrina de virginitate ſervanda ſatis poſſe componi. Ne ipſam quidem Chriſti animam excipi in hac lege, argumento eſt ipſius Viri Cl. de ipſa anima altum ſilentium. Nec enim res eſt exigui adeo momenti, ut omitti a tanto Viro ſine culpa potuerit. Hunc itaque lapidem forte non movit Vir Cl., quia & ipſe vidit, excipi non poſſe animam Chriſti, quin falſum ſit, quod pro certo habet, ita ſcilicet quieviſſe Deum die ſeptimo, ut ab eo die nihil amplius creaverit, neque ad finem uſque Mundi ſit creaturus; fore vero, ut de ineffabili Incarnationis myſterio peſſime ſentire cogeretur, ſi ex adverſo etiam Chriſti animam initio temporis, una cum ceteris, creatam a Deo fuiſſe, aperte diceret. Tutius ergo ſibi fore arbitratus eſt Vir doctiſſimus, hac ſuper re dormitare.

ANIMADVERSIO II.

132. Audiendus quoque non eſt, cum ait: *Jam vero Deus die ſeptimo a creando ceſſaſſe legitur; unde Theologi recte colligunt, quod hodie nihil amplius creet, ſeu ex nihilo producat. Scriptura igitur con-*

(a) S. Hieronymus apud S. Auguſtinum Epiſt. CLVI. num. 8., alias XXVIII. cap. 4.
(b) Ad *Galatas* cap. 4. v. 4.
(c) Pſychol. *ration.* §. 705.

venit creatio animarum in prima ftatim creatione a Deo facta (a). Falfum eft enim, Theologos colligere ex illo loco Genefeos, animam rationalem modo a Deo non creari, nifi forte Cl. Auctor vel de iis Theologis loquatur, qui cum Leibnitio præexiftentiam animarum, ut ipfe facit, defendunt; vel de antiquioribus illis intelligat, qui aut animas corporibus præexiftere opinati funt, aut eas ex parentibus in filios per traducem propagari arbitrabantur: quorum certe Theologorum auctoritatem penfi non facimus. Conftat, eorum Theologorum fententia, qui Concilio Lateranenfi V. interfuere, animam rationalem pro hominum numero *multiplicatam* effe, *multiplicabilem*, & *multiplicandam*. Conftat quoque, laudatum Genefeos locum minime impedire, S. Auguftini judicio, quominus dicamus, *nunc ufque fieri animas novas, non ex illa una, fed ficut illam unam*; ac prohinde hypothefim de præexiftentia animarum in corpufculis organicis non ita effe S. Scripturæ confentaneam, ut eam fine piaculo oppugnare, imo & deteftari non liceat.

ANIMADVERSIO III.

133. Contendere itidem nequit, animas rationales præexiftere in fuis corpufculis organicis, quin peccet aperte contra *principium rationis fufficientis*, quod tanti facit, tamque magnifice ipfe commendat. Nulla enim hujufce præexiftentiæ occurrit fufficiens ratio, five Divina fpectetur auctoritas, five ad eas, quæ in Mundo fiunt, mutationes animum attendamus. Nulla eft, fi Divina fpectetur auctoritas; quippe, ut ex S. Auguftino demonftravimus, nihil prorfus, quod faveat Volfianæ hypothefi, ex eo evincitur, quod Deus die feptimo ab omni opere quieviffe legatur. Neque enim alius habetur S. Scripturæ locus, quo oftendat Volfius, nihil deinceps per creationem a Deo factum fuiffe, aut effe faciendum. Nulla vero eft ratio fufficiens, fi natura ipfa confulatur. Enimvero, fi qua ex hoc capite fufficiens ratio defumi poffet, ea effet dubio procul, qua ipfemet Vir Cl. fe putat oftendere, *Deum hodie nihil amplius creare, nec creaturum quicquam, quamdiu hic mundus adfpectabilis exiftet* (b). Hæc autem non evincit, nullam fpiritualem fubftantiam modo a Deo creari, fed tantum nihil fenfibile novum contingere in Mundo, quod per actionem, quæ fit vera creatio, producatur. Ita fiquidem argumentatur Vir Cl.: *feries fucceffivorum, quæ ingreditur hunc Mundum adfpe-*

(a) *Pfycol. rational.* not. ad §. 705.
(b) *Theol. naturalis* P. I. §. 834.

spectabilem (*§*. 55. Cosmol.), *non continet, nisi corpora, quorum unum interit, alterum oritur, & modificationes ejusdem corporis per aliquod temporis intervallum durantis: id quod experientia constat. Enimvero in ortu corporum nullum elementum oritur* (*§*. 832.), *consequenter substantia nulla simplex* (§. 182. Cosmol.) *adeoque nihil ex nihilo producitur* (*§*. *691*. Ontol.). *Quamobrem patet, in corporum ortu nihil creari* (§. *697*. Psychol. rat.). *Quod in interitu corporum nihil creetur novi, per se patet. Modificationes vero corporum existentium, & per aliquod temporis intervallum durantium non sunt nisi variationes limitationum* (§. 830. Ontol.), *neque ideo quicquam in iisdem ex nihilo producitur* (§. 833. Ontol.), *consequenter nihil in iisdem creatur* (*§*.*697*. Psycol. rat.). *Quamobrem hodie nihil amplius creatur. Competit vero potentia creatrix soli Deo* (§.767.). *Quamobrem patet, Deum hodie nihil amplius creare.*

Enimvero, qua hodie datur ratio, cur Deus nihil amplius creet, eadem subsistit, quamdiu Mundus hic adspectabilis subsistet, & quod futurum est tempus, erit aliquando, perinde ac hoc præsens. Quamobrem, cum posita ratione sufficiente, cur quid sit potius, quam non sit, ponatur etiam id, quod propter eam potius est, quam non est (*§*. 118. Ontol.); *quamdiu Mundus hic adspectabilis existet, ponetur non creatio rerum, aut, si mavis, cessatio creationis. Deus itaque nihil creabit, quamdiu hic Mundus adspectabilis existit.*

Idem etiam probari potest hoc modo. Totus Mundus hic adspectabilis ens unum est (§. 60. Cosmol.), *cui adeo nihil demi potest, salva ejus. essentia: id quod etiam ex immutabilitate essentiæ claret* (§.300. Ontol.) *Jam essentia Mundi, & natura sunt medium, quibus finem per ejus creationem intentum consequitur Deus* (§.645.). *Quamobrem cum per Mundi hujus adspectabilis existentiam finem a se intentum ex asse consequatur* (*§*.*621*.), *non opus habet, ut nova creatione in hanc seriem rerum quicquam intrudat, & alia in eadem existentia annihilet, consequenter Mundi partem secuturam diversam efficiat ab ea, quæ respondet Mundo a se creato. Quamobrem cum Deus sit sapientissimus* (*640*.); *sapiens vero contra finem, quem intendit, nihil agit* (§. *678*. Psycol. rat.); *ideo patet, Deum hodie nihil amplius creare, nec quicquam in posterum creaturum, quamdiu hic Mundus adspectabilis existit* (a). Hactenus Volfius. Ideo ergo, Volfium si audiamus, nihil amplius creat Deus, quia quidquid novi in hoc Mundo contingit, nihil est ab existentium corporum modificationibus diversum. Itaque aut dicat oportet Cl. Auctor, nullam in homine esse substantiam, nisi corpoream, ejusque ani-

(a) *Theol. naturalis* P. I. *§*. 834.

animam a modificationibus materiæ haudquaquam differre, & ideo sibimet adversari; quippe qui docet, animam humanam differre prorsus a corpore (a), eamque esse spiritum (b), & materialismum esse falsam hypothesim (c); aut fateatur & ipse necesse est, non satis hac ratione evinci, rationales animas quotidie a Deo non creari. Verum quidem est, omnes corporeas mutationes, quæ sensibus patent, ex eo unice provenire, quod mutetur artificiosa molecularum primo componentium dispositio. At cum hæc sola non sufficiat, ut generetur homo, non omnis mutatio, quæ in Mundo fit, in sola variatione limitationum, seu mechanicarum affectionum recte statuitur. In ortu eorum, quæ pure corporea sunt, nullum quidem elementum oritur, nulla substantia simplex, nihilque ex nihilo vere proprieque producitur. Verum in ortu illius compositi, quod ex spirituali, & corporea substantia constat, res non ita omnino se habet. Formatur corpus organicum, quin nova fiat substantia simplex. Anima vero a Deo creatur; quippe quæ non est variatio limitationum, sed substantia, & quidem ordinis sublimioris, quam sit corpus, præstantiorisque naturæ. Neque propterea hinc sequitur, Mundum desinere esse *unum ens*, eique addi aliquid, cum generatur homo, vel demi, cum ille moritur. Nulla siquidem Mundo tunc additur entium species, nullaque eorundem specie tunc Mundus privatur. Ut enim egregie dixerat S. Augustinus superiori loco laudatus, Deus, cum animam creat, & facit hominem, non aliquam instituit speciem, quæ non erat, sed multiplicat, quæ erat; efficitque idcirco, ut idem perduret Mundus, quem initio condiderat, licet ex corruptibilibus componatur. Damus igitur Viro Cl., satis ab eo probari, nihil plane, quod sit pure corporeum, hodie in Mundo ex nihilo fieri; ac proinde nihil hujuscemodi a Deo per creationem modo produci. Sed aperte negamus, hinc evinci, rationales animas nunc a Deo haudquaquam creari. Peccat argumentum eo fallaciæ genere, quod *a dicto secundum quid ad simpliciter* vocari a Logicis solet; nisi forte, secus ac alibi docet, sentiat hoc loco Vir Cl., humanam mentem esse corpus, vel ab corporis modificationibus nulla ipsam ratione discerni. Absit tamen verbo invidia. Expendatur serio, quod principii loco in hoc argumento ille assumit, videlicet *seriem successivorum, quæ ingreditur hunc Mundum adspectabilem, non continere nisi corpora, quorum unum interit, alterum oritur, & modificationes ejusdem corporis per aliquod temporis intervallum durantis.* Profecto non

(a) Psychol. ration. §. 51.
(b) Ibidem §. 645.
(c) Ibidem §. 50.

Non video, quomodo, si anima rationalis non ponatur corpus, vel corporis modificatio, verum sit, *in serie successivorum, quæ adspectabilem Mundum ingreditur, nonnisi corpora, corporisque modificationes contineri*. Fateor vero, me non intelligere, quomodo, si loquatur tantum de successivis sensibilibus, & quidem prout sunt sensibilia, id assumi queat principii loco ad ostendendum, *nihil amplius hodie a Deo creari:* nihil, inquam, quin ulla prorsus fiat substantiæ exceptio. Quod si fuerit illius mens, spiritualem substantiam hoc loco excipere, æquo ferat animo Vir eximius, si dixerim, id minime cum iis posse componi, quæ ipsemet alibi tradit. Ita enim loquitur. *Ceterum quod hic supponimus, si animæ prodeunt per creationem, eas in prima statim rerum origine creatas esse, & de corpusculis quoque stamina fœtus continentibus sumimus, ex principiis Theologiæ naturalis tanto tutius supponi potest, quanto certius est, creationem animarum admittere non posse, vi assensus, quem rationibus extorquemus, nisi eum, qui principia Theologiæ naturalis perspecta habet. Ibidem vero ostendemus* GENERALITER, *quæ a Deo creata sunt, ea in prima rerum creatione fuisse producta: quæ & communis Theologorum, Scripturæ Sacræ conformis, sententia est* (a).

ANIMADVERSIO IV.

134. Dignum postremo consideratione est, quod de anima rationali in corpusculo organico præexistente docet idem Cl. Auctor, eam scilicet tunc esse *in statu perceptionum confusarum* (b). Hinc enim, nisi mea me fallat opinio, futurum necessario videtur, ut in organico ipso corpusculo aliqui ex iis peragantur motus, quibus, vi unionis mentis cum corpore, perceptiones nostræ respondent. Id certe & ipse Vir Cl. aperte docet, cum ait, *animam in statu præexistentiæ sibi repræsentare hoc universum convenienter mutationibus, quæ in animalculo spermatico, vel in corpusculo organico, stamina fœtus continente, contingunt* (c); utque antea docuit, de sensu sermonem habens, *ratio perceptionum rerum materialium in mutationibus, quæ in corpore isto contingunt, continetur, adeoque perceptiones rerum materialium in mundo adspectabili a mutationibus in corpore isto contingentibus dependent* (b). Si ergo in organico corpusculo, quod in ovo femineo delitescit, tales mutationes fiunt, quibus confusa rerum perceptio, sive sensatio, atque imaginatio in anima illi copulata respondet, nihil

(a) *Psychol. rationalis not.* §. 704.
(b) Ibidem §. 706.
(c) Ibidem §. 715.
(d) *Psychol. empyricæ* §. 57.

hil ipsi deest, quominus vivens dici jure ac merito possit. Neque enim sensitivæ imaginationis capax est, quod non vivit. Igitur, hæc si detur hypothesis, non est opus conjunctione maris, & feminæ, ut humanum genus propagetur. Poterit quippe femina, quin viro nubat, concipere; cum organicum gignendi fœtus corpusculum habeat hoc ipso ex se totum id, quod a masculini seminis aura recipere dicitur, nempe motum, atque vitam, ut superiori loco innuimus. Adde, concipi non posse, quomodo per tot sæcula, quot ab Orbe condito usque in præsens fluxerunt, peragi potuerint motus in corpusculo hominis modo geniti, quin ipsius corpusculi partes cum solidæ, tum fluidæ, motibus illis peragendis inservientes, aliquid vel minimum passæ unquam sint, nutritione reparandum. Quod si ponatur, nutritionem in illo corpusculo fieri, quæro, undenam illi adveniat materia ad nutritionem requisita; & cur, si fiat nutritio, accretio quoque non habeatur? Præterea, nutritionem in illo corpusculo absolvi non posse, quin perfecte vivat, atque hinc quin ad hominem concipiendum frustranea omnino sit masculini seminis actio. Optarem postremo, ut ostenderet Vir Cl., quid anima, quamdiu una cum corpusculo organico, cui copulata est, latet in ovo femineo, confuse percipiat. Videtur quippe, nullam prorsus rerum earum, quæ adspectabilem Mundum constituunt, percipi ne confuse quidem ab ea tunc posse. Nulla siquidem est, quæ aliquam vel minimam mutationem valeat in illo corpusculo excitare; ac proinde rationem ponere, cur mens ipsi corpusculo copulata unam potius rem, quam aliam percipiat, si verum est, quod ipse docet, *per mutationes scilicet, quæ in corpore nostro accidunt, nos intelligere, cur res materiales in mundo adspectabili percipiamus, & cur tales potius percipiamus, quam alias* (a); & *animam nostram in statu præexistentiæ sibi repræsentare hoc universum convenienter mutationibus, quæ corpusculo illi organico accidunt, in quo præexistit* (b). Nullam porro rerum earum, quæ adspectabilem Mundum constituunt, posse mutationem aliquam in corpusculo organico, quamdiu in ove existit femineo, excitare, adeo perspicuum puto, ut a nomine prorsus verti in dubium possit. Res enim ipsæ non ita præsentes sunt illi corpusculo, quamdiu in ovo, atque hinc in utero feminæ, latet, ut nihil impediat, quominus motum illi communicare optime queant. Si quis autem contendat, motiones fieri in illo corpusculo, quin ipsius partes a rebus Mundum constituentibus impetum recipiant, eo videtur Vir Cl. necessario

(a) *Psychol. empiricæ* §. 57.
(b) *Psychol. rationalis* §. 715.

cessario cogi, ut dicat, aliquid in rerum natura reipsa contingere, quin, cur contingat potius, quam non contingat, sufficiens ratio habeatur.

S C H O L I O N.

135. Præexistentiæ animarum in animalculis spermaticis nullam hic mentionem facimus. Ut enim omittam, iisdem ferme rationibus illam everti, quibus modo ostensum est, animas ipsas in corpusculis organicis, quæ in ovo femineo latere dicuntur, minime contineri, hoc tantum discrimine, ut, quod de feminis hac in hypothesi dicitur, de viris in illa intelligatur, spermaticorum animalculorum opinio adeo turpis est, ut in impugnanda animarum in illis animalculis præexistentia, piaculum ducam vel minimum immorari (a).

PROPOSITIO VII.

Anima rationalis tunc solum a Deo creatur, & organico gignendi fœtus corpusculo infunditur, cum ea in ipso habetur partium evolutio, sive organizatio, qua ad vitæ munera obeunda immediate sufficiat.

136. *Probatur*. Certum est, animam rationalem non propagari per traducem ex patre in filium (§.124.), sed a Deo creari (§.128.). Certum est etiam, animas omnium hominum, qui ad finem usque Mundi nasciturí sunt, neque extitisse ante corpora (§. 129.), neque initio temporis simul omnes creatas a Deo fuisse, iisque singulas copulatas corpusculis, quæ in ovis femineis tunc itidem elaboratis, latere dicuntur (§. 130.). Ergo tunc solum a Deo creatur anima rationalis, & corpori infunditur, cum vel ea in ipso corpore habetur organizatio, vel ea in præexistente corpusculo facta est partium evolutio, quæ requiritur, ut compositum inde factum vitæ functiones exerceat.

Confirmatur. Quia, ut diximus superiori loco, anima recedit a corpore, cum corpus idoneum amplius non est ad vitales motus peragendos. Ergo tunc solum corpori anima ipsa infunditur, atque hinc a Deo creatur, cum ipsum corpus est ad vitæ munera obeunda proxime aptum.

Quamvis porro huic sententiæ aperte non subscripserit S. Augustinus, quemadmodum neque eam palam rejecit, quæ ponit, animam

(a) Tom. IV. Physicæ Differt. VI. Sect. II. prop. 3.

mam ipsam ex patre in filios per traducem propagari, videtur tamen S. Doctor ab hac ipsa, quam modo tradidimus, opinione nullatenus abhorruisse. Scribens quippe ad Renatum Monachum contra duos libros, quos de *animæ origine* Vincentius quidam Victor conscripserat, ita hac super re mentem suam expressit: *animarum novarum sine propagine insufflationem defendi quidem minime prohibemus, sed ab eis, qui potuerint aliquid invenire, vel in canonicis libris, quod non sit ambiguum dissolvendæ huic obligatissimæ quæstioni; vel in ratiocinationibus suis, quod non sit contrarium catholicæ veritati: non a talibus, qualis iste apparuit, qui non inveniendo, quid diceret, & deliberationem suam nolendo suspendere, vires suas omnino non metiens, ne taceret, ausus est dicere:* inquinari animam meruisse per carnem, & esse meruisse animam peccatricem, *cujus nullum meritum seu bonum, seu malum, ante carnem potuit invenire*. Et parvulis sine baptismo de corpore exeuntibus solvi posse originale peccatum, & offerendum pro eis sacrificium corporis Christi, *qui Christo non sunt incorporati per ejus sacramenta in ejus ecclesia:* eosque sine lavacro regenerationis de hac vita emigrantes, non ad requiem tantum ire, sed ad regnum cœlorum posse etiam pervenire. *Et alia multa absurda, quæ omnia colligere, atque in isto libro digerere, longum visum est. Absit ergo, ut animarum propago, si falsa est, a talibus refellatur; & animarum novarum insufflatio, si vera est, a talibus defendatur. Quamobrem quicumque volunt defendere, quod dicuntur animæ novæ nascentibus insufflari, non de parentibus trahi, aliquod illorum quatuor, quæ supra commemoravi, caveant omni modo: hoc est, ne dicant* a Deo fieri animas peccatrices per alienum originale peccatum: *ne dicant*, parvulos, qui sine baptismo exierint, pervenire posse ad vitam æternam, regnumque cœlorum, originali peccato per quodlibet aliud resoluto: *ne dicant*, animas peccasse alicubi ante carnem, & hoc merito in carnem peccatricem fuisse detrusas: *ne dicant*, peccata, quæ in eis inventa non sunt, quia præscita sunt, merito fuisse punita, cum ad eam vitam, ubi ea committerent, permissæ non fuerint pervenire. *Nihil ergo istorum quatuor dicentes, quoniam quodlibet eorum falsum atque impium est, inveniant etiam Scripturarum de hac re certissima testimonia, & hanc sententiam suam, non solum me non vetante, verum etiam favente, & gratias agente, defendant. Si autem non inveniunt certissimam de hac re auctoritatem divinorum eloquiorum, & aliquid illorum quatuor per inopiam dicere compelluntur, cohibeant se, ne per ipsam inopiam etiam parvulorum animas non habere originale peccatum, secundum Pelagianam hæresim olim damnabilem, nuperrimeque damnatam, dicere*

com-

compellantur. Melius est enim homini, fateri se nescire, quod nescit, quam in hæresim vel damnatam incurrere, vel novam condere, dum temere audet defensare, quod nescit (a).

DISSERTATIO II.

De mutuo commercio inter mentem humanam, & corpus.

Quoniam, ut egregie observat S. Augustinus, & satis patet ex dictis, error opinantium, hominis animum esse corporeum, ex eo potissimum oriatur, quod *adjungant ea, sine quibus nullam possunt cogitare naturam* (b), hoc est, corporum imaginibus, quæ formantur in cerebro, tanto se amore conjungat mens, *ut etiam se esse aliquid hujusmodi existimet* (c); ideo suscepti muneris ratio postulare optimo jure videtur, ut de commercio, quod inter mentem ipsam, atque corpus est, hoc loco agamus. Hinc quippe clarius patebit, quam superiori Dissertatione demonstravimus, spiritualis humanæ mentis natura; constabitque apertius, quam immerito arbitrati nonnulli olim sint, & fortasse etiam modo aliqui putent, ejusdem mentis materialismum hinc satis evinci. Moneo tamen cum laudato S. Doctore, hac potissimum in re *non erubescendum esse homini confiteri, se nescire, quod nescit, ne, dum se scire mentitur, nunquam scire mereatur* (d). Etenim, eodem teste, *ubi res naturaliter obscura, nostrum modulum vincit, & aperta divina Scriptura non subvenit, temere hinc aliquid definire humana conjectura præsumit* (e). Itaque

SECTIO PRIMA.

Exponitur commercium inter humanam mentem, & corpus.

137. Quam abstrusa sit unio humanæ mentis cum corpore, ejusque investigatio quantum vires nostras excedat, non est cur longo sermone ostendam. Id enim magis videtur perspicuum, quam ut verbis exprimi possit. *Mihi quidem naturam animi intuenti*, inquit Tullius, *multo difficilior occurrit cogitatio, multoque*

(a) Lib. I. *de anima, & ejus origine* num. 33., & 34., alias cap. 19.
(b) Lib. X. *de Trinitate* n. 9., alias c. 7.
(c) Ibidem num. 8., alias cap. 6.
(d) Epist. CXC. n. 16., alias CLVII. c. 5.
(e) Ibidem.

que obſcurior, qualis animus in corpore ſit, tamquam aliena domui, quam qualis, cum exierit, & in liberum cœlum, quaſi domum ſuam, venerit (a); utque habet S. Auguſtinus, *modus, quo corporibus adhærent ſpiritus, & animalia fiunt, omnino mirus eſt, nec comprehendi ab homine poteſt* (b). Et ſane, *ſive in capite*, ait Lactantius, *mens habitet, ſive in pectore, poteſtne aliquis comprehendere, quæ vis rationis efficiat, ut ſenſus ille incomprehenſibilis aut in medulla cerebri hæreat, aut in illo ſanguine bipartito, qui eſt incluſus in corde; ac non ex eo ipſo colligat, quanta ſit Dei poteſtas, quod animus ſeipſum non videt, aut qualis, aut ubi ſit; nec ſi videat, tamen perſpicere poſſit, quo pacto rei corporali res incorporalis adjuncta eſt? Sive etiam mentis locus nullus ſit, ſed per totum corpus ſparſa diſcurrat (quod & etiam fieri poteſt, & a Xenocrate Platonis diſcipulo diſputatum eſt; ſiquidem ſenſus in qualibet parte corporis præſto eſt) nec quid ſit mens, nec qualis intelligi poteſt; cum ſit natura ejus tam ſubtilis ac tenuis, ut ſolidis viſceribus infuſa, vivo, & quaſi ardenti ſenſu, membris omnibus miſceatur* (c). Miſſo itaque modo, quo mens corpori eſt copulata, commercium dumtaxat, quod, ratione ineffabilis illius unionis, inter utramque hanc adeo diſſimilem ſubſtantiam habetur, exponemus in præſens, & quoad fieri a nobis poteſt, clarius demonſtrabitur. Ut autem a *nominis definitione*, quemadmodum recta methodus poſtulat, exordiamur,

DEFINITIO.

138. *Commercium mentis cum corpore* dicitur mirabilis ille conſenſus, quem habent certæ operationes mentis cum certis quibuſdam motibus corporis, & viciſſim certi motus corporis cum certis affectionibus mentis, ratione cujus modo mens corporis, modo corpus mentis veluti interpres exiſtit. *Quod animæ ſequuntur corpora*, inquit Ariſtoteles, *& ipſæ ſecundum ſeipſas non ſunt impaſſibiles a motibus corporis, id manifeſtum fit valde in ebrietatibus, & ægritudinibus; multum namque animæ mutatæ videntur a paſſionibus corporis. Et e contrario, quod corpus compatitur paſſionibus animæ, manifeſtum eſt circa amores, & timores, & dolores, & voluptates. Amplius autem & in iis, quæ natura fiunt, magis utique aliquis conſpiciet, quod corpus, & anima ita ſe habent connaturalia, ut fiant cauſa plurimarum*

(a) Lib. I. *qq. Tuſcul.* cap. 22.
(b) Lib. XXI. *de Civitate Dei* cap. 10.
(c) Lib. *de Opificio Dei* cap. 16.

rum passionum ad invicem (a). Duæ porro sunt leges præcipuæ, quibus mutuum hoc mentis cum corpore commercium continetur.

LEX PRIMA

mutui commercii inter mentem humanam, & corpus.

139. *Si res extra nos posita eas corporis nostri partes, quas* sensuum organa *dicimus, ita afficiant, ut certa in illis motio fiat, eaque ad cerebrum usque propagetur, rerum earundem statim in anima notio excitatur.* Constat enim, neque affici tactum a calore, neque visum posse a luce, coloreque immutari, quin mens calorem, colorem, atque lucem percipiat, seu quin ea in anima excitetur affectio, quam lucis, coloris, calorisque *sensationem*, sive *notionem*, sive *ideam*, appellamus.

COROLLARIUM.

140. Ea igitur inter mentem & corpus datur harmonia, eaque lex, isque consensus, *ut, positis certis quibusdam motibus in corpore, certa rerum notiones in anima habeantur.*

ANIMADVERSIO I.

141. Sensibilium rerum notiones, quæ excitantur in anima, ita iis motibus alligatæ sunt, qui a rebus ipsis fiunt in corpore, ut eodem ferme temporis momento, quo in corpore motus illi peraguntur, notiones ipsæ in mente excitentur. Manifestum est enim, ne minimam quidem temporis morulam discerni a nobis posse inter mutationem factam in tactus organo a calore, & sensationem, seu notionem caloris, quæ in anima mutationem ipsam consequitur.

ANIMADVERSIO II.

142. Impedire minime possumus, ne, sufficienter immutato corporis organo a re extra nos posita, notio ipsius rei in mente, nisi alio tunc vehementer distracta sit, excitetur. Neque enim potest fieri, ut hominem non percipiamus, cum sanos recteque valentes oculos in hominem ipsi convertimus.

ANI-

(a) *Physionom.* cap. 1.

Animadversio III.

143. Ea insuper lege, rerum sensibilium notiones, quæ excitantur in mente, iis motibus respondent, quæ ab ipsis rebus in corpore fiunt, ut clariores, obscurioresve illæ sint, prout magis minusve perfecti sunt ipsi motus. Constat enim, clariorem hominis notionem fieri in mente, vividioremque sensum, quo homo ipse coram nobis existens lumine validiori perfunditur, atque adeo quo fortius visionis organum movet; contra vero notionem illam in nobis perfici obscuriorem, quo lumen debilius est, leviusque propterea reticularis oculi membrana ab eo impellitur.

Animadversio IV.

144. Eo demum ordine, quo rerum sensibilium vestigia, ex organorum sensoriorum immutatione primum in cerebro facta, tum in illo relicta, iterum in ipso excitantur, earundem quoque rerum ideæ iterum in mente emergunt. Perturbate nimirum, & tumultuarie, ut in ebriis, stultisque, ac delirantibus, excitantur in anima notiones rerum, si sine ordine & cum tumultu, motus, quibus illæ respondent, in cerebro iterum fiant; contra vero recto ordine, constantique lege, si cum lege atque ordine, ut in iis accidit, qui sui plane compotes sunt, motus illi in cerebro exsuscitentur iterum, ac perficiantur.

Lex secunda

mutui commercii inter mentem humanam, & corpus.

145. Mens nostra ita corpori, cui ineffabiliter copulata est, dominatur, *ut quædam ipsius corporis partes moveantur ad illius nutum; tamdiu perseverent in motu, quamdiu ipsa vult; atque a motu cessent, quamprimum eidem placet*. Nemo certe est, qui hoc mirabile phænomenon, & si quid aliud nostra consideratione dignissimum, in semetipso, quandocunque voluerit, non experiatur. *Manus, & pedes* (ita rem hanc expressit S. Augustinus) *movemus, cum volumus, ad ea, quæ his membris agenda sunt, sine ullo renisu, tanta facilitate, quanta & in nobis, & in aliis videmus, maxime in artificibus quorumcunque operum corporalium, ubi ad exercendam in-*

infirmiorem; tardioremque naturam agilior accessit industria (a). *Neque ea sola membra movemus ad nutum, quæ compactis articulata sunt ossibus, sicut pedes, & manus, & digitos; verum etiam illa, quæ mollibus remissa sunt nervis, cum volumus, movemus agitando, & porrigendo producimus, & torquendo flectimus, & constringendo duramus, sicut ea sunt, quæ in ore, ac facie, quantum potest, voluntas movet. Pulmones denique ipsi omnium, nisi medullarum, mollissimi viscerum, & ob hoc antro pectoris communiti, ad spiritum ducendum, ac remittendum, vocemque emittendam, seu modificandam, sicut folles fabrorum, vel organorum, flantis, respirantis, loquentis, clamantis, cantantis, serviunt voluntati* (b). Unde, quemadmodum ille idem observat S. Doctor, *tantum habet virium anima in corpus suum, & tantum valet ad indumenti qualitatem vertendam, atque mutandam, quomodo homo afficitur indutus, qui cohæret indumento suo* (c).

COROLLARIUM.

146. Quemadmodum ergo, *positis quibusdam motibus in corpore, certæ excitantur affectiones in mente* (§. 139.), ita vicissim, *datis certis appetitionibus in anima, determinati quidam motus in corpore consequuntur.*

ANIMADVERSIO I.

147. Tanta celeritate, si nihil vitii adsit in corpore, motus quos anima imperat, corpus ipsum exequitur; tamque cito ad animæ nutum motus eosdem cohibet, ut inter volitionem motus, & motum ipsum, sicuti etiam inter volitionem quietis, & ipsam quietem nihil prorsus temporis discernere valeamus. *Imperat animus, ut moveatur manus*, inquit S. Augustinus, *& tanta est facilitas, ut vix a servitio discernatur imperium* (d).

ANIMADVERSIO II.

148. Modum ignorat mens, quo imperatos ab se motus corpus exequitur. Non enim distincte scimus, quæ movendæ sint partes, seu quinam nervi, atque musculi, & qua lege, ut hinc moveatur lin-

(a) Lib. XIV. *de Civitate Dei* cap. 23., num. 2.
(b) Ibidem cap. 24. num. 1
(c) Lib. XI. *de Trinitate* num. 7., alias cap. 4.
(d) Lib. VIII. *Confessionum* num. 21., alias cap. 9.

lingua, & formetur vox; quæque partes, & quomodo, ut ita agantur pedes, quemadmodum imperata ambulatio requirit. Profecto non adhuc convenit inter Philosophos, quæ motus musculorum, quibus spontanei quique motus immediate peraguntur, vera sit causa.

Corollarium I. Universale.

149. Anima igitur, atque corpus ex vi ineffabilis illius unionis, qua inter se mutuo copulata sunt, *se habent, perinde prorsus ac si corpus reipsa ageret in mente, & vicissim mens in corpore*; ac propterea *non secus ac si mens a corpore, & corpus a mente in operando reipsa dependeret*. Videtur quippe, corpus notiones rerum earum in mente producere, a quibus ipsius organa immutantur; & vicissim mens eos in corpore motus immediate efficere, qui ad illius nutum ab ipso corpore peraguntur.

Scholion.

150. Dixi, *videri corpus reipsa dependere a mente, & mentem a corpore, non autem rem ita esse*. Negant enim Cartesius, Malebranchius, atque Volfius, ut patebit, mentem a corpore, & corpus a mente dependere reipsa, contendentes, rem vere ita non esse, licet, propter certam, stabilem, ac fixam operationum concomitantiam, ita esse videatur.

Corollarium II. Universale.

151. In omni ergo systemate de *commercio humanæ mentis cum corpore* id unum statuendum est, certoque tenendum, *rerum sensibilium notiones eo modo oriri in anima, & motus spontaneos eo modo in corpore fieri, ac si reipsa corpus in mentem, & mens in corpus influeret*; atque hinc perinde omnino, *ac si ratio, cur mens percipiat res sensibiles, sit in corpore*; & vicissim *ratio, cur spontaneos motus corpus peragat, in mente habeatur*. Quamobrem

Corollarium III. Universale.

152. Ut explicetur *commercium*, quod habetur inter mentem humanam, & corpus, ostendendum est, *cur ex mutationibus, quæ fiunt in corpore a rebus sensibilibus, rerum earundem notiones excitentur in ani-*

animæ, perinde ac si corpus vi sua eas in anima produceret; & cur ad nutum animæ fiant voluntarii motus in corpore, veluti ac si motus ipsi immediate ab anima efficerentur. Cum enim in hac tam mirabili connexione idearum cum mutationibus, quæ fiunt in sensuum organis, & spontaneorum motuum cum eorundem volitione, totum ipsum commercium positum sit, ratio hujusce connexionis reddi debet, ut commercium ipsum philosophice explicetur & ostendatur.

SECTIO SECUNDA.

An motuum commercium inter humanam mentem, & corpus in systemate causarum occasionalium sufficienter explicetur.

153. OPinantur non pauci cum Cartesio, & Malebranchio, neque corpus in mentem, cum ex mutationibus in illo factis res mens ipsa percipit; neque mentem in corpus, cum ad illius nutum corpus ipsum movetur, physice influere; sed Deum esse, qui occasione mutationis peractæ in sensorio a re sensibili, illius ideam in mente producat; & occasione volitionis motus, quam habet mens, motum ipsum in corpore efficiat. *Non modo corpora*, inquit Malebranchius, *non possunt esse vera causa ullius rei, mentes etiam nobilissima in eadem versantur impotentia. Nihil possunt cognoscere, nisi Deus ipsas illuminet. Nihil possunt sentire, nisi Deus ipsas modificet. Nihil possunt velle, nisi Deus ipsas versus se moveat. Possunt equidem determinare impressionem, qua Deus ipsas versus se inflectit; sed non satis scio, an id dici possit potentia. Si posse peccare est potentia, certe est potentia, quam Omnipotens non habet, inquit alicubi Augustinus. Si homines a se haberent potentiam amandi bonum, aliquam potentiam habere dici possent. Sed homines non possunt amare, nisi quia Deus vult, ipsos amare; & quoniam Dei voluntas est efficax, homines non possunt amare, nisi quia Deus illos indesinenter impellit versus bonum in genere, hoc est, versus se. Deus enim illos dumtaxat creavit propter se, illos nunquam conservat, quin eos versus se impellat. Ipsi igitur sese non movent versus bonum in genere. A Deo moventur dumtaxat. Hanc impressionem liberrime sequuntur juxta legem divinam, vel illam versus falsa bona determinant juxta legem carnis; sed illam determinare non possunt, nisi intuitu boni. Cum enim nihil possint præter id, quod Deus vult, nihil possunt amare præter bonum. Sed licet supponeremus (quod equidem ve-*

rum est aliquo sensu) mentes per se habere potentiam cognoscendæ veritatis, & amandi boni, si ipsorum cogitationes, & voluntates nihil extrinsecus producerent, merito dicere possemus, illas nihil posse. Jam autem constare mihi videtur, voluntatem spirituum vel minimum corpus movere non posse. Nam, nullam esse connexionem necessariam inter voluntatem nostram, exempli gratia, movendi brachium, & motum brachii, evidens est. Movetur equidem, quando volumus, illud moveri; ac proinde sumus causa naturalis motus brachii nostri. Sed causæ naturales non sunt veræ causæ. Nihil sunt, quam causæ occasionales, quæ non agunt, nisi vi & efficacia voluntatis divinæ, ut jam dictum est. Quomodo enim brachium nostrum movere possemus? Ut moveatur, opus est spiritibus animalibus. Illi spiritus mittendi sunt versus quosdam nervos, & versus quosdam musculos, ut inflentur & contrahantur. Sic enim brachium his alligatum movetur. Vel juxta nonnullos, nondum satis compertum est, quomodo id fiat; & experientia nos docet, homines, qui nequidem sciunt, an habeant spiritus, nervos, musculos, movere tamen brachia, imo facilius & solertius iis, qui optime callent anatomiam. Hinc igitur concludendum est, homines quidem velle movere brachium, sed Deum solum posse, & nosse illud movere (a). Hactenus Malebranchius. Itaque juxta hoc systema sicuti solus Deus est efficiens causa tum idearum, quæ excitantur in anima, tum motuum, qui a corpore peraguntur, ita ex illius dumtaxat voluntate repetenda causa est, cur rerum ideæ mutationibus corporis, & motus corporis volitionibus mentis harmonice respondeant: dicendum nempe, Deum esse efficientem caussam istiusmodi commercii, quatenus ipse solus modificat corpus in gratiam animæ, & animam in gratiam corporis, seu quatenus hanc sibi legem constituit, ut, certis positis mutationibus in corpore, certas excitaret rerum ideas in mente; & vicissim, positis quibusdam appetitionibus in anima, certi illico motus ab eo in corpore producerentur.

S C H O L I O N.

154. Qui in explicando commercio mentis cum corpore, hoc systema amplectuntur, *occasionalistæ* dici solent. *Occasionalista* enim est, qui non aliam caussam, nisi *occasionalem*, in rebus creatis admittit.

PRO-

(a) Lib. VI. *de inquirenda veritate* P. II. cap. 3.

PROPOSITIO I.

Phænomenon mutui commercii, quod mentem inter atque corpus est, per occasionalium causarum systema non explicatur.

155. *Probatur*. Palam non fit, cur magnes trahat ferrum, & magnetica acus polum constanti lege respiciat, si dicatur, id ex eo contingere, quod Deus ad præsentiam magnetis motum in ferro producat, efficiatque, ut magnetica acus ad polum, si libera fuerit, perpetuo dirigatur. Cum enim nemo sit, quem lateat, Deum esse, *a quo*, ut ait S. Augustinus, *est omnis modus, omnis species, omnis ordo: a quo est mensura, numerus, & pondus: a quo est, quidquid naturaliter est* (a), nemo hac explicatione doctior efficitur. Ergo neque phœnomenon commercii, quod mentem inter, atque corpus est, in aperto ex eo ponitur, quod dicatur, id propterea esse, quia Deus ideam rei menti imprimit, quamprimum res ipsa sensorium afficit; & motum corpori communicat, statim ac vult mens, ut motus ille in corpore peragatur. Nullum quippe, si animo ingenuo verum fateri velimus, discrimen apparet.

Confirmatur. Etenim Recentiores omnes, & quidem ii potissimum, qui, ubi de mutuo commercio inter mentem, & corpus res illis est, *occasionalium causarum* systemati patrocinantur, ideo dicunt, naturæ phœnomena per *facultatis*, *potentiæ*, *naturæ*, *attractionis*, *sympathiæ*, *antipathiæ*, aliaque id genus abstracta vocabula, perspecta minime fieri, quia, si per illa explicentur, nemo ea in re doctior efficitur. Aristotelem certe carpit Malebranchius, quod omnia proponat & solvat *egregiis terminis generis*, *speciei*, *actus*, *potentiæ*, *naturæ*, *formæ*, *facultatum*, *qualitatum*, *causæ per se*, *causæ per accidens*. *Ipsius sectatores vix possunt credere*, inquit Vir Cl., *istis terminis nihil significari, nec quemquam doctiorem fieri, ubi eos audivit dicentes, ignem dissolvere metalla, quia habet facultatem dissolvendi, & hominem non concoquere cibum, quia habet stomachum debilem, vel quia* facultas concoctrix *non bene suas obit functiones*.......... *Ignis calefacit, siccat, obdurat, emollit, quia præditus est* facultate *producendi hæc effecta*. *Senna purgat* qualitate purgativa, *atque etiam panis nutrit* facultate nutritiva. *Istæ propositiones extra erroris periculum sunt positæ. Qualitas est id, quod efficit, ut res tali nomine designetur. Id certe Aristoteli negari nequit. Ejusmodi loquendi formulæ equidem non sunt falsæ, sed revera nihil significant. Istæ ideæ vagæ & indeterminatæ in errorem non*

(a) Lib. V. *de Civitate Dei* cap. 11.

iniiciunt, sed veritati retegendæ inutiles sunt (a). Verum si res ita sit, ut est verissime, non video, cur Malebranchio idipsum obiici a Scholasticis nequaquam possit, cum harmoniæ, quæ inter operationes mentis, & corporis est, causa quæritur. Norunt quippe omnes, quidquid in Mundo fit, Dei voluntate fieri, non minus ac omnes sciant, ferrum trahi a magnete *facultate attractrice*. Nemo ergo fit doctior, cum sibi quærenti, quæ sit mirabilis illius harmoniæ causa, hæc una datur responsio, *quia eam Deus inter mentem & corpus legem constituit, ut modificationes utriusque hujusce substantiæ sibi mutuo responderent*, quemadmodum nemo doctior efficitur, cum ei, si quærat, cur magnes trahat ferrum, respondetur, *id ex attractrice facultate, quæ in magnete est, provenire*. Igitur eodem ipso jure, quo, Viri Cl. sententia, hæc responsio inutilis est, illa quoque difficultatem non solvit.

PROPOSITIO II.

Explicatio mutui commercii inter mentem & corpus per systema causarum occasionalium est Philosopho prorsus indigna.

156. *Probatur*. Indignum est Philosopho, non aliam eorum, quę in Mundo contingunt naturæ phœnomena, rationem afferre, nisi quia Deus vult, ut ita res fiant, nimirum ut ferrum in magnetem tendat, gravia, si suo genio relinquantur, deorsum ruant, eorumque descensus juxta progressionem numerorum pariter imparium continuo acceleretur &c. Anaxagoram certe, nec immerito, omnium judicio, irrisit olim Aristoteles, propterea nimirum quia tamquam *machina*, uteretur *mente*, scilicet *Deo*, ad Mundi generationem (b); utque habet Tullius, *magna stultitia est, earum rerum Deos facere effectores, causas rerum non quærere* (c). *Quidquid enim oritur, qualecunque est, causam habeat a natura necesse est* (d); unde Stoicos redarguit Vir summus, quod dicerent, *nihil fieri sine Deo, nec ullam vim esse naturæ, ut sui dissimilia posset effingere* (e). Certum est autem, mutuum commercium mentis cum corpore non minus esse naturæ phœnomenon, ac hujuscemodi sit attractio ferri a magnete, gravium descensus, ejusque per numeros pariter impares acceleratio &c. Ergo, si res est indigna Philosopho, posteriora hęc naturæ phœnomena Dei voluntati, tamquam proximæ eorum causæ, accepta referre, Philo-

(a) Lib. VI. *de inquirenda veritate* P. II. cap. 2.
(b) Lib. I. *Metaph.* cap. 6.
(c) Lib. II. *de Divinatione* cap. 26.
(d) Ibidem cap. 28.
(e) Lib. III. *de natura Deorum* cap. 9.

losophum quoque dedecet quammaxime, mutuum inter corpus mentemque commercium per systema *occasionalium causarum* explicare.

Confirmatur. Philosophi non agit munus, qui in explicandis naturæ phœnomenis contentus est abstractis Scholæ vocabulis, *attractrice* nimirum *virtute*, ut rationem reddat, cur magnes ad se ferrum alliciat; *facultate soporifica*, ut explicet, cur papaver soporem inducat &c. Tantundem quippe & rusticus quisque respondere potest. *Nemo non novit*, inquit Vir doctissimus, *arterias pulsare, ferrum ad vicinum magnetem tendere, sennam purgare, papavera soporem inducere. Qui docti haberi non cupiunt, quibus ignorantia propudio non est, libere fatentur, tales effectus in rerum natura esse, sed una causa, a quibus fiunt, se ignaros; cum e contra docti, quos suppuderet idem fateri, aliter se extricant; pronunciant namque veras se causas adinvenisse, in arteriis nempe esse* virtutem pulsificam, *in magnete* magneticam, *in senna* purgativam, *in papavere* soporificam. *Idoneum mehercle responsum! & quo quivis e Sinensibus eadem facilitate potuisset sibi eam admirationem eximere, quam allata illuc recens ex Europa horologia incutiebant. Dicere namque poterat, sibi perspectissima esse ea omnia, quæ ceteri tantopere demirabantur, illasque esse tantum machinas virtute* indicatrice *præditas, quæ horas demonstraret, & virtute* sonorifica, *quæ easdem dinumeraret. Nec sane ille minus hoc pacto in horologiorum scientia profecisset, quam nostrates Philosophi in scientia* pulsuum *arterialium, proprietatumque magnetis, sennæ, & papaverum* (a). Ipse quoque Vir Cl. Malebranchius, *omnibus*, ait, *ludibrium deberent* Philosophi, *si motum* attractionis, *& facultates* attractrices *supponerent ad explicandum, quo pacto currus sequatur equos sibi junctos, & facultatem* detersivam *in scopis ad detergendas vestes, & sic de ceteris*. Unde coucludit horum Philosophorum *principia usum dumtaxat habere in quæstionibus obscuris, quia capi nequeunt* (b). Modo quam recte hæc omnia quadrent etiam iis, qui, cum causa quæritur commercii mentis cum corpore, per *occasionalium causarum* systema satis se fecisse putant, negabit nemo, qui rem æquo animo ad trutinam revocare voluerit. Sane nihil dicunt falsi, qui per *vim attractricem* positam in magnete rationem reddunt, cur ferrum in magnetem tendat; vere enim hæc datur virtus. Sed neque nos fallunt, qui commercium mentis cum corpore ex Dei voluntate derivant; cum res sit certissima, sine divina voluntate illud haberi non posse. Per *vim attractricem* non plus scimus de ferri tendentia in magnetem, quàm ipsi nobis sensus ostendant. At ne-

(a) Auctor *Artis cogitandi* P. III. cap. 19.
(b) Lib. VI. *de inquirenda veritate* P. II. cap. 4.

neque per legem a Deo positam, vi cujus Deus ipse modificet animam in gratiam corporis, & corpus in gratiam animæ, plus de hac harmonia cognoscimus, quam in semetipso unusquisque continuo experiatur. *Vis attractrix* nomen est adeo vagum, ut illi nulla prorsus subsit notio distincta. Verum & Dei voluntas causa universalissima est, cui omnes naturæ effectus ex æquo subiiciuntur. Igitur, si, omnium judicio, & recte quidem, Philosophi non meretur nomen, qui tendentiam ferri in magnetem per indeterminatum *attractricis facultatis* vocabulum exponere contentus est; nec is profecto, qui in explicando commercio mentis cum corpore, Deum, tamquam ex machina, vocat & attrahit, dignus haberi potest, qui inter Philosophos censeatur.

PROPOSITIO III.

Commercium humanæ mentis cum corpore nequit per occasionalium causarum systema explicari, nisi mens ipsa illius ponatur natura, ut nihil prorsus agere ea possit, sed tantum pati.

157. *Probatur*. Etenim, si qua virtus inest humanæ menti, qua *active* possit vel seipsam, vel aliud a se distinctum modificare, nulla plane ratio relinquitur, cur rerum quoque ideas in se cudere ipsa non possit. Idea siquidem rei, cum non sit, nisi mera modificatio mentis cogitantis, tantæ perfectionis illa sane non est, ut nequeat ab ipsa mente produci, si nempe detur, vim inesse menti, qua possit vel seipsam, vel aliud a se distinctum, *active* modificare. Ergo vel mens humana pro substantia penitus inerti habenda est, vel per systema *causarum occasionalium* illius cum corpore commercium explicari recte non potest.

Dices, vim denegari posse menti humanæ, qua rerum in se cudat ideas, quin omnis activa virtus eidem auferatur. Ex eo enim, quod certa uni non insit virtus, minime sequitur, illud omni penitus agendi facultate destitui.

Contra: quia, si non omni virtute activa caret mens, non omnis causa creata pro *occasionali*, secus ac ipsi doceant *occasionalistæ*, haberi debet. *Occasionalis* quippe non est causa, quæ innata sua vi aliquid *immediate* producit. Præterea ideo per summum *occasionalistam* Malebranchium, ut clarius suo loco dicemus, nequit humana mens ideas rerum in se cudere, quia, licet rerum ideæ non sint nisi certæ modificationes mentis, earum tamen productio est vera creatio. Ergo nihil omnino producere potest mens, si rerum ideas in se cudere ip-

sa non possit. Qualiscunque enim ea sit affectio, quæ ab humana mente fieri *active* dicatur, stabit semper, posita Malebranchii doctrina, creandi fa'ultate humanam mentem pollere.

Confirmatur assertio. Mentes etiam nobilissimæ, si Malebranchium audiamus, in eadem versantur impotentia, in qua sunt corpora (a). Eodem autem teste, impotentia corporum tanta est, ut ne vestigium quidem activæ virtutis in illis habeatur. Ita enim scribit Vir summus: *vis movens corporum non est in corporibus, quæ moventur; cum vis illa movens nihil aliud sit, quam Dei voluntas. Itaque corpora per se omni actione destituta sunt, & ubi globus motus alium sibi obvium movet, primus ille globus alteri nihil communicat, quod habeat in se; ipse enim non habet impressionem, quam communicat ...... Omnes naturæ vires nihil aliud sunt, quam Dei voluntas. Deus creavit mundum, quia id voluit*: Dixit, & facta sunt. *Omnia movet, & sic omnes, quos videmus, effectus producit, quia etiam certas voluit leges, secundum quas motus communicarentur corporibus sibi invicem occurrentibus; quia vero leges illæ sunt efficaces, agunt; corpora vero ipsa non agunt. Nullæ igitur sunt vires, potentiæ, causæ veræ in mundo materiali & sensibili, nec ullæ in eo admittendæ sunt formæ, facultates, & qualitates reales ad producendos effectus, quos corpora nequeunt producere* (b). Ergo, si eadem ipsa, quæ corporum, creatarum quoque mentium impotentia est, nulla penitus agendi virtus, juxta *occasionalistarum* systema, humanæ menti est tribuenda.

PROPOSITIO IV.

Explicatio commercii mentis cum corpore per occasionalistarum systema innititur principio, quod intimo sensui adversatur.

158. *Probatur*. Nulla est explicatio commercii mentis cum corpore, quam tradunt *occasionalistæ*, nisi pro re certa habeatur, intrinseca agendi virtute mentem nostram plane destitui (§. 157.). Hoc autem intimo sensui plane contrarium est. Non minus quippe per sensum intimum conscii sumus, nos cogitare, existere, tristari, dolere &c., quam, cum judicamus, ratiocinamur, aut aliquid volumus, sumus certi, nos agere, hoc est, activam nobis inesse vim, qua mens nostra seipsam excitat, atque ad judicandum, ratiocinandum, unumque alteri præferendum, se impellit, certoque modo determinat. *Sentit animus, se moveri*, inquit Tullius, *quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non*

(a) Lib. VI. de inquirenda veritate P.II.c.3. (b) Ibidem.

non aliena, moveri (a). Ergo explicatio commércii mentis cum corpore juxta *occaſionalium cauſarum* ſyſtema innititur principio, quod intimo ſenſui adverſatur.

Dices, videri quidem, mentem agere, dum cogitat, ſed rem non ita eſſe. Deceptionem autem hanc ex eo oriri, quod nullam ſentiamus cauſam, a qua mens noſtra agatur.

Contra: quia ſi detur, mentem falli, dum ſentit, ſe vi ſua, non aliena, moveri, non video, cur, dum ſentit, ſe cogitare, velle, atque triſtari, ipſa itidem non fallatur. Eadem enim ratio eſt, ut rem æquo expendenti animo perſpicuum fiet. Igitur aut in iis fallimur, quæ intimo ſenſu nobis nota ſunt; unde turpiter errat Cl. Malebranchius, cum ait, cognitionem, quam mentis noſtræ per conſcientiam ipſi habemus, imperfectam quidem eſſe, ſed non falſam (b); aut dicamus oportet, nos minime decipi, cum, mentem noſtram ſe vi ſua, non aliena moveri, eodem modo ipſi ſentimus.

Falſum porro eſt, videri nobis, mentem, dum cogitat, non agi, ſed agere; quia cauſa nobis non apparet, a qua tunc illa agatur; conſcii ſiquidem ſumus, mentem noſtram irrequietæ eſſe naturæ, ſibique moderari, dum cogitat, quin de externa impellente cauſa ne quidem leviſſime cogitemus. Verum plura hac de re, cum de humanæ voluntatis libertate differemus.

PROPOSITIO V.

Commercium mentis cum corpore per occaſionalium cauſarum ſyſtema explicari non poteſt, niſi humana libertas penitus evertatur.

159. *Probatur*. Nulla in homine libertas eſt, ſi illius mens omni agendi virtute ſit penitus deſtituta. Si enim mentis inertia non impedir, quominus, cum agitur, libere ſe movere tunc ipſa dicatur, neque inertia corporum prohibere jure ac merito poterit, quominus & ipſa corpora, cum ab externa impelluntur cauſa, libere prorſus ſe movere dicantur. In corporibus autem ne veſtigium quidem libertatis eſt, ut norunt omnes. Ergo nulla quoque libertas erit in mente, ſi plane iners ſubſtantia & ipſa ſtatuatur. Conſtat autem, humanam mentem, *occaſionaliſtarum* admiſſo ſyſtemate, omni agendi virtute prorſus deſtitui (§. 157.). Ergo humana libertas nulla itidem eſt, ſi mentis cum corpore commercium per *occaſionalium cauſarum* ſyſtema explicetur. Con-

(a) Lib. I. *qq. Tuſcul.* cap. 23.

(b) Lib. III. *de inquirenda veritate* P. II. c. 7. n. 4.

Confirmatur. Eodem modo, si *occasionalistarum* doctrinæ stare velimus, volitiones, & nolitiones sunt in anima, quo rerum notiones in eadem ipsa contingunt. Sicuti enim, illos si audiamus, rerum ideæ, occasione motuum, qui in organis sensoriis fiunt, menti a solo Deo imprimuntur; ita volitiones, & nolitiones eidem menti a solo ipso Deo communicantur, occasione vel perceptionum, quæ eidem impressæ a Deo jam sunt, vel quorundam motuum, qui in corpore ab eodem itidem peraguntur. Cl. Malebranchius, qui summus inter *occasionalistas* est, nullum certe discrimen ponit inter modum, quo rerum perceptiones, & eum, quo earundem appetitiones in mente fiunt. Inquit enim: *verum enimvero non modo corpora non possunt esse vera causa illius rei; mentes etiam nobilissima in eadem versantur impotentia. Nihil possunt cognoscere, nisi Deus ipsas illuminet. Nihil possunt sentire, nisi Deus ipsas modificet. Nihil possunt velle, nisi Deus ipsas versus se moveat* (a). Mens autem non agit, sed agitur, cum rerum ideas obtinet. Ergo neque agit, sed agitur, dum rem aliquam aversatur, vel amore prosequitur; ac proinde sicuti libera in rebus percipiendis non est, ita nec est libera in iisdem appetendis.

Præterea vel volitio alicujus boni, quam habet mens, *active* ab ipsa producitur, vel non. Si non: ergo dum vult, non agit, sed patitur, & ideo non est libera. Si vero *active* ab illa producitur: ergo eodem jure poterit & quævis rei notio ab eadem in seipsa produci. Utraque enim, scilicet tam rei perceptio, quam ejusdem volitio, non est nisi pura mentis modificatio.

Dices, hominem a Deo quidem indesinenter impelli versus bonum in genere; esse vero ab hominis voluntate, ut hanc impulsionem determinet, nimirum ut unum potius, quam aliud particulare bonum amore prosequatur.

Sed contra, & quidem *primo:* quia voluntas non se determinat ad particulare bonum, nisi quatenus illud vult. Determinatio enim voluntatis ad unum est ipsa volitio. Igitur aut volitio est *active* a voluntate, aut non tantum impulsio versus bonum in genere, sed etiam voluntatis ad unum determinatio ex Deo est derivanda.

Secundo: quia, ipso auctore Malebranchio, ut diximus, *mentes etiam nobilissima in eadem versantur impotentia*, in qua sunt corpora (b): Corporum autem tanta, ut patet, inertia est, ut neque se movere, neque receptam ad motum impulsionem determinare ipsa possint. Ergo neque mens, si æque ac quodvis corpus, sit iners substantia, im-

(a) Lib. VI. *de inquirenda veritate* P. II. cap. 3.

(b) Ibidem.

impulsionem, quam versus bonum in genere a Deo recipit, poterit determinare.

Tertio: quia aut illa determinatio versus bonum particulare, quæ dicitur esse a voluntate, est aliquod reale, nempe realis modificatio divinæ impulsionis in anima receptæ, aut est purum nihil. Si purum nihil: ergo nihil quoque est humana libertas, utpote quæ nihil præstat. Si vero sit aliquod reale: ergo, cum illa a voluntate proficiscatur, mens virtute agendi prædita est; ac propterea potest tum rerum ideas, tum suas omnes appetitiones *active* producere.

Postremo: quia aut mentem determinare impressionem, qua Deus mentem ipsam versus se inflectit, est agere, vel non. Si non est agere: ergo non solum versus bonum in genere, sed etiam versus bonum particulare a Deo determinatur mens, atque impellitur; & ideo nullo modo est libera. Si autem est agere: ergo mens humana non est iners adeo substantia, ut nonnisi *occasionalis causæ* habere rationem possit.

Porro se ignorare fatetur Cl. Malebranchius, *an posse determinare divinam impressionem* valeat *potentiæ* nomine designari. *Possunt equidem*, inquit, *creatæ mentes determinare impressionem, qua Deus ipsas versus se inflectit; sed non satis scio, an id dici possit potentia* (a). Mirum tamen nemini videatur, si tantus Vir id ab se ignorari dicat. Neque enim ulla activa potentia in humana mente videtur ab eo posse admitti, cui solemne fuit, cogitandi facultatem, quæ homini collata a Deo fuisse dicitur, appellare *terminum logicum, vocem vagam & indeterminatam; nullum esse ens, nec modum entis, qui sit facultas;* ac demum eos omnes *circulum agere, nec assequi, quid dicant*, qui activam facultatem in creata substantia admittunt (b). Videant ergo, qui *occasionalium causarum* systema ad humanam etiam mentem extendunt, quomodo, hac admissa hypothesi, in tuto esse possit humana libertas.

Unum tamen est, quod dissimulare minime possum. *Inter mentes nostras, & corpora, quæ nos ambiunt*, inquit laudatus celeberrimus Auctor, *multum est discriminis. Mens nostra vult, agit, sese aliquo sensu determinat, fateor. Hujus veritatis sensu interno, quem de nobismetipsis habemus, seu conscientia, convincimur. Si nulla nobis esset libertas, nec præmia, nec pœnæ futuræ essent; nam sine libertate nec bona, nec malæ sunt actiones. Itaque religio esset mera chimæra. At corpora vi agendi prædita esse, illud demum est, quod nec clare videmus,*

(a) Lib. VI. de inquirenda veritate P. II. cap. 3.

(b) Illustrat cap. 3. lib. VI. P. II. de inquirenda veritate.

mus, nec concipi posse existimamus, & illud quoque est, quod negamus dum causarum secundarum efficaciam negamus (a). Humana igitur mens, etiam Malebranchii judicio, vult, agit, ac sese aliquo sensu determinat. Ergo inest menti potentia volendi, agendi, sese determinandi. Potentia autem cogitandi, si, ut paulo antea diximus, Virum ipsum doctissimum audiamus, *terminus logicus* est, *vox vaga*, & *indeterminata*; iique agunt circulum, nec assequuntur, quid dicant, qui creatam substantiam *activa facultate* præditam esse contendunt. Ergo etiam potentia volendi, agendi, & sese determinandi *terminus* est *logicus*, *vox vaga*, & *indeterminata*; cumque hanc potentiam ille itidem in humana mente fateatur, admittit & ipse, quod in aliis irridet, *logicum* scilicet *terminum*, *vocem vagam*, & *indeterminatam*, agitque circulum, neque assequitur, quid ab se dicatur. Præterea si inter mentes nostras, atque corpora, quæ nos ambiunt, multum, ut ipse ait, discriminis est: ergo non sibi consentit, cum docet, *mentes etiam nobilissimas in eadem versari impotentia*, in qua corpora quæque existunt. Etenim, si eadem mentis, atque corporis impotentia est, nullum prorsus hasce inter substantias discrimen relinquitur.

In tuto demum non est humana libertas, si *occasionalistarum* aliquis contendat, ideo voluntatem nostram libere velle, & nolle, quia ea lege volitiones ipsæ, & nolitiones a Deo in anima producuntur, qua ab eadem producerentur, si agendi, ac sese determinandi facultate mens ipsa polleret. Humana, inquam, libertas in tuto non est, quemadmodum nihil libertatis corporibus jure conceditur. Liberi quippe essent etiam omnes motus corporis, si ad actionis libertatem id unum sufficeret, ut eo modo actio ipsa a Deo in subjecto producatur, quo ab illo produceretur, si libere operari valeret. Neque enim huic difficultati fit satis, si quis dicat, repugnare corporibus, ut libere moveantur. Non fit satis, inquam; quia non secus de humana voluntate opinari possemus. Aut enim repugnat, ut mens humana determinare seipsam valeat, aut non repugnat. Si non repugnat: quæro, cur humanæ menti hanc vim Deus reipsa non contulerit; & undenam id factum modo non esse colligatur? Si autem repugnat: ergo mentis atque corporum par conditio est; ac proinde vel etiam motus possunt a corporibus libere prorsus produci, vel neque appetitiones libere modo ab humana mente eliciuntur. Remanet igitur, aut mentem humanam præditam intrinsecus esse

(a) Illustrat. cap. 3. lib. VI. p. II. *de inquirenda veritate* ad 6. argument.

esse vi, sive potentia sese determinandi, & ideo nullum esse *occasionalium causarum* systema, aut mentem ipsam intrinseca agendi vi plane destitui; ac propterea humanam libertatem ab *occasionalistis* convelli penitus, & plane everti.

At erit fortasse, qui dicat, humanam mentem habere quidem vim determinandi motionem erga bonum in genere sibi a Deo impressam, & ideo non esse substantiam omnino inertem, sed activam; verum ea potentia carere, qua corpus, cui juncta est, determinare ad motum possit; ac proinde quoad motus corporis esse *causam* tantum *occasionalem*; quoad suas vero appetitiones veram *efficientis causæ* rationem habere.

Sed contra: quia, si virtus activa inest menti, qua possit appetitiones suas in se producere, seque ipsam *active* modificare, non est, cur illa quoque ei non insit virtus, qua & rerum ideas cudere queat, & corpus, cui jungitur, ad motus, qui *voluntarii* dicuntur, determinare. Par enim ratio est, ut satis patet ex dictis. Non inficior, ut etiam dicemus suo loco, latere modum, quo mens corpus moveat. Verum, si detur, mentem ipsam præditam esse activa virtute, sive potentia operandi, illegitime prorsus ex eo, quod in abdito sit modus, quo corpus ad motum determinet, infertur, vi movendi corpus eam omnino carere. Plura enim sunt, quæ fiunt, licet modum, quo fiant, ignoremus.

SECTIO TERTIA.

Expenditur systema harmoniæ præstabilitæ.

160. Rejecto *occasionalium causarum* systemate, quod eo uti in explicando mutuo mentem inter atque corpus commercio, neque deceat Philosophum, neque (absit verbo invidia) viro catholico liceat, celeberrima *præstabilitæ harmoniæ* hypothesis consideranda occurrit. Hanc primus omnium excogitavit Leibnitius, vir in Mathesi, & Philosophia nulli certe secundus. *Sentiens Vir summus, & acutissimus*, inquit Cl. Petrus de Crosa, *nullas hucusque ad explicationem conjunctionis mentis cum corpore excogitatas fuisse hypotheses, quæ non premerentur suis difficultatibus, suaque obscuritate; tantæ quæstionis elucidationem sagacitate sua dignissimam reputans, sese accinxit ad eam pertractandam, & assueto rerum naturæ phænomenis per mechanicas causas explicandis, venit in mentem, hominum animas totidem* automata *esse, suis singulas corporibus consonas. Placuit inventum*

no-

novitate & singularitate summa sua, nec minus imposuit specie quadam sublimitatis. Virum paradoxas conclusiones circa infinitum demonstrare assuetum non deterruerunt portentosa consequentia, quas forte ab initio ne quidem ille vidit, a consequentiis, ingenio suo dilectissimum fœtum impugnantibus & evertentibus, attentionem animi detorquens suam. Gallico idiomate scripsit THEODICEAM, *multa continens, quæ si certo quodam sensu explicentur, providentiam Divinam liberant ab objectionibus desumptis ex malo, quod cum bono permixtum orbis noster complectitur, Virique docti fama tanti Viri permoti, ejus verba in sensum commodum interpretati sunt, quodque difficultatis supererat ejus hypothesibus, id omne & materiæ sublimitati, & linguæ etiam Auctori non vernaculæ imputarunt; ceterum ejus conatus, scopumque ipsi propositum, quem rectum & sanum putabant, laudibus prosequente. His Viro celeberrimo animus crevit, inductusque est, ut hypothesim a probabilitate ad eam certitudinem evehere eniteretur, quam conclusionibus suis demonstrationes mathematicæ conciliant: quæ suscipientem ars ipsa sua fefellit, & ad absurda non satis circumspectum, nec satis sibi diffidentem adduxit* (a). Tam ergo celebrem hypothesim accuratius, quo fieri a me potest, expendam modo; utque in ipsa discussione ab omni me invidia liberem, iisdem ipsis verbis eam exponam, quibus ab uno illius propugnatore acerrimo Cl. Volfio exhibetur.

DEFINITIO.

161. Systema *harmoniæ præstabilitæ* dicitur illud, *quo commercium animæ, & corporis explicatur per seriem perceptionum atque appetitionum in anima, & seriem motuum in corpore, quæ per naturam animæ, ac corporis harmonicæ sunt, seu consentiunt.* Ita *præstabilitam harmoniam* definit Cl. Volfius in sua *Psychologia rationali* nuper Veronæ edita §. 612. Tria ergo sunt, quorum distincta acquirenda est notio, ut hoc systema probe attingatur. Primum est: *quomodo habeatur series perceptionum, & appetitionum in anima.* Secundum: *quomodo contingat series motuum in corpore.* Postremum: *qua ratione fiat, ut series perceptionum, & appetitionum, quæ in mente est, seriei motuum respondeat, qui simul in corpore peraguntur; sive undenam proveniat, ut istæ duæ series conveniant inter se, sibique mutuo inviolabili lege respondeant.* Ex hoc enim postremo habet hæc harmonia, ut *præstabilita* dicatur.

(a) Differt. Philosophico-Theol. de *mente humana*. Sect. III. §. 46.

I.

162. Ad primum ergo quod attinet, humana mens dicitur substantia illius naturæ, ut naturali sua vi, independenter ab omni principio externo, hoc est, independenter ab omni motione, quæ fiat in corpore ex rerum sensibilium appulsu, producat in se omnes perceptiones, & appetitiones, quas reipsa in se producit, adeo nempe ut *perceptiones, & appetitiones in anima eodem, quo nunc, modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret;* consequenter *anima eodem etiam, quo nunc, modo sibi repræsentaret hoc universum, etiamsi mundus adspectabilis non existeret* (a). Perceptiones porro, & appetitiones producuntur in anima *continua serie* (b), nimirum tali lege, ut una alteri succedat, quin ne minimum quidem detur temporis instans, in quo nulla perceptio, nullaque appetitio in anima habeatur. Dicitur propterea, etiam in somno rerum ideas a mente nostra produci, licet confusas atque obscuras (c); cumque ex perceptione appetitio nascatur, sive ut ipse ait Volfius, *quamprimum rem quamdam nobis repræsentamus tamquam bonam, eam appetamus* (d), & *quamprimum rem quamdam nobis repræsentamus tamquam malam, eam aversemur* (e), si nunquam mens perceptionibus destituitur, eadem ipsa appetitionibus quoque nunquam caret, ac proinde sicuti perceptionum, ita appetitionum datur in anima, independenter ab omni extranea actione, sive determinante principio, nunquam interrupta series. Hinc Leibnitius humanam mentem dixit substantiam, *cujus perceptiones, & volitiones, numero innumera, per seriem non interruptam, & interrumpi impossibilem, altera alteram sequitur* (f); cumque hæc non interrupta perceptionum & volitionum veluti evolutio contingat, ut diximus, in anima independenter ab omni externo dirigente principio, sed ipsamet anima sit sola totius hujusce evolutionis *causa sufficiens* (g), idcirco mentem ipsam SPIRITUALE AUTOMATON vocavit idem Cl. Auctor, nempe quamdam veluti machinam, quæ vi sua omni secluso extrinseco movente, vel dirigente principio, suos motus peragit.

II.

163. Quemadmodum mens producit vi sibi propria, independenter a quovis externo principio, adeoque etiam a corpore, cui copulata

(a) Volfius *Psycol rationalis* §. 614.
(b) Idem ibidem §. 613.
(c) Idem ibidem §. 191.
(d) *Psychol. empirica* §. 589.
(e) Ibidem §. 590.
(f) Apud Petrum de Crosa *Differt. Philosopbico Theol.* de mente hum. *Sect.* III. *n.* 43.
(g) Volfius *Psychol. ration.* in not. ad §. 613.

lata est, suas perceptiones, & appetitiones continua serie; ita corpus organicum, cui mens ipsa conjungitur, ponitur machina eo artificio a Sapientissimo rerum omnium Opifice elaborata, ut, independenter ab anima, eos omnes peragat motus, quo in illo fieri deprehendimus: omnes, inquam, hoc est, etiam eos, qui *voluntarii* dicuntur. *In systemate harmoniæ præstabilitæ*, inquit Volfius, *vi mechanismi corporis ex ideis materialibus sensibilium* (nempe ex motibus, qui ex sensibilium rerum appulsu fiunt in cerebro) *nascuntur motus volitionibus, & appetitionibus animæ respondentes, citra ullam determinationem extrinsecam immediatam* (a) *ab anima pendentem* (b). Hinc, sicuti *perceptiones, & appetitiones eodem, quo nunc, modo in anima consequerentur, etiamsi corpus non existeret* (c), quia nimirum, ut ille idem ait, *vi sibi propria*, eas mens producit (d): ita, *quoniam motus volitionibus animæ respondentes in systemate harmoniæ præstabilitæ, vi mechanismi corporis, ex motibus ab impressionibus in organa sensoria factis, citra ullam determinationem extrinsecam ab anima pendentem consequuntur, eodem, quo nunc, modo adhuc consequerentur, etiamsi anima non existeret* (e). Propterea *in systemate harmoniæ præstabilitæ supponitur, possibile esse corpus, in quo series quædam motuum per impressiones objectorum externorum in organa sensoria conservari possit* (f). Profecto, cum machinæ construi ab hominibus possint, quæ ita agant vi solius mechanismi, ut plures hominis actiones æmulentur, nemo certe inficiabitur, machinam potuisse a Deo fieri, quæ, vi solius itidem mechanismi, eos omnes motus, operationesque perficiat, quæ ab homine, totius vitæ cursu, peraguntur. Sicuti ergo mens spectatur in hoc systemate veluti AUTOMATON SPIRITUALE, ita humanum corpus, tamquam AUTOMATON MATERIALE, in eodem assumitur.

III.

164. Hæc igitur duo tam dissimilia *automata*, animam scilicet rationalem, & corpus organicum, ita simul junxit summus rerum Opifex, ut eodem Volfio teste, singuli motus, qui, vi mechanismi, fiunt in corpore, *consentiant singulis perceptionibus, atque appetitionibus, & aversationibus animæ, eodem prorsus ordine sese invicem consequentes* (motus corporis), *quo animæ modificationes sese invicem excipiunt* (g). *Concipe*, inquit celeberrimus Gravesandus, *mentem, & corpus, quæ conveniant inter se ita*,

(a) Psychol. ration. §. 615.
(b) Ibidem §. 616.
(c) Ibidem §. 614.
(d) Ibidem §. 613.
(e) Ibidem §. 616.
(f) Ibidem §. 617.
(g) Ibidem §. 617.

ita, ut hujus motus cum perceptionibus, & determinationibus illius respondeant; & habebis integrum unionis mentis cum corpore arcanum. Conveniantiam hanc vocant harmoniam præstabilitam (a). Verum, ut totum hoc artificium clarius distinctiusque percipiatur, vocare symbola, Algebristarum more, in subsidium liceat. Fingatur anima Petri separata ab illius corpore, eaque dicatur *A*, & corpus *C*. Anima illa a corpore sejuncta producat, tempore *x*, *vi sibi propria*, perceptiones *b*, *c*, *d*. Eodem autem tempore, *vi solius mechanismi*, fiant in cerebro illius corporis tres motiones *m*, *n*, *p*, non quidem simul; sed ita, ut una motio alteram consequatur, sicuti & illæ perceptiones ea lege ponantur in mente fieri, ut earum una alteri succedat. Modo unita fingantur hæc duo *automata* ea ratione, ut ipso eodem temporis momento, quo mens producit perceptionem *b*, contingat in corporis cerebro motus *m*; motus *n*, cum in anima emergit perceptio *c*, & motus *p*, cum perceptio *d* in illa efficitur. Tunc certe habebitur machina *AC* composita ex corpore, & spiritu, nempe ex duabus veluti machinis, dissimilibus quidem, verum ita consentientibus in operando, ut earum actiones sint harmonicæ, quemadmodum hæc formula $\frac{b.\ c.\ d.}{m.\ n.\ p.}$ ostendit. Talis ergo machina est homo in systemate *harmoniæ præstabilitæ*. Etenim, ipso auctore Volfio, *in anima datur series perceptionum, & appetitionum vi propria productarum, citra ullam realem animæ a corpore dependentiam; & in corpore datur series quædam motuum, vi mechanismi ex se invicem nascentium, & ab impressionibus in organa sensoria a sensibilibus factis pendentium, citra ullam dependentiam realem corporis ab anima. Quoniam earum una alteri constanter consentit, nulla in anima datur perceptio, vel appetitio, quin aliquis ipsi in serie motuum respondeat motus; nec vicissim aliquis in serie motuum datur motus, quin eidem in serie perceptionum, & appetitionum aliqua respondeat perceptio, & appetitio, utut nulla supponatur animæ, ac corporis in se invicem actio* (b). En igitur sua nativa facie, suisque expressum coloribus celeberrimum *præstabilitæ harmoniæ* systema. Unde patet, illud duobus inniti principiis, quæ, ut facilius memori mandentur animo, paucis hic exhibemus.

PRIN-

(a) Introduct. *ad Philos.* P. II. lib. I. cap. 17. §. 241.
(b) Psychol. *rat.* §. 618.

PRINCIPIA

Systematis harmoniæ præstabilitæ.

I.

165. Primum est, *humanam mentem ita producere vi sibi propria, independenter omnino a corpore, cui copulata est, seriem non interruptam perceptionum & appetitionum, ut eandem ipsam seriem produceret, etsi corpori non esset copulata, neque adspectabilis Mundus reipsa haberetur.*

II.

166. Alterum est, *corpus humanum esse machinam eo artificio constructam, ut omnes, qui in illo contingunt motus, peragantur vi solius mechanismi, sive structura, sine ulla, ne minima quidem, reali dependentia ab anima, sed sola posita impressione ex appulsu rerum sensibilium in externa ipsius organa; adeo nimirum, ut eadem ipsa motuum series in illo perageretur, etiamsi rationalis anima in eo nequaquam existeret.*

SCHOLION.

167. Quemadmodum *occasionalista* dicitur, qui commercium mentis cum corpore explicat per systema *causarum occasionalium*, ita, qui in eodem commercio explicando *præstabilita harmonia* utitur hypothesi, *harmonista* nuncupatur. Leibnitium porro *quammaxime harmonistam* appellandum censet Cl. Volfius, propterea nimirum quia non solum mentem inter atque corpus *præstabilitam harmoniam* posuit, verum etiam quia *harmoniam quamdam universalem omnium substantiarum simplicium, in quibus est fons phænomenorum rerum materialium, concepit; & inter ipsum regnum gratiæ, atque regnum naturæ harmoniam quamdam admittit* (a).

(a) Psychol. *ration.* in *not.* ad §. 627.

PROPOSITIO I.

Nulla positiva ratione ostendi potest, humanam mentem determinatam adeo esse per suam essentiam ad eam producendam idearum seriem, quam producit, ut a nullo prorsus externo determinante reipsa dependeat; ac proinde ut in hoc negotio veluti spirituale quoddam automaton sumi atque spectari legitime possit.

168. *Probatur*. Si namque posset *positive* ostendi, humanam mentem in rerum ideis producendis independentem adeo esse ab omni extrinseco determinante, ut hac in re sit veluti *spirituale* quoddam *automaton*, id vel *a priori*, vel *a posteriori* ostenderetur. Neutro autem modo id præstari potest. Non enim *a priori*: etenim, ut *a priori* id ostendatur, omnino perspecta nobis esse debet mentis humanæ natura. Patet autem, naturam mentis nostræ nobis non omnino constare, alioquin nemo esset, qui de illius *spiritualitate* jure posset ambigere. Ergo *automatica* mentis *vis* nequit *a priori* ostendi. Adde, tam longe esse a veritate, vim hujusmodi nobis *a priori* in anima esse perspicuam, ut inter Philosophos ne quidem conveniat, an mens ipsa ideas rerum, vi sua, *active* producat, plerisque scilicet contendentibus cum Cartesio & Malebranchio, ut diximus supra, rerum ideas a nobis non fieri, sed occasione motuum, qui in corpore peraguntur, a Deo *immediate* menti communicari. At neque *a posteriori* demonstrari vis illa in anima potest. Tantum quippe abest, ut *a posteriori* ostendi queat, humanam mentem in rerum ideis producendis se habere, tamquam *spirituale* quoddam *automaton*, quin contrarium potius ex hoc capite apertissime colligatur. Evidens est enim, nullius prorsus rei sensibilis ideam excitari in anima, nisi certa motio in organo sensorio ab ipsa re primo fiat, tum cerebro communicetur; tantamque esse connexionem idearum, quæ excitantur in anima, cum determinatis quibusdam motibus organorum sensoriorum corporis, ut, si mens in rerum ideis producendis *physice* ab illis motibus, & ideo a corpore, dependeret, major esse non posset. Ergo neque *a priori*, neque *a posteriori* potest ostendi, mentem nostram ideas rerum ita vi sua producere, ut instar *spiritualis automatis* sumi in hoc negotio, atque spectari legitime queat. Igitur

Co-

Corollarium.

169. Mentem humanam esse *automaton spirituale*, vel assumitur in systemate *harmonia præstabilita*, tamquam mera hypothesis; vel peccant *harmonistæ* contra principium *rationis sufficientis*, si, rem ita revera esse, arbitrentur. Nulla est enim *sufficiens ratio*, cur hujuscemodi naturæ mens ipsa ponatur.

Animadversio.

170. *Quoniam*, inquit Cl. Volfius, *in systemate harmonia præstabilita anima vi propria producit omnes perceptiones, & appetitiones independenter ab omni principio externo, præsentia idearum materialium in cerebro*, (earum scilicet motionum, quæ ex sensibilium rerum actione in illo excitantur) *ad eas producendas nihil prorsus confert; adeoque perceptiones & appetitiones in anima eodem, quo nunc, modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret* (a). Verum scire optarem a Viro Cl., ubinam hanc humanę mentis independentiam ipse evincat. Probavit quidem, mentem humanam præditam esse vi sibi repræsentandi universum, seu percipiendi res sensibiles (b); hancque vim illi esse essentialem (c), & naturalem (d). At nullibi, quod sciam, etsi integram suam *Psychologiam* susque deque percurrerim, ostensum ab eo est, mentem ipsam a corpore ne quidem ut ab extrinseco determinante in hoc exercitio dependere; adeoque tamquam *spirituale automaton* illam haberi jure ac merito posse. Imo tam longe a veritate est, ut mentis a corpore independentiam in rebus percipiendis alicubi demonstraverit Vir Cl., quin potius contrarium apertissime ab illo tradatur. Docet enim, *animam sibi repræsentare hoc universum pro situ corporis organici in universo, convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt* (e); atque hinc *animam habere vim sibi repræsentandi hoc universum limitatam* materialiter *situ corporis organici in universo;* formaliter *constitutione organorum sensoriorum* (f), nempe dependenter a mutationibus, quæ fiunt in corpore ex sensibilium rerum, ut ipsemet ibidem exponit, appulsu. Addit insuper, ab se tunc non demonstrari, *quomodo vis illa* (producendi perceptiones) *a corpore pendeat, ut limitationis suę fundamentum in eo cognoscat.*

(a) Psychol. ration. §. 614.
(b) Ibidem §. 63.
(c) Ibidem §. 66.
(d) Ibidem §. 67.
(e) Ibidem §. 62.
(f) Ibidem §. 63.

Tum demum, inquit, *id facere licebit, ubi in commercii inter mentem atque corpus intercedentis rationem inquiſiverimus* (a). At cum de hoc agens commercio, id non præſtiterit, relinquitur, independentiam mentis ab omni externo principio in rebus percipiendis, non eſſe Cl. Volfio, niſi meram hypotheſim. Nec enim eo adduci poſſum, ut credam, tantum Virum arbitratum fuiſſe, *automaticam* illam mentis vim ex eo recte colligi, quod *vi propria*, ut ille dixerat, ſuas perceptiones appetitioneſque mens ipſa producat (b); mentem vero ideo producere *vi propria* omnes perceptiones appetitioneſque ſuas, propterea quia eas producat *convenienter mutationibus*, quæ in organis ſenſoriis contingunt (c); adeoque a nullo externo principio illam dependere, ſive *ſpirituale* eſſe *automaton*, quia vim habet ſibi *repræſentandi hoc univerſum limitatam* materialiter *ſitu corporis organici in univerſo*, formaliter *conſtitutione organorum ſenſoriorum* (d). Res namque ſi ita eſt, dicendum proculdubio videtur, mentem humanam, Volfii judicio, propterea eſſe *automaton ſpirituale*, quia a corpore, ut a principio determinante, in operando dependet; & ideo per id *automaticam* vim mentis oſtendi, per quod, ſi expenſum probe fuerit, contrarium potius demonſtratur.

PROPOSITIO II.

Poſitiva aliqua ratione oſtendi minime poteſt, corpus humanum eſſe reipſa talem machinam, quæ vi ſolius mechaniſmi ſive omnino independenter ab anima, omnes ſuos motus producat.

171. *Probatur* eodem modo, quo ſuperiori loco oſtenſum eſt, nulla poſitiva ratione itidem evinci, animam rationalem eſſe *ſpirituale automaton*. Etenim neque *a priori*, neque *a poſteriori* id poteſt oſtendi. Non enim *a priori*; cum interna humani corporis ſtructura nemini adhuc perfectiſſime innoteſcat. Neque *a poſteriori*; cum, ſi ſpectetur modus, quo corpus humanum eos motus peragit, qui *voluntarii* dicuntur, contrarium potius appareat. Videtur quippe corpus ipſum in illis peragendis motibus ſubiici animæ imperio, ab eaque, tamquam a determinante principio, realiter dependere (§. 145.). Ergo &c.

Co-

(a) Pſycol. *ration.* in *not.* ad *ſ.* 63.
(b) Ibidem *ſ.* 613.
(c) Ibidem *ſ.* 62.
(d) Ibidem *ſ.* 63.

COROLLARIUM.

172. Humanum corpus, vi *solius mechanismi*, omnes suos motus peragere, nequit assumi in systemate *harmoniæ præstabilitæ*, nisi ut pura *hypothesis*. Etenim, si secus, aliquid esset reipsa sine *ratione sufficienti*, cur existat potius, quam non existat.

ANIMADVERSIO I.

173. Contrarium non sentit Cl. Volfius. Docet quippe, in systemate *harmoniæ præstabilitæ* pro certo assumi, *possibile esse corpus, in quo series quædam motuum per impressiones objectorum externorum in organa sensoria, conservari potest, ut singuli continuo consentiant singulis perceptionibus, atque appetitionibus, & aversationibus animæ, eodem prorsus ordine sese invicem consequentes, quo animæ modificationes sese invicem excipiunt* (a). Addit quoque, possibilitatem corporis, vi *solius mechanismi* sese moventis, demonstrari *a priori* ab eo tantum posse, *qui motus istos, & unius ex altero praeexistente existentiam distinctissime exponere valet: id quod propter mechanismum cerebri nobis ignotum, nec facile detegendum, nemo audere debet* (b). Dixerat etiam paulo antea, *ex motu in cerebro praeexistente nonnisi probabiliter inferri motum spirituum animalium in nervos motorios influentium; cum demonstrari non possit, seu distincte explicari nequeat, quomodo vi motus praeexistentis, directio spirituum animalium ad influxum in nervos motorios necessaria prodeat* (c), idque illud esse, cujus cognitio desideratur, *ut a posteriori demonstrari possit corporis istiusmodi possibilitas* (d). Non enim aliud video eo loci ab ipso Viro Cl. observatum, ex quo, si daretur, possibilitas corporis, vi solius machinismi omnes suos motus continua serie peragentis, posset *a posteriori* ostendi. Non negat demum, *paradoxon* videri, *corpus tanto artificio esse constructum; sed id quidem inde esse, quod simile quid nos vidisse, nobis conscii non simus. Hinc vero* (illius sunt verba) *adversus possibilitatem ipsius nihil concluditur* (e).

(a) Psychol. ration. §. 617.
(b) Ibidem in *not.* ad §. 617.
(c) Ibidem in *not.* ad §. 615.
(d) Ibidem in *not.* ad §. 617.
(e) Ibidem.

ANIMADVERSIO II.

174. Habendum est pro mera *hypothesi*, quod idem Vir Cl. paulo antea docuit, videlicet *in systemate harmoniæ præstabilita, vi mechanismi corporis, ex ideis materialibus sensibilium nasci motus volitionibus, & appetitionibus animæ respondentes, citra ullam determinationem extrinsecam immediatam* (a), *ab anima pendentem* (b). Id, inquam, pro mera *hypothesi* habendum est. Neque enim arbitrari potest Cl. Auctor, id ab se ostendi, nisi contradicere sibi velit, primo cum ait, in systemate *harmoniæ præstabilitæ* supponi possibile tale corpus, quod vi *solius mechanismi* omnes humanos motus producat (c): secundo, cum docet, possibilitatem hujuscemodi corporis *a priori* non posse evinci, & aliquid adhuc desiderari, ut *a posteriori* ostendatur (d). Præterea licet detur, *nullo principio externo opus esse, quale*, ut ipse ait, *in systemate influxus physici supponitur vis animæ in spiritus animales influens; in systemate causarum occasionalium omnipotentia divina, seu potentia Dei infinita*, licet, inquam, detur, nullum istiusmodi principium requiri, ut corpus suos motus peragat, non tamen sequitur, *citra determinationem ullam extrinsecam* (ab anima pendentem) *motus voluntarios in corpore per mechanismum corporis, ex aliis motibus in eodem naturaliter praexistentibus oriri* (e); quin prius ostenderit Cl. Auctor, corpus non posse determinari ab anima, nisi vel quatenus physicam qualitatem illi communicet, vel quatenus occasionem Deo præbeat, ut hosce motus in ipso corpore producat: quod nullibi ab eo factum invenio, neque fieri posse puto. Fateor, a nobis non intelligi, quomodo humana mens determinare queat corpus ad eos agendos motus, quos ipsa imperat, si neque aliquam *realem qualitatem* corpori illa communicet, neque volitione suæ occasionem præbeat Deo, ut eos ipse efficiat. Verum non propterea dicendum puto, modum alium ab hisce diversum dari non posse. Sicuti enim naturam mentis nostræ non omnino perspectam habemus, ita nonnisi temere contendere possumus, hoc dumtaxat, vel illo modo ipsam posse operari, & corpus movere; quemadmodum, eodem auctore Volfio, neque ipse *influxus physicus* (per *qualitatem realem* corpori impressam) *potest rejici tamquam falsus, quod nullam ejus habeamus notionem* (f); neque *ex eo, quod animæ actio in corpus a nobis non observatur, colligi* po-

(a) Psychol. *ration.* §. 615.
(b) Ibidem §. 616.
(c) Ibidem §. 617.
(d) Ibidem in *not.* ad §. 617.
(e) Ibidem §. 615.
(f) Ibidem §. 575.

potest, quod non detur (a); cum plura sint, de quorum existentia dubitare nequimus, licet eorum natura plane in abdito delitescat. Itaque ostendat primo Vir Cl., tribus tantum modis posse humanum corpus ad mentis nutum suos motus peragere, nimirum vel juxta systema *influxus physici*, vel juxta systema *causarum occasionalium*, vel vi *solius mechanismi*, & tunc non peccabit fallacia *imperfectæ enumerationis*, cum ait: *quoniam ad hoc, ut isti motus* (voluntarii) *nascantur* (in corpore), *nullo principio externo opus est, quale in systemate influxus physici supponitur vis animæ in spiritus animales influens; in systemate causarum occasionalium omnipotentia divina, seu potentia Dei infinita; citra determinationem ullam extrinsecam motus voluntarii in corpore per mechanismum corporis ex aliis motibus in eodem naturaliter praexistentibus oriuntur* (b).

PROPOSITIO III.

Animam rationalem, & corpus, cui illa conjungitur, esse duo veluti automata, quorum unum ab altero in suis functionibus exercendis nullo modo reipsa dependeat, vel omnino falsum est, vel nullius effectus sua efficiens causa cognosci per experientiam potest, certoque determinari.

175. *Probatur*. Etenim, si experientiam consulamus, tantam connexionem deprehendimus inter perceptiones mentis, & certas mutationes corporis, & vicissim inter quosdam motus corporis, & volitiones mentis, quanta nobis apparet inter efficientem realem caussam, ejusque effectum. Sicuti enim posita causa efficiente reali ponitur effectus; ita, facta certa mutatione in sensoriis corporis ex rerum sensibilium appulsu, excitatur statim in anima rerum earum perceptio (§. 139.), & quidem ea lege constanti, ut quemadmodum perfectio effectus respondet virtuti suæ causæ, eamque adæquat (P. I. §. 305.), ita perceptio rei proportionaliter respondet impressioni factæ in organo sensorio, adeo nimirum ut clarior, vel obscurior ea sit, prout magis, vel minus valida fuerit impressio (§. 143.). Similiter, posita in anima volitione motus, statim motus ipse in corpore consequitur; is tamdiu durat, quamdiu animæ placet; cessat vero, quin ne minimum illius vestigium supersit, quamprimum vult mens, ut mota membra quiescant (§. 145.). Ergo, si tanta connexio, quam, experientia duce, inter certas operationes mentis, & quosdam motus corporis deprehendimus, sufficiens ratio non est, ut mens

(a) *Psychol. empiricæ §. 956.* (b) Psychol. *ration. §. 615.*

mens a corpore, & corpus a mente in ſuis exercendis functionibus aliquo reali modo dependere dicatur; neque ea haud diſſimilis connexio, quæ, itidem per experientiam, inter realem cauſam, ejuſque effectum attingitur, ſufficiens ratio nobis erit, ut denominationem *cauſæ*, atque *effectus* illis jure tribuamus; ac proinde vel falſum eſt, mentem, & corpus eſſe duo, a ſe mutuo penitus independentia, automata; vel dicendum, nullius effectus naturalis poſſe a nobis, experientiæ teſtimonio innixis, realem efficientem cauſam certo determinari. Nullus enim effectus ab eo eſt, tamquam ab efficiente cauſa, a quo realiter non dependet.

Opponet forte nonnemo, ad denominationem *cauſæ* alicui rei tribuendam neceſſario requiri, ut illius actio cognoſcatur. Sed contra: quia tunc nullius ferme effectus naturalis ea erit cauſa, cui effectus ipſe jam vulgo tribuitur. Nulla ſiquidem ferme eſt, cujus actio nobis ſit perſpicua. Sic neque magnes erit cauſa motus, qui ad illius præſentiam in ferro contingit; neque lucidum corpus, ut alia omittam, erit illius luminis cauſa, quod, ipſo poſito corpore, per medium diaphanum quoquoverſus diffunditur; cum nemo ſit, qui magnetis in ferrum, luminoſique corporis per medium diaphanum actionem clare, diſtincteque cognoſcat. At dicet alius, ex connexione, quæ inter duo quædam apparet, non poſſe legitime inferri, unum eſſe alterius cauſam, ſi aliunde conſtet, eam proportionem inter illa non haberi, quæ requiritur, ut unum cauſa alterius jure dicatur; atque hinc mentem non poſſe ſtatui pro cauſa motuum corporis, utpote quæ ad eos producendos ſit improportionata. Verum in oppoſitum eſt; quia, omnino gratis dicitur, mentem non ita influere in corpus poſſe, ut illud valeat ad motum determinare. Mentis quippe naturam non ita perſpectam habemus, ut certo nobis conſtet, quid ipſa poſſit, quidque non poſſit. Scimus, eam eſſe ſubſtantiam cogitantem. At ignoramus, an hæc ſola ei potentia inſit. Connexio, quæ datur inter illius volitiones, & quoſdam corporis motus, argumento eſt, aliam quoque potentiam in illa haberi, licet modum, quo hanc exerceat, ipſi ignoremus. Sed hac de re alibi plura. Monuiſſe in præſens ſufficit, ſine ſufficienti ratione mentem noſtram ad movendum corpus, cui juncta eſt, cenſeri improportionatam.

Corollarium.

176. Igitur *aut nullius effectus naturalis ſua efficiens cauſa definiri per experientiam poteſt, aut fallunt principia, quibus ſyſtema præſtabilitæ harmoniæ innititur.*

Ani-

Animadversio I.

177. Tantam esse connexionem, si experientiæ habeatur ratio, inter certas operationes mentis, & quosdam corporis motus, quanta inter realem causam, ejusque effectum deprehenditur, aperte docet etiam summus ipse harmonista Volfius. Sic enim probat, pro certo tenendum in omni systemate, mentem atque corpus ita se habere, *ac si anima vi sua produceret motus voluntarios in corpore, & corpus vi sua produceret perceptiones rerum sensibilium in anima.* Cum experiamur, inquit, *si objecta externa in organa sensoria rite constituta agunt, eo ipso momento oriri quoque perceptiones, quibus eadem tamquam extra nos repræsentamus* (§. 948. Psychol. empir.) *; adeoque, positis mutationibus in corpore, poni quoque mutationes in anima; illis vero sublatis, has quoque tolli, istis impeditis, has etiam non oriri; posita vero causa efficientis sufficienti actione ponatur effectus* (§. 898. Ontol.)*; consequenter, ea cessante, vel impedita, cessare quoque, vel impediri effectum, perceptiones rerum sensibilium videntur effectus actione corporis in anima producti; atque adeo perceptiones rerum sensibilium in anima eo modo oriuntur, ac si corpus in animam ageret, seu in eandem influeret. Similiter cum experiamur, quorundam organorum corporis motus statim consequi, quando anima eosdem vult* (§. 953. Psychol. empir.) *atque adeo posita volitione animæ, poni motus voluntarios in corpore; posita nolitione, hos cessare, vel prorsus non produci; constet vero, posita actione causa efficientis sufficientis, poni effectum* (§. 898. Ontol.), *motus voluntarii in corpore videntur effectus actione animæ producti, & cessationes motuum effectus pares videntur; atque adeo motus voluntarii in corpore oriuntur, & cessant eodem modo, ac si anima vi sua eosdem produceret, ac sisteret, consequenter in corpus ageret, seu in idem influeret* (a). Ergo, si nullus est realis influxus mentis in quosdam motus corporis, neque corporis in perceptiones mentis, licet tanta inter volitiones mentis, & motus corporis, & vicissim inter mutationes corporis, & perceptiones mentis connexio sit, ut illa non esset major, si mens in corpus, & corpus in mentem reipsa influeret, fateatur & ipse Vir Cl. necesse est, efficientem nullius effectus causam posse ex hoc capite definiri.

Animadversio II.

178. Si det Cl. Volfius, inter operationes mentis, & quosdam motus corporis eandem prorsus connexionem a nobis deprehendi, quæ

(a) Psychol. *ration.* Demonstrat. §. 537.

quæ inter illa apparet, quorum unum *caufa* alterius dicitur, dandum quoque ab eo eft, mentem, & corpus ita fe habere in homine, quem intrinfecus conftituunt, ut in perceptionibus producendis mens a corpore, & in quibufdam peragendis motibus corpus a mente reipfa dependeat. Etenim, fi fecus, non video, quomodo vel manca non fit illius doctrina, vel non fint falfa, quæ ipfe tradit. Loquens namque Vir doctiffimus de rerum dependentia, ait, *unum ens dependere ab alio*, quatenus *in hoc continetur ratio, cur illud exiftat* (a). De *reali* autem *dependentia* ab eo agi hoc loco, res videtur certa; cum non aliter *principium*, & *principiatum*, quorum unum reipfa ab alio dependet, ipfe exponat: *principium* fcilicet vocans, quod in fe continet rationem alterius; *principiatum* vero, quod rationem fui in altero habet (b). Hujus ergo Viri judicio, unum reipfa dependet ab alio, cum ita fe habent, ut in uno, cur alterum fit, ratio contineatur. Docet autem, unius rationem in altero contineri, cum, pofito hoc altero, illud quoque exiftit. Enimvero explicans hoc principium: *fi vel demonftratione, vel experientia patet, ideo effe A, quod ponatur B, ipfum B erit ipfius A ratio fufficiens* (c), ait: *ampliffimi ufus eft theorema præfens, quod ita quoque enunciari poterat: quo pofito, aliquid ponitur, illud ejus ratio fufficiens eft* (d). Ergo unum reipfa dependet ab alio, fi hoc pofito, illud etiam ponatur. Quamobrem, cum & ipfe doceat, ut vidimus fuperiori loco, *pofitis mutationibus in corpore, poni quoque mutationes in anima; illis vero fublatis, has quoque tolli; iftis impeditis, has etiam non oriri; ac fimiliter pofita volitione animæ, poni motus voluntarios in corpore; pofita nolitione, hos ceffare, vel prorfus impediri* (e), concedere quoque debet, mentem a corpore, & corpus a mente in fuis functionibus exercendis aliquo reali modo dependere; ac propterea non fatis fibi confentire, cum ait, *in anima dari feriem perceptionum, & appetitionum vi propria productarum citra ullam realem animæ a corpore dependentiam, & in corpore dari feriem motuum, vi mechanifmi ex fe invicem nafcentium, & ab impreffionibus in organa fenforia a fenfibilibus factis pendentium, citra ullam realem dependentiam corporis ab anima* (f). Manca vero eft illius doctrina, fi, ut unum continere cenfeatur *rationem fufficientem* exiftentiæ alterius, fatis nequaquam fit, ut nobis certiffime conftet, uno pofito, alterum itidem poni. Manca, inquam, eft, fi hoc medium fallit; quia nullibi ab eo traditur, quod fciam, undenam colliga-

(a) Ontologiæ §. 851.
(b) Ibidem §. 866.
(c) Ibidem §. 129.
(d) Ibidem in *not.* ad §. 129.
(e) Pfychol. *ration.* in *demonft.* §. 537.
(f) Ibidem in *demonftratione* §. 618.

ligatur, *rationem sufficientem* unius in altero comprehendi.

Animadversio III.

179. Verum hac super re me vehementer movet ratio, qua laudatus Cl. Auctor ostendit, *ex serie motuum in corpore rationem reddi posse, cur perceptiones, & appetitiones in anima jam oriantur*, & vicissim, *ex serie perceptionum, & appetitionum in anima reddi posse rationem, cur jam in corpore oriantur motus* (a). Hæc enim ratio est, quam ad id probandum ille assumit: *In anima*, inquit, *datur series perceptionum & appetitionum* (§. 612.) *vi propria productarum* (613.) *citra ullam realem animæ a corpore dependentiam* (§. 614.), *& in corpore datur series quædam motuum* (§. 612.) *vi mechanismi ex se invicem nascentium, & ab impressionibus in organa sensoria a sensibilibus factis pendentium* (§. 615.), *citra ullam dependentiam realem corporis ab anima* (§. 616.). *Quoniam earum una alteri constanter consentit* (§. 612.), *nulla in anima datur perceptio, vel appetitio, quin aliquis ipsi in serie motuum respondeat motus; nec vicissim aliquis in serie motuum datur motus, quin eidem in serie perceptionum & appetitionum aliqua respondeat perceptio & appetitio, utut nulla supponatur animæ, ac corporis in se invicem actio. Atque adeo per naturam & essentiam animæ & corporis intelligitu, cur perceptiones & appetitiones in anima, & motus quidam in corpore eodem tempore contingant, consequenter in anima, & corpore continetur ratio sufficiens continuitatis temporis, quo perceptiones & appetitiones in anima, & utriusque consentientes motus in corpore contingunt* (§. 56. Ontol.). *Ex modificationibus adeo animæ ratio reddi potest motuum in corpore, & ex motibus in corpore modificationum animæ, scilicet cur dato hoc in corpore motu, detur jam hæc in anima perceptio, vel appetitio; & vicissim cur data hac in anima perceptione, vel appetitione, detur jam hic in corpore motus* (§. 42. Cosmol.) Duo itaque sunt in hoc argumento, quæ simul stare mihi non posse videntur. Primum est: *animam producere suas perceptiones, & appetitiones citra ullam realem a corpore dependentiam; & in corpore dari seriem motuum vi solius mechanismi, citra ullam dependentiam realem ipsius corporis ab anima*. Alterum vero: *ex modificationibus animæ rationem reddi motuum in corpore, & ex motibus corporis modificationum animæ*, sive *in anima, & corpore contineri rationem sufficientem continuitatis temporis, quo perceptiones & appetitiones in anima, & utriusque consentientes motus in corpore contingant*. Si namque nulla est dependentia men-

(a) Psychol. *ration.* in *demonstrat.* §. 618.

mentis a corpore in suis perceptionibus producendis, neque corporis a mente in suis agendis motibus, nihil est in corpore, quod sit *ratio sufficiens*, cur modo ita operetur mens, neque aliquid habetur in anima, quod *sufficiens ratio* esse possit, cur corpus ita moveatur. Non enim sine dependentia unius ab alio potest *sufficiens* unius *ratio* in altero contineri. Et vicissim, si in anima & corpore continetur *ratio sufficiens* continuitatis temporis, quo perceptiones, & appetitiones in anima, & utrisque consentientes motus in corpore contingant, videtur tum anima a corpore, tum corpus ab anima in suis exercendis functionibus *realiter* dependere. Etenim, ipso auctore Volfio, *ens unum* A *dicitur dependere ab altero* B, *quatenus ejus, quod ipsi A inexistit, ratio in hoc altero B continetur* (a). Ceterum an hæc Volfii ratio legitime concludat, infra opportunius expendetur.

ANIMADVERSIO IV.

180. Dicet forte nonnemo, seriem perceptionum definitam esse a Deo in qualibet anima dependenter ab iis mutationibus, quas in organis sensoriis corporis, cui eam copulare decrevit, prævidit Deus ipse certo futuras, & ideo mentem cujuslibet hominis in productione idearum dependere a corpore, cui juncta est, non quidem prout reipsa existente, sed prout a Deo præviso: videlicet ab illo dependere, tamquam a norma, juxta quam determinata a Deo fuerit in ipsa mente futurarum idearum series. Sed nullum est hoc effugium, si probe consideretur res, & cum Volfii doctrina conferatur. *Primo* enim hinc sequitur, *harmonistarum* systema a systemate *occasionalistarum* parum differre. Videtur quippe, Deum modificare animam in gratiam corporis, quemadmodum docent *occasionalistæ*, si series idearum determinetur a Deo in ipsa anima ex prævisione mutationum, quæ in corpore sunt futuræ. *Secundo*: series idearum nequit a Deo in anima determinari, nisi ipsa anima ita ponatur capax cujuslibet ideę, ut ad nullam prorsus sit per suam essentiam, sive naturam determinata. Ergo fallitur Volfius, cum docet, *vim repræsentativam universi esse naturam animæ, quatenus repræsentationes istas actuat; essentiam vero, quatenus ad tales potius, quam alias, tali potius, quam alio ordine actuandas, restringitur* (b). Non enim video, quomodo essentia animæ consistere possit in vi repræsentativa universi, prout ad certam producendam idearum seriem determinata, si ipsa anima sit natura sua ad omnes

nes

(a) *Ontol.* §. 851.
(b) Psychol. *ration.* §. 68.

nes ideas indifferens, sive ad nullam per suam essentiam determinata. *Tertio*: si mens habet a Deo, ut hanc potius, quam aliam idearum seriem producat: igitur in rerum ideis producendis ab externo principio mens ipsa dirigitur; & ideo sibi contradicit laudatus Auctor, cum docet, *per systema harmoniæ præstabilitæ definiri, vim animæ* (productivam idearum) *non dirigi a principio externo* (a). *Quarto*, sibi quoque adversatur, posita superiori doctrina, Vir Cl., cum ait, *ipsammet animam dirigere* vim repræsentativam universi, *ita ut sit totius perceptionis, quam habet, causa sufficiens* (b). Quippe, si a Deo determinatur mens, ut hanc potius, quam aliam idearum seriem producat, jam non est ipsamet anima, quæ vim illam dirigat. Adde, ideo per Volfium non dirigi humanam mentem ab externo principio in producenda serie idearum, sed a seipsa dirigi in hoc negotio, quia *vi sibi essentiali, & naturali ideam totius universi mens ipsa producit* (c): ergo mens cujuslibet hominis ita vi sua rerum ideas producit, ut, etiam ipsiusmet Volfii judicio, sit per suam essentiam, & ideo non ab extrinseco, ad certam producendam idearum seriem determinata. *Quinto*: non potest dici, seriem idearum determinatam esse a Deo in anima ex prævisione mutationum, quæ futuræ sunt in corpore, cui juncta est, nisi corpus, in quo una potius, quam alia futura sit mutationum series, ponatur possibile. Anima autem, si audiamus Volfium, *talem habens seriem perceptionum, possibilis intelligitur, etiamsi nullum possibile supponatur corpus, in quo series motuum harmonicorum detur* (d). Ergo aut Volfius sibi constans non est, aut dicat oportet, seriem idearum ex prævisione mutationum in corpore, cui jungenda erat, non fuisse in anima a Deo determinatam. *Sexto*: docet Cl. Auctor, harmoniam inter mentem, & corpus præstabilitam a Deo non fuisse, *dum seriem perceptionum ita constituit, ut seriei motuum, quæ antecedenter ad illam tamquam possibilis sumitur, consentiat* (e); sive *neque corpus effectum esse juxta seriem perceptionum, & appetitionum animæ, neque animam juxta seriem motuum corporis* (f). Ergo dicere sine piaculo nequit Vir doctissimus, ideas determinatas a Deo fuisse in anima dependenter a mutationibus, quas in organis sensoriis corporis, cui illam copulare decrevit, præviderit ipse futuras. *Postremo*: si mens cujuslibet hominis indifferens est per suam essentiam ad quamlibet idearum seriem producendam, istiusmodi ipsa est, ut cuilibet corpori a Deo copulari ex æquo potuerit. Contrarium autem aper-

(a) Psycol. *ration.* in *not.* ad *§. 613.*
(b) Ibidem.
(c) Ibidem *demonstrat. §. 613.*
(d) Ibidem *§. 625.*
(e) Ibidem.
(f) Ibidem in *not.*

apertissime tradit Volfius. Hæc enim habet: *in systemate harmoniæ præstabilitæ anima hæc non potuit uniri, nisi huic corpori per ipsam utriusque substantiæ essentiam, atque naturam animæ. In systemate influxus physici, & causarum occasionalium indifferens est ad unionem cum quolibet corpore* (a); utque id clarius cuique fiat, addit: *singulare hoc est in systemate harmoniæ præstabilitæ, quod unaquaque anima ad unionem cum suo corpore per essentiam atque naturam suam destinetur, itaut tot concipiantur animæ possibiles, quot corpora humana ipsis harmonice modificabilia in hac serie rerum existere possunt, & singulis suum, sensu propriissimo, conveniat corpus; cum nullo modo, salva hac rerum serie, alterius animæ corpus fieri possit* (b). Igitur, nisi manifeste sibimet adversari velit Vir Cl., dicere nequaquam potest, humanam mentem dependere a mutationibus organorum sensoriorum corporis in rerum ideis producendis, quatenus ex prævisione futurarum ipsarum mutationum fuerit ipsa mens ad unam potius, quam ad aliam producendam idearum seriem, a Deo determinata.

PROPOSITIO IV.

Nequit mens humana independenter adeo ab omni externo principio omnes suas perceptiones producere, ut veluti spirituale automaton spectari ipsa possit, nisi ejus ipsa ponatur natura, ut nunquam valeat a cogitatione cessare.

181. *Probatur*. Spectari nequit mens veluti *spirituale automaton*; nisi ita vi sua ideas rerum omnium producat, ut essentia, sive natura ipsius mentis sit tota ratio non solum, cur producat ideas, verum etiam cur has potius, quam alias producat. *Automaton* est enim, quod ita movetur, ut in illius essentia tota sit ratio, cur moveatur. Posita autem *ratione sufficienti*, necessario ponitur id, quod propter eam potius est, quam non est (P. I. §. 133.). Ergo in rerum ideis producendis non se habet mens tamquam *spirituale automaton*, nisi ideas ipsas ita semper producat, ut nunquam valeat ab earum productione cessare. Semper enim hac in hypothesi habetur sufficiens ratio in mente, cur aliqua debeat idea ab ipsa produci.

Confirmatur. Quia, si a cogitando interdum cessat mens, danda est ratio, cur illa postmodum moveatur, sive ideam aliquam iterum producat. Nihil est enim sine *ratione sufficienti*, cur sit potius, quam non sit (P. I. §. 130.). Certum est autem, id, ex quo ratio delumitur,

(a) Psychol. *ration.* §. 719.

(b) Ibidem in *not.*

tur, cur, post otium, mens iterum cogitet, non semper esse in ipsa mente, alioquin nunquam otiosa, ut patet, illa consisteret (P. I. §. 133.). Ergo ei advenit ab extrinseco; & ideo *spirituale automaton* mens humana non est, utpote ab externo principio in operando dependens.

COROLLARIUM.

182. *Nisi humana mens semper cogitet, nullum est systema harmoniæ præstabilitæ.* Si enim non semper cogitat mens, haud recte habetur veluti *spirituale automaton*; & ideo unum ex iis fallit principiis, quibus *præstabilitæ harmoniæ* systema innititur (§. 165.).

SCHOLION.

183. Mentem semper cogitare, affirmat Cartesius, negant alii & quidem non de turba Philosophi. Quis autem horum vero propius accedat, videbimus suo loco. Id unum monuisse interea sufficiat, prudentiorum judicio, nihil incertius esse, quam *utrum mens semper cogitet*. Hinc quanti faciendum sit systema, in quo principii loco assumitur, quod plane incertum est, videant, quibus integra manet judicandi potestas.

ANIMADVERSIO I.

184. Humanam mentem nunquam cessare a cogitatione, atque propterea etiam in somno ideam totius universi in seipsa producere, adeo certum putat summus harmonista Volfius, ut sine probatione id admitti posse contendat. *Nulla enim*, inquit, *adest ratio, cur anima, quæ per essentiam suam ideam totius universi continuo producit, cessare debeat subinde ab actione sua contra vis non impedita notionem; & cur a consueta sibi actione nescio ad quas alias digrediatur. Cum enim, propterea quod anima in somno perceptionum suarum sibi conscia non sit, nondum sequatur, quod perceptione omni, seu idea sensuali, vel phantasmate destituatur, nec inde inferri potest, quod ideam universi in somno non amplius producat. Quod si dicas, vi corporis determinari vim animæ ad hunc statum universi producendum, qui momento evigilantis respondet, eadem id facilitate reiicitur, qua dicitur. Quomodo enim probaveris, motui, qui ex organo sensorio ad cerebrum propagatur, inesse ea, per quæ intelligi possit, cur anima producat ideam universi*

versi, qualem poscit momentum temporis, quo quis evigilat? Quæ præcario assumuntur, perperam allegantur rationes eorum, quæ sunt (a). Hæc laudatus Auctor: quæ tamen an vera sint, non est hujus loci inquirere. Ajo dumtaxat, me nescire, quonam jure Vir Cl. suos provocet Adversarios, ut ostendant, mutationi factæ in organo sensorio inesse ea, *per quæ intelligi possit, cur anima producat ideam universi s* cum ipse jam aperte docuerit, nec semel assumpserit tamquam certum indubitatumque principium, *rationem sufficientem sensationum, sive perceptionum rerum sensibilium, in mutationibus, quæ ex rerum earum appulsu in organis sensoriis fiunt, contineri* (b); adeo nempe ut per illas mutationes organorum reddatur *ratio sufficiens*, non solum cur, illis positis, existat sensatio in anima, verum etiam cur talis existat (c).

PROPOSITIO V.

Si humana mens in suis omnibus perceptionibus & appetitionibus producendis sit adeo a corpore independens, ut eadem ipsa rerum perceptiones, & appetitiones, quæ in illa excitantur copulata corpori, eodem plane modo in ipsa contingerent, si nullum corpus existeret, plura in ipsa mente contingere dicendum est, quin detur ratio sufficiens, cur contingant potius, quam non contingant.

185. *Probatur*. Si namque humana mens ita vi propria, independenter omnino a corpore, suas omnes perceptiones, atque appetitiones producit, ut, quas producit copulata corpori, easdem, & quidem eodem plane modo, produceret, licet nullum, cui conjungeretur, corpus existeret, sequitur, perinde omnino esse ad perceptionum appetitionumque productionem in anima, qualiscunque sit corporis, cui illa jungitur, constitutio. Ideo enim neque vitia, quibus corpus fatui hominis obnoxium est, impediunt, quominus mens viri docti plura distincte nitideque cognoscat; neque perfectio corporis viri sani prohibet, ne stulti mens res perturbate percipiat, pessimeque de iisdem judicet; quia mens sapientis viri eodem modo operaretur, non existente corpore hominis fatui, quo agit, hujusce hominis corpore posito; & homo stultus non aliter ageret, ac agit modo, quamvis nullius sapientis viri corpus reipsa existeret. Jam vero si neque bona, neque rea corporis constitutio quidquam menti confert ad rerum no-

(a) Psychol. *ration.* in *not.* ad §. 191. (c) Ibidem §. 85.
(b) Psychol. *empiricæ* §. 57.

notiones, atque appetitiones producendas, plura in ipsa mente contingunt, quorum nulla penitus datur *ratio sufficiens*. Hac enim facta hypothesi, nulla est ratio I. *cur mens fœtus in matris utero existentis nullam rei ideam in se producat, saltem claram & distinctam, nullum habeat rationis usum, nulla utatur libertate, neque sit suarum operationum conscia*. II. *cur in iis etiam, qui alto sopore oppressi sunt, hæc omnia contingant*. III. *cur mens non semper ideas claras, atque distinctas producat*, aut vicissim *cur non semper obscuras & confusas*. IV. *cur rerum sensibilium nonnisi qualitates, atque modi a nobis cognoscantur*. V. *cur mens cæci nati nullam luminis colorisque notionem habeat*. Similiter *cur, gustus vel olfactus organo impedito, nulla saporis, odorisve idea in nobis excitetur; ea vero producatur, quamprimum illud impedimentum sublatum fuerit*. VI. *cur stulti & delirantes medicamentorum ope curentur, fiat nempe, ut ordinate in illorum mente producantur ideæ, quæ antea nonnisi tumultuarie, & sine lege excitabantur*. Nulla, inquam, *sufficiens* horum *ratio* est, nec esse potest, si humana mens sit tale *automa*, ut ad rerum notiones, appetitionesque producendas nihil prorsus ei conferat corporis structura & constitutio. Illa quippe ratio, hac facta hypothesi, debet esse talis, ut nullo penitus modo a corporis mutationibus, sed tota ab ipsa mentis natura, sive *automatica* vi derivetur, atque dependeat. Ergo &c.

Corollarium.

186. *Posito præstabilitæ harmoniæ systemate, dandum necessario est, plura in humana mente contingere, quin detur ratio sufficiens, cur contingant potius, quam non contingant*. Dandum est enim, mentem humanam esse spirituale *automaton* (§. 165.).

Animadversio I.

187. *Rationem sufficientem* earum affectionum, quæ in humana mente observantur, ex corporis mutationibus desumi debere, docet Cl. Volfius. Ait enim, *ex vi repræsentativa universi, situ corporis organici in universo* materialiter, *mutationibus organorum sensoriorum* formaliter *limitata, rationem reddi posse omnium eorum, quæ de anima observantur* (a). Igitur falsum est, quod ille idem docet, *mentem* scilicet *nostram ita vi propria producere omnes perceptiones, & appetitiones independenter ab omni externo principio*, nempe a corpore, *ut perceptiones ipsæ*, &

(a) *Psychol. ration.* in *not.* §. 529.

& appetitiones eodem, quo nunc, modo in ipſa anima conſequerentur; etiamſi corpus non exiſteret (a). Non enim video, quomodo, poſita illa perfecta mentis a corpore in ſuis functionibus exercendis independentia, verum eſſe queat, vim repræſentativam univerſi, ſeu productivam perceptionum, ab iis mutationibus *formaliter* limitari, ſive determinari, quæ ex rerum externarum appulſu in ſenſoriis corporis organis peraguntur. Vis quippe illa ab hiſce mutationibus determinari minime poſſe videtur, niſi ab ipſis quoque dependeat; ac propterea niſi falſum ſit, nullo prorſus modo mentem a corpore dependere; cum aperta jam ſit doctiſſimi Viri ſententia, *rationem ſufficientem determinatorum in determinationibus contineri* (b); & *unumquodque ab eo dependere, in quo ſufficiens ſui ratio comprehenditur* (c).

ANIMADVERSIO II.

188. Docet Cl. Auctor, *omnes mutationes, quæ in anima contingunt, quoad omnes illius facultates tam ſuperiores, quam inferiores a ſenſatione originem ducere* (d). Cum igitur, ipſo teſte, *ratio earum perceptionum, quæ* ſenſationes *dicuntur, in iis mutationibus contineatur, quæ in organis corporis noſtri, qua talibus, contingunt*; ut proinde ſenſatio ſit *perceptio per mutationem, quæ fit in organo aliquo corporis noſtri, qua tali, intelligibili modo explicabilis* (e), mutationes animæ ſuam a ſenſationibus originem ſumere haud poſſe videntur, quin *ſufficiens* illarum omnium *ratio* in mutationibus organorum ſenſoriorum corporis comprehendatur; & ideo quin mutationes mentis a mutationibus corporis, non ſecus atque principiatum a ſuo principio (f), ſi eundem Volfium audiamus, reipſa dependeant. Paſſiones itaque corporis aliquid ad mutationes animæ reipſa conferunt; & ſi quid conferunt, videat Vir ſummus, quomodo ſtare poſſit, *præſentiam idearum materialium*, motionum ſcilicet, quæ ex immutatione organorum ſenſoriorum in cerebro excitantur, *ad perceptiones, & appetitiones producendas, nihil prorſus*, ut ipſemet alibi tradit, *conferre* (g).

ANIMADVERSIO III.

189. Per ſyſtema, inquit, *harmoniæ præſtabilitæ* definitur, *vim animæ non dirigi a principio externo, quemadmodum in ſyſtemate influ-* xus

(a) Pſychol. *ration.* §. 614.
(b) *Ontol.* §. 116
(c) Ibidem §. 851.
(d) Pſychol. *ration.* §. 64.
(e) Pſychol. *empir.* §. 65.
(f) *Ontol.* §. 868.
(g) Pſychol. *ration.* §. 614.

xus physici, & causarum occasionalium fieri debet, sed ipsammet animam eandem dirigere, itaut sit totius perceptionis, quam habet, causa sufficiens (a); ex quo deinde colligit, humanam mentem independenter adeo ab omni externo principio suas omnes perceptiones atque appetitiones producere, ut *præsentia* idearum *materialium in cerebro ad eas producendas nihil prorsus conferat* (b). Alibi vero docet, *rationem perceptionum rerum materialium in mutationibus, quæ in corpore nostro contingunt, contineri*; atque hinc *perceptiones rerum materialium in mundo adspectabili a mutationibus in corpore isto contingentibus dependere* (c). Hæc autem quomodo simul vera esse possint, prorsus ignoro. Si enim mens in suis perceptionibus, atque appetitionibus producendis sit adeo a corpore independens, ut præsentia idearum materialium in cerebro ad eas producendas nihil prorsus conferat, sitque ipsa mens totius perceptionis *ratio sufficiens*, falsum videtur, rationem perceptionum rerum materialium in mutationibus corporis contineri; atque perceptiones ipsas ab hisce mutationibus dependere. Si autem ex adverso *sufficiens* perceptionum *ratio* in mutationibus corporis contineatur, videtur a veritate alienum, humanam mentem ita dirigere suam vim perceptivam, ut ipsa sola sit omnium perceptionum *ratio sufficiens*.

SCHOLION.

190. Memoria repetantur hoc loco, quæ diximus (§.180.), videlicet dici non posse a Cl. Volfio, *rationem sufficientem* sensationum, sive perceptionum rerum sensibilium, quæ excitantur in anima, contineri in mutationibus, quæ ex rerum earum appulsu in organis sensoriis fiunt, quatenus nempe series illarum perceptionum determinata in ipsa mente a Deo fuerit ex serie mutationum, quam futuram in corpore Deus ipse præviderit; ac propterea non posse ab eodem dici, perceptiones rerum sensibilium dependere a mutationibus organorum sensoriorum, non quidem prout existentibus reipsa, sed prout a Deo prævisis.

ANIMADVERSIO IV.

191. Fatetur Volfius, *memoriam a causis materialibus lædi posse*, propterea nimirum quia, cum facilitas reproducendi ideas materiales in cerebro, quæ sensitivæ memoriæ respondet, *in actuali quadam muta-*

(a) Psychol. *ration.* in *not.* ad §. 613.
(b) Ibidem §. 614.
(c) Psychol. *empir.* §. 57.

mutatione consistat, qua iterata idea materialis ejusdem, adeoque motus fibrillis nerveis a sensibili in organo impressi, & ad cerebrum propagati productione contrahitur, qualiscunque tandem ea fuerit, a causa materiali pendet, seu talis est, ut motu eodem sæpius repetito, substantiæ cerebri, seu fibrillis, ex quibus ea constat, nerveis induci possit. Quamobrem cum, quod a causis materialibus beneficio motus producitur, a causis quoque materialibus, eodem motu mediante, vel prorsus destrui, vel ex parte tolli possit, quemadmodum id ad ortum, atque interitum rerum attenti satis superque experimur; illa quoque contracta, ideas materiales reproducendi facilitas vel prorsus destrui, vel ex parte tolli potest (a). Similiter *quoniam morbi acuti*, inquit Vir Cl., *motus irregulares in cerebro producunt, imo alii quoque morbi capitis idem faciunt, ac senescente homine, nervis quoque, & consequenter cerebro induci mutatio solet, quamvis non eadem in hominibus singulis, mirum non est, quod memoria, vi morborum acutorum, atque capitis, imo ipsa senectute, sæpius lædatur* (b). Memoria igitur, etiam Volfii judicio, ab iis ideis materialibus necessario dependet, quæ in cerebro elaborantur, eique inexistunt. Dependet autem, quatenus reproductione idearum materialium in cerebro opus est, ut ipsæ itidem rerum perceptiones, quas antea habuimus, reproducantur. Ergo, sicuti reproductio perceptionum a reproductione idearum materialium, ita prima illarum productio a prima harum productione necessario dependet. Falsum est igitur, humanam mentem in rerum notionibus producendis nullatenus a corpore dependere, nihilque prorsus ideas materiales in cerebro ad notionum productionem, ut ipse ait Volfius, conferre (c).

ANIMADVERSIO V.

192. De *rationis usu* verba faciens Cl. Auctor, contendit, *usu sermonis facilitari atque amplificari usum rationis*, quinimo *absque sermonis usu rationis usum vix concedi* (d). Igitur a corpore, cui jungitur, necessario dependet mens, ut ratione utatur, nimirum ut ex notionibus universalibus particulares ratiocinando colligat (e). Nullus est enim, si Volfium audiamus, actus rationis in anima, si in corpore nullus ex iis motibus fiat, qui loquutione excitantur. Fallitur ergo Vir doctissimus, cum ait, animam rationalem producere omnes suas perceptiones, & appetitiones independenter a corpore, adeo ut

(a) Psycol. *ration.* §. 298.
(b) Ibidem §. 299.
(c) Ibidem §. 614.
(d) Ibidem §. 461.
(e) Ibidem §. 455.

ut perceptiones ipsæ, atque appetitiones *eodem, quo nunc, modo* in illa *consequerentur, etiamsi corpus non existeret* (a). Errat quoque, cum docet, *præsentiam idearum materialium ad perceptiones, & appetitiones producendas nihil prorsus conferre* (b). Errat, inquam; cum verum esse nequeat, præsentiam idearum materialium in cerebro ad rerum perceptiones appetitionesque producendas nihil prorsus menti conferre, si verum sit, sine usu sermonis non fieri, ut ratione mens ipsa utatur. Neque enim aliud præstat sermo, nisi ut ideæ materiales producantur in cerebro, quæque productæ jam in illo fuerant, iterum excitentur. Quod si dicat Vir Cl., præsentiam idearum materialium in cerebro nihil quidem conferre ad rerum notiones excitandas in anima, conferre tamen ad ratiocinationem, contra est *primo*: quia si motiones cerebri non requiruntur ad producendas rerum notiones, neque ad ratiocinationem iisdem opus est; quippe quæ a notionibus atque judiciis unice dependet. *Secundo*: quia si mens in ratiocinando dependet a corpore, falsum est, quod summus ipse harmonista assumit, mentem scilicet in hoc sibi repræsentando universo independentem adeo esse ab omni externo principio, ut *eodem, quo nunc, modo sibi repræsentaret hoc universum, etiamsi mundus adspectabilis non existeret* (c). Non unum quippe est naturæ phœnomenon, quod, sublata ratiocinatione, nos prorsus lateret. Adde, vitio verti posse Viro Cl., quod palam nullibi factum ab eo fuerit, quomodo in systemate *harmonia præstabilita* mens quoad *rationis usum* a corpore dependeat.

ANIMADVERSIO VI.

193. Superiori doctrinæ hanc subiicit Cl. Auctor: *facultates superiores quasi sepultæ sunt, ut ne vestigium quidem ipsarum appareat, quamdiu nisi per commercium cum hominibus aliis excitentur. Quamobrem cum absque sermonis usu commercium istud propemodum nullum sit, absque eo facultates superiores ad agendum ne excitantur quidem, nedum exerceantur, quantum ad rationis usum sufficit. Qui ex anterioribus percepit, quid proprie sint facultates mentis, is non mirabitur, homini sibi unice relicto, & ab omni commercio hominum sejuncto tam parum prodesse animam rationalem, ita ut absque eadem vitam, quam degit, agere posset, etiamsi facultatibus inferioribus tantummodo gauderet. Imo ubi inter homines degit, magis ipsi prodessent facultates solæ inferiores, quam inter animantia bruta commoranti prodesse possunt superiores. Etenim*

(a) Psychol. *ration.* §. 614.
(b) Ibidem.
(c) Ibidem.

nim in priori casu multa non infeliciter imitatur; quæ sine ratione effecuti non fuerant alii, in posteriori autem auxilio facultatum superiorum per se nihil assequitur. Unde patet, non naturam, sed hominem hominem efficere rationalem; siquidem eum demum rationalis titulo dignari volueris, qui ratione utitur, quemadmodum communis fert usus loquendi, etsi inconstantiam loquendi rejicientes ab ea discesserimus. Citra tamen inconstantiam loquendi dici potest, hominem efficere, ut homo utatur ratione, & ut eum rationalem esse appareat (a). Hæc Volfius. Igitur, judicio tanti Viri, I. *Facultates animæ superiores adeo dependent in suis functionibus exercendis a commercio cum hominibus, ut, eo sublato, non solum otiosa consisterent, verum ne quidem in ipsa mente excitarentur*. II. *Homo enutritus in sylvis, atque ab omni commercio cum hominibus segregatus, nihil prorsus per se, superiorum facultatum auxilio, assequeretur*. III. *Non ipsa est natura, quæ efficit, ut homo utatur ratione, sed humanum commercium, adeo nempe ut, hoc sublato, nullus usus rationis in homine esset futurus*. Vellem itaque scire a Viro doctissimo, quomodo, cum hac doctrina stare queat, humanam mentem in rerum perceptionibus atque appetitionibus producendis independentem adeo esse ab omni externo principio, ut, quemadmodum ipse docet, anima *eodem, quo nunc, modo sibi repræsentaret hoc universum, etiamsi mundus adspectabilis non existeret* (b). Cum enim, non existente mundo, nullum esset humanum commercium, videtur exercitium superiorum facultatum animæ ab humano commercio, usuque sermonis dependere non posse, quin a mundi existentia ipsum itidem dependeat; ac proinde quin nullum futurum sit, si mundus nequaquam existat. Certum est autem, sine exercitio superiorum facultatum non posse animam hoc universum sibi repræsentare. Ergo hæc mundi repræsentatio esse nequit in anima, nisi mundus reipsa existat. Aut igitur falsum est, exercitium superiorum facultatum animæ, sive rationis usum, ab humano commercio dependere; aut non est verum, fore ut, etiam adspectabili non existente mundo, anima eodem, quo nunc, modo universum ipsum sibi repræsentaret. Ceterum an dandum sit Viro doctissimo, sublato humano commercio, nullum rationis usum in nobis esse futurum, viderint alii. Id enim inquirere, non est hujus loci. Moneo tantum, exemplum juvenis inter ursos educati, quod ad id probandum assumitur, nihil prorsus Volfio favere. Si enim ideo nullus in illo fuit rationis usus, quia *cum jam de statu sylvestris vitæ interrogaretur, ejus non magis recordabatur, quam nos eorum, quæ acta sunt nobis in cunis vagientibus*

(a) Psychol. ration. in not. §. 461. (b) Ibidem §. 614.

bus (a), dicendum quoque est, secus ac Volfius ipse contendit (b), mentem in somno non cogitare, quia vigilans cogitationis tunc habitæ non recordatur. Adde, juvenem inter gregem ursorum captum, ad quem Vir Cl. sæpius provocat, non fuisse, ipso teste, nisi decem annorum, vel circa, ac propterea illius nequaquam ætatis, qua necessario est opus, ut, habita ratione educationis, atque ciborum, quibus vescebatur, dici certo possit, ipsum fuisse aptum, ut ratione uteretur.

PROPOSITIO VI.

Humanam mentem ita vi propria producere notiones rerum omnium sensibilium, ut, quas producit corpori copulata, easdem, & quidem eodem penitus modo produceret, quamvis neque ipsum corpus, neque adspectabilis mundus existe-steret, favet idealismo.

194. *Probatur*. Si enim mens eodem plane modo rerum omnium producit ideas juncta corpori, quo easdem produceret, si neque corpus, cui copulata est, neque adspectabilis ipse mundus existeret, perinde omnino est tum ad illarum idearum productionem in anima, tum ad modum, quo producuntur, sive reipsa existant corpora, sive non existant, adeo nimirum ut nihil prorsus ex hoc capite queat colligi, quo realis corporum existentia evincatur. Id autem iis favere, qui, rejecta *reali* existentia corporum, nonnisi *idealem* eorundem in mente admittunt, videtur perspicuum. Sequitur enim, sensuum testimonio tam solemne delirium convelli nullatenus posse, eosque turpiter hallucinari, qui, ut corpora reipsa extare demonstrent, ad sensuum experientiam provocant. Ergo sententia, quæ ponit, ad idearum productionem perinde esse animæ, sive reipsa existant corpora, sive non existant, favet *idealismo*.

Confirmatur. Favent *idealismo*, quicunque asserunt, realem adspectabilis mundi existentiam nulla posse naturali ratione probari, sed tantum credi. Hinc enim fit, ut, quid nullam habent fidem, negare realem mundi existentiam possint, quin tanti erroris jure queant convinci. Posita autem illa independentia mentis a corpore in rerum notionibus producendis, nulla est amplius ratio naturalis, qua realis corporum existentia evincatur; cum omnis hujuscemodi ratio testimonio sensuum innixa sit, ab eoque dependeat. Ergo tanta mentis

(a) Psychol. *ration.* §. 461. (b) Ibidem in *not.* ad §. 191.

tis a corpore in producendis rerum notionibus independentia *idealiſmo* plurimum favet, atque ad tam grande propugnandum delirium media ſuppeditat.

Corollarium.

195. *Nullum eſt præſtabilitæ harmoniæ ſyſtema, niſi pro vero habeatur principium, quod viam ad idealiſmum ſternit*. Nullum eſt enim hoc ſyſtema, niſi hujuſcemodi ſit mens, ut quas modo habet rerum notiones, eaſdem prorſus haberet, quamvis adſpectabilis mundus nequaquam exiſteret.

Animadversio I.

196. Hanc mentis a corpore in ſenſibilium rerum notionibus producendis independentiam favere *idealiſmo*, non ignoravit Volfius. Poſtquam enim dixerat Vir ſummus, humanam mentem independenter adeo ab omni externo principio ſuas omnes perceptiones appetitioneſque producere, ut *eodem, quo nunc, modo ſibi repræſentaret hoc univerſum, etiamſi mundus adſpectabilis non exiſteret* (a), hæc habet: *idealiſtæ hoc perſpicientes, & de diſtincte explicando commercio animæ, & corporis, imo in genere & de diſtincta explicatione actionis corporum in ſe invicem, ac corporis in animam, & animæ in corpus deſperantes, ideo negarunt, Mundum adſpectabilem, quem anima ſibi repræſentat, exiſtere. Quemadmodum vero in omni errore ineſt aliquid veri, ut ideo ſæpe error viam ad veritatem ſternat, ita quoque hypotheſis idealiſtarum quidpiam veri habet, hoc nempe ſuppoſito, quod influxus phyſicus nullus ſit. Carteſius, qui perceptiones rerum ſenſibilium a voluntate numinis derivavit, ſimiliter agnovit, Deum animam ita modificare poſſe, ut Mundum adſpectabilem eodem, quo nunc, modo ſibi repræſentet, utut is extra animam non exiſtat, quemadmodum ex meditationibus ipſius intelligitur, in quibus de exiſtentia corporum dubitat, eorumque exiſtentia ex notione veritatis divinæ demonſtrare conatur. In ipſius tamen ſyſtemate moraliter neceſſarius eſt ad perceptiones animæ, proptereaquod Deus non producit in anima perceptionem, niſi ad præſentiam ideæ materialis in cerebro ſecundum concurſum ſuum ordinarium, de quo hic ſermo eſt. Aſt in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ nullo modo neceſſarium eſt, ut Mundus adſpectabilis actu exiſtat, ſiquidem anima eo, quo nunc, modo eundem ſibi repræſentare debet* (b). Alibi

(a) Pſychol. *ration.* §. 614. (b) Pſychol. *ration.* in *not.* ad §. 614.

Alibi quoque fatetur Vir eximius, sensuum experientia non posse *idealistarum* delirium convelli. Ait enim: *si non ad alia provoces, nisi quæ sensu percipiuntur, idealistas minime convinces erroris sui; cum ea, quæ sensu percipiuntur, admittant, sed tamquam in anima repræsentata, non vero tamquam extra se existentia* (a), quatenus nempe juxta *idealistas, phænomena eodem modo in anima percipiuntur, ac si Mundus materialis revera existeret, & in eo corpora easdem mutationes subirent, quæ animæ apparent* (b): quod certe perinde est, ac si dixisset, *idealistas* ex hoc capite minime posse erroris convinci; quia, si *harmonistas* audiamus, *perceptiones, & appetitiones in anima eodem, quo nunc, modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret; & anima eodem, quo nunc, modo sibi repræsentaret hoc universum, etiamsi Mundus adspectabilis non existeret* (c).

ANIMADVERSIO II.

197. Ait Volfius, motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, ita fieri vi solius *mechanismi* citra ullam determinationem extrinsecam ab anima dependentem, *ut eodem, quo nunc, modo adhuc consequerentur, etiamsi anima non existeret, nisi quod nobis eorundem minime conscii essemus* (d). Mens igitur non esset conscia eorum motuum, qui fiunt in corpore, si a corpore separata existeret. Modo vero eorundem conscia est, quia corpori unita. Ergo in ipsa unione continetur hujusce *conscientiæ*, sive *apperceptionis*, ut ipsius Volfii verbo utar (e), ratio *sufficiens*; ac proinde, juxta ejusdem Cl. Viri principia, dependet mens, ut illa *conscientiam* habeat, a sua unione cum corpore; adeoque etiam ab ipso corpore (f). Falsum est ergo, quod ille docet, mentem scilicet nostram ita *vi propria producere omnes suas perceptiones independenter ab omni externo principio, ut illa omnes eodem, quo nunc, modo in ea consequerentur, etiamsi corpus non existeret* (g).

ANIMADVERSIO III.

198. Quoniam certissime constat, nos esse conscios eorum motuum, qui ad mentis nostræ nutum in corpore fiunt, certissima quoque res est, mentem nostram esse corpori copulatam; & ideo corpus ipsum existere; atque hinc existere etiam ea, ex quorum appulsu mutationes quædam in corpore excitantur. Enimvero, si ali-

(a) Theol. *natur.* P. II. in *not.* ad *§. 624.*
(b) Ibidem.
(c) Psychol. *ration. §. 614.*
(d) Ibidem *§. 616.*
(e) *Psychol. empirica §. 25.*
(f) Ontologiæ *§. 851.*
(g) Psychol. *ration. §. 614.*

aliquid modo contingit in anima corpori copulata, quod in ea non contingeret, fi a corpore effet fejuncta, aliquid in ea accidit, exiftente corpore, quod minime in illa fieret, corpore non exiftente. Dubium igitur effe nequit, quin corpus exiftat; ac propterea poteft realis corporum exiftentia ex iis, quæ in nobifmetipfis experimur, & per intimum fenfum cognofcimus, certo oftendi. Aut ergo falfum eft, fore, ut minime confcii effemus motuum, qui in corpore peraguntur, fi anima in illo non exifteret, quemadmodum ipfe ait Volfius; aut idem fallitur, cum docet, demonftrationem optari a nemine poffe, *qua, nondum fuppofitis Dei attributis, independenter ab omnipotentia, & decreto Dei, realis corporum exiftentia evincatur*; propterea nimirum quia neque *a pofteriori*, fcilicet *beneficio fenfuum*, neque *a priori*, nempe *vi intellectus*, illa queat oftendi (a). Ea enim fufficiens hujufce rei demonftratio nobis eft, quæ ex intimo fenfu defumitur.

PROPOSITIO VII.

S. Scripturæ, atque Patribus contrarium aperte eft, mutationes, quæ ex rerum fenfibilium appulfu in organis fenforiis fiunt, ad perceptiones appetitionesfque excitandas in anima nihil prorfus conferre.

199. *Probatur*. Mutationes organorum fenforiorum corporis ex rerum fenfibilium appulfu nihil prorfus conferre ad rerum earum perceptiones, appetitionesfque in anima excitandas, S. Scripturæ, atque Patribus aperte contrarium eft, fi tum Scriptura, tum Patres manifefte doceant, impediri a nobis poffe, ne rerum externarum notiones acquirat mens, & ne eas deinde appetat, hoc ipfo dumtaxat, quod prohibeatur, ne fenforia corporis organa a rebus ipfis immutentur. Perinde eft enim ad perceptiones, & appetitiones rerum externarum excitandas in anima, five ab ipfis rebus immutentur, five non immutentur organa fenfuum, fi organorum paffiones nihil adeo conferant ad eas affectiones in mente producendas, ut affectiones ipfæ eodem modo excitarentur in anima, fi corpori non effet unita, quo in ea excitantur, corpori copulata. Scriptura autem, atque Patres aperte docent, & quidem non uno, fed fexcentis in locis, impediri, ne humana mens cognofcat res fenfibiles, atque hinc ne in illas defiderio inordinato feratur, fi externi fenfus ita cuftodiantur, ut a rebus ipfis immutari nequaquam poffint. Etenim primo: *pepigi*, inquit Job, *fæ-*

(a) Theol. *nat.* P. II. in *not.* ad *§.* 645.

fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine (a): quod exponens S. Gregorius Papa, hæc habet: *cum sit invisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quod inhærens corpori, quasi quædam egrediendi foramina, ejusdem corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, odoratus, & tactus quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foras veniat, & ea, quæ extra ejus sunt substantiam, concupiscat. Per hos etenim corporis sensus, quasi per fenestras quasdam, exteriora quæque anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc etenim Jeremias ait:* ascendit mors per fenestras nostras. *Mors quippe per fenestras ascendit, & domum ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens, habitaculum intrat mentis. Quo contra hoc, quod jam sæpe diximus, de justis per Isaim dicitur:* qui sunt hi, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? *Justi namque volare, ut nubes, dicti sunt, quia a terrenis contagiis sublevantur, & quasi columbæ ad fenestras suas sunt; quia per sensus corporis exteriora quæque intentione non respiciunt rapacitatis, eosque foras non rapit concupiscentia carnalis. Quisquis vero per has corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati, etiam nolens cadit, atque obligatus desideriis, incipit velle, quod noluit. Præceps quippe anima dum ante non providet, ne incaute videat, quod concupiscat, cæca post incipit desiderare, quod vidit. Unde & Prophetæ mens, quæ sublevata sæpe mysteriis internis interérat, quia alienam conjugem incaute vidit, obtenebrata postmodum sibimet illicite conjunxit. Sanctus autem Vir, qui acceptis corporis sensibus, velut subjectis ministris, quidam æquissimus judex præest, culpas conspicit, antequam veniant, & velut insidianti morti fenestras corporis claudit, dicens:* pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. *Ut enim cogitationes cordis caste servare potuisset, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incaute aspiceret, quod postmodum invitus amaret. Valde namque est grave, quod caro deorsum trahit, & semel species formæ cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis manu solvitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemur, providendum nobis est; quia intueri non decet, quod non licet concupiscere. Ut enim munda mens in cogitatione servetur, a lascivia voluptatis suæ deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam* (b). Secundo: docet Scriptura, avertendam esse faciem *a muliere compta,* & minime circumspiciendam *speciem alienam* (c), quia scilicet *propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi ignis, exardescit* (d), quatenus nempe visionem comptæ mulieris con-
fe-

(a) Cap. XXXI. v. 1.
(b) Lib. XXI. *Moralium* cap. 2.
(c) *Ecclesiastici* cap. IX. v. 8.
(d) Ibidem v. 9.

sequuntur in anima; non secus ac effectus suam causam, inhonestæ cogitationes, concupiscentia per eam accenditur, & turpia desideria excitantur. Unde doctissimus Cornelius a Lapide, *oculi*, inquit, *sunt proxeneta peccati. Sicuti enim proxeneta mediator est inter emptorem, & venditorem ad ineundum contractum, ita oculi mediatores sunt cordis, & mulieris speciosæ, illudque cum hac conciliant, & colligunt* (a). Hinc Christus Dominus, *qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam*, inquit, *mœcatus est eam in corde suo* (b). Quod autem *hic de visu dicitur*, ait laudatus celeberrimus Auctor, *id a pari intelligendum est de auditu, tactu, cogitatu. Visum tamen præ aliis Christus nominat*, *quia* oculi sunt in amore duces; *& ut moneat castis, maxime illos esse continendos, & coercendos. Cum ergo ait:* qui viderit mulierem, *significat visum esse originem, & causam concupiscentiæ, & luxuriæ* (c). Tertio: Evæ lapsus non alia, Divinæ Scripturæ testimonio, fuit causa, nisi quia incaute vidit, & nimis curiose lignum contemplata fuit mulier, quod ne attingeret, illi jam prohibuerat summus conditor æque ac legislator Deus. *Neque enim*, teste S. Gregorio Papa, *Eva lignum vetitum contigisset, nisi hoc prius incaute conspiceret. Scriptum quippe est: vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit*. Unde rectissime colligit S. Doctor, *quanto debeamus moderamine erga illicita visum restringere nos, qui mortaliter vivimus, si & mater viventium per oculos ad mortem venit* (d). Demum ne super re certissima longior sim, refert Scriptura, a Discipulis euntibus in Emmaus cognitum minime fuisse Christum Dominum cum illis ambulantem, quia *oculi illorum tenebantur, ne eum agnoscerent* (e), hoc est, quia Christus sua omnipotenti virtute tunc prohibuit, ne in eorum oculis sua formaretur imago, atque hinc ne sui ipsius notio in ipsorum mente excitaretur, quemadmodum omnes explicant Patres, atque Theologi, quamvis inter eos non conveniat, quomodo non Christi, sed peregrini imago in illorum oculis depicta tunc fuerit (f). Dubium igitur esse nequit, quin, juxta Scripturam, & Patres, cogitationes mentis a mutationibus, quæ in organis sensoriis fiunt, adeo dependeant, ut mutationes ipsæ sint veluti naturalis cogitationum causa. Ergo tam S. Scripturæ, quam Patribus aperte ea adversatur opinio, quæ ponit, mutationes organorum sensoriorum corporis ad rerum perceptiones atque appetitiones excitandas in anima nihil prorsus conferre. CO-

(a) Comment. ad hunc locum.
(b) *Matthæi* cap. V. v. 28.
(c) Comment. ad hunc locum.
(d) Lib. XXI. *Moralium* cap. 2.
(e) *Lucæ* cap. XXIV. v. 16.
(f) Vide Cornel. a Lapide ad hunc locum.

COROLLARIUM.

200. ***Præstabilitæ harmoniæ systema tum S. Scripturæ, tum S.S. Patribus plane adversum est.*** Nullum quippe illud est, nisi pro re certa habeatur, mentem in suis perceptionibus, appetitionibusque producendis independentem adeo esse a corpore, ut hujus passiones nihil omnino ad illarum productionem conferant.

SCHOLION.

201. Ex dictis §. 180. satis patet, opponere neminem posse, mutationes organorum sensoriorum corporis ex rerum appulsu provenientes, nihil quidem menti conferre ad rerum ideas producendas, si mutationes ipsæ spectentur, prout sunt in re; secus vero, si sumantur prout in divina prævisione. Ostensum est enim, ideas rerum, juxta systema *præstabilitæ harmoniæ*, non fuisse a Deo determinatas in anima, propterea quod prævideret, quæ mutationes essent in organis sensoriis ex sensibilium rerum appulsu sequuturæ.

ANIMADVERSIO I.

202. Docet Volfius, *nullum systema explicandi commercium inter mentem atque corpus Scripturæ sacræ adversum esse posse, nisi eidem admisceantur errores, qui abesse & possunt, & debent* (a). Quæro igitur a Viro doctissimo, an *præstabilitæ harmoniæ* systema stare possit, & debeat, licet ponatur, mutationes organorum sensoriorum corporis, sive, ut illius verbo utar, *ideas materiales in cerebro*, ad perceptiones, & appetitiones producendas aliquid reipsa conferre. Id enim si detur, dicam, systemati *præstabilitæ harmoniæ* ab ipsomet Volfio admisceri errorem, qui abesse potest, & debet, cum ab eo dicitur, *in hoc systemate præsentiam idearum materialium in cerebro ad perceptiones & appetitiones producendas nihil prorsus conferre* (b); nam error est, ut modo demonstravimus, mentem nostram a mutationibus organorum corporis in suis cogitationibus producendis reipsa non dependere. Si vero *præstabilitæ harmoniæ* systema stare nequit, nisi mens sit a corpore in suis producendis perceptionibus atque appetitionibus omnino independens; sique propterea error, qui abesse possit & debeat, huic

(a) Psychol. *ration.* §. 545.
(b) Ibidem §. 614.

huic systemati non admiscetur, cum illa mentis a corpore independentia in ipso systemate, principii loco, assumitur, dandum necessario est, *systema harmoniæ præstabilitæ* adversari sacræ Scripturæ, licet nullus plane error illi ex invidia admisceatur; cum res sit perspicua, palmarem esse errorem contra Scripturam, & Patres, humanam mentem nullatenus a corpore, cui copulata est, in rebus percipiendis appetendisque dependere. Falsum est igitur, *nullum systema explicandi commercium inter mentem, atque corpus Scripturæ sacræ adversum esse posse, nisi eidem admisceantur errores, qui abesse possunt & debent.*

ANIMADVERSIO II.

203. Fallitur Vir eximius, si adverbium *tum demum* perinde ei sit, ac *solum*, cum inquit: *Tum demum fieri posset, ut systema aliquod ad explicandum commercium inter mentem atque corpus excogitatum, Scripturæ sacræ contradiceret, si eadem alicubi rationem redderet commercii istius, hoc est, distincte explicaret, undenam sit, ut positis mutationibus in organis sensoriis, atque hinc pendentibus ideis materialibus in cerebro, ponantur in anima perceptiones; & vicissim, positis animæ appetitionibus, ponantur motus spontanei ac voluntarii in corpore* (a). Fallitur, inquam; quia systema explicandi commercium mentis cum corpore potest sacræ Scripturæ duplici modo adversari. Refragari enim ei potest *primo*, si explicatio istiusmodi commercii, quæ in aliquo systemate exhibetur, sit illi adversa, quæ in sacra Scriptura nobis aperte traditur. *Secundo*, refragari eidem potest, si ad hoc explicandum commercium aliqua, principii loco, assumantur, quæ vel Divinis S. Scripturæ oraculis manifeste contraria sint, vel sint hujusmodi, ut quædam inferri ex illis legitime queant, iis minime consentanea, quæ in Divinis literis aperte traduntur. Nullum systema explicandi istiusmodi commercium opponi S. Scripturæ primo modo, scilicet *directe*, non inficior. Nullibi enim in ea explicatur, quomodo anima copulata sit corpori, & qua ratione fiat, ut certi motus corporis quibusdam operationibus mentis, & vicissim quædam operationes mentis certis corporis motibus constanti lege respondeant. At omnino falsum puto, nullum systema hac super re vel hactenus excogitatum, vel deinceps excogitabile, posse S. Scripturæ eam ob causam, ne quidem secundo modo, scilicet *indirecte* refragari, quia *in Scriptura sacra non occurrunt, nisi quæ ad commercium*

(a) Psychol. *ration.* in *not.* ad §. 545.

cium ipsum, scilicet ad dependentiam sensationum a mutationibus organorum sensoriorum, & motuum spontaneorum ac voluntariorum ab appetitionibus, atque aversationibus animæ, spectant (a). Id, inquam, omnino falsum puto. Excogitari enim potest systema, quod principiis innitatur, ex quibus necessario sequantur aliqua sacræ Scripturæ oraculis prorsus adversa. Profecto *in systemate causarum occasionalium*, ipso auctore Volfio, *anima destituitur vi activa, qua motus in corpore producitur, & tantummodo per volitiones suas Deo istos producendi occasionem præbet; corpus vero destituitur vi activa, qua perceptiones animæ producere valet, & tantummodo per ideas materiales in cerebro productas Deo occasionem præbet illas producendi* (b); ut proinde nullum sit hoc systema, quemadmodum vidimus suo loco, nisi humana mens ponatur substantia vi activa penitus destituta. Hinc autem ad liberum arbitrium animæ denegandum viam sterni; & ideo aliquid assumi in hoc systemate, quod cum sacra Scriptura nequeat conciliari, nemo non videt. Ergo potest aliquod systema *indirecte* S. Scripturæ adversari. *Harmonistis* quoque loco principii est, motiones corporis ad producendas cogitationes mentis nihil prorsus conferre; totumque corruit eorum systema, nisi hæc mentis a corpore independentia admittatur. Id autem non esse sacræ Scripturæ consentaneum, satis aperte superiori loco demonstravimus. Ergo, quamvis divina Scriptura nullibi rationem reddat commercii, quod mentem inter atque corpus est, attamen *præstabilitæ harmoniæ* systema haud potest, salva divinarum literarum auctoritate, a nobis defendi. Miror tamen, dixisse Cl. Volfium, *tum demum fieri posse, ut systema aliquod ad explicandum commercium inter mentem atque corpus excogitatum, Scripturæ sacræ contradiceret, si eadem alicubi rationem redderet commercii istius, hoc est, si distincte id explicaret*. Miror, inquam; etenim licet creatio mundi sensibilis apertissime in sacra Scriptura tradatur, realemque corporum existentiam illa nobis manifeste exhibeat, ejusdem tamen Cl. Viri est aperta sententia, *necessarium non esse, ut idealista sit antiscripturarius* (c), seu negare quempiam posse realem corporum existentiam, quin sacræ Scripturæ refragetur.

ANIMADVERSIO III.

204. Ex his apparet, audiendum non esse Virum doctissimum,

(a) Psychol. *ration.* §. 545.
(b) Ibidem §. 592.
(c) *Theol. natur.* P. II. §. 641.

cum ait: *veritatibus revelatis ſuus ſtat honos*; *qualecunque tandem ſyſtema defendatur, modo eidem non admiſceantur errores, qui ad idem non ſpectant, ſed per leges bonæ methodi abeſſe debent*; *neque Philoſophus turbat dogmata Theologica, quamcunque tandem de commercio iſto foveat opinionem* (a). Patet enim, *præſtabilitæ harmoniæ* ſyſtema adverſari ſacræ Scripturæ, quin ullus error injuſte prorſus ipſi ſyſtemati admiſceatur. Theologica quoque dogmata turbat Philoſophus, ſi ratum ei fixumque ſit, id omne poſſe tuta fide admitti, quod S. Scripturæ directe non adverſatur. Hinc enim ſequitur, ea tantum dogmata poſſe jure ac merito inter Theologica collocari, & ideo ea tantum a nobis eſſe divina fide credenda, quæ in ſacris Literis clare diſtincteque traduntur: quod tamen quam a vero abhorreat, nemo Catholicorum non videt. Itaque *conſequentiarii* mihi non imponat crimen Cl. Auctor, ſi dixero, doctrinam hanc ſuam Lutheraniſmum redolere. Solemne quippe fuit Luthero, *non aliam doctrinam in Eccleſia tradi & audiri debere, quam purum verbum Dei, hoc eſt, ſacram Scripturam* (b); ac propterea illa dogmata tantummodo pro Catholicis habenda a nobis eſſe, quæ in verbo Dei ſcripto expreſſe continentur.

ANIMADVERSIO IV.

205. *Theologo non intereſt*, addit Cl. Volfius, *quodnam de commercio inter mentem ac corpus ſyſtema defendat Philoſophus*; *cumque non inutile ſit, ſyſtemata quæcunque excoli, & in foro philoſophico de iiſdem diſputari, Theologus etiam Philoſopho ſuam ſtatuendi libertatem illæſam relinquere poteſt* (c). Sed, bona tanti Viri venia, dico, id minime a nobis poſſe admitti. Arbitror quippe in primis, nimis intereſſe Theologo catholico, & quidem hoc præſertim ævo, in quo nonniſi nova placent, probe ſcire, quodnam de commercio mentis cum corpore ſyſtema Philoſophi defendant. Etenim nulla ferme in univerſa Philoſophia quæſtio occurrit, in qua facilius, quam cum hac de re agitur, Catholicæ fidei dogmatibus, morumque doctrinæ queat labes inferri. Profecto ecquis eſt, qui neſciat, poſſe nonneminem, hujuſce commercii explicandi cauſa, peſſime de humana libertate ſentire, anſam *idealiſtis* dare, atque ad *fataliſmum*, aliaque id genus deliria, viam apertiſſimam ſternere? Si *Theologo non intereſt, quodnam de commercio inter mentem ac corpus ſyſtema defendat* Philo-

(a) Pſychol. *ration.* §. 546.
(b) Comment. in cap. I. Epiſt. *ad Galatas.*
(c) Pſychol. *ration.* §. 546.

losophus, eodem ipso jure interesse Theologo haud poterit, quid de humanæ mentis *spiritualitate*, *immortalitate*, atque *origine* quisquis itidem sentiat. Liberum ergo erit Philosophis omnibus, quæ sibi magis placent, quantumvis pravæ sint atque turpes, opiniones defendere, easque, veluti certa dogmata, impune docere. Etenim, si Theologici juris non est, in Philosophorum placita inquirere, & æqua Sanctuarii lance ea omnia pensare, nemo erit, qui frœna illis imponere legitime possit. Itaque, cum, teste S. Augustino, ad Theologos scire pertineat, quemadmodum Catholica fides *& piis opituletur, & contra impios defendatur* (a), malam redolere mihi videtur fidem, quisquis tenet, non interesse Theologo, quodnam Philosophus de commercio mentis cum corpore systema defendat. Ad id vero, quod dicitur de Philosophica hypothesium disceptatione, permitto, rem esse non inutilem, *systemata quæcunque excoli, & in foro philosophico de iisdem disputari*. Cum enim, ut præclare advertit laudatus S. Doctor, *nulla falsa doctrina sit, quæ non aliqua vera intermisceat* (b), utque habet Lactantius, nulla fuerit secta tam devia, neque Philosophorum quisquam tam inanis, *qui non viderit aliquid veri* (c), omnium Philosophorum scrutari doctrinas, eorumque hypotheses expendere, potest ad detegendam veritatem *sparsam per singulos, per sectasque diffusam* (d), conferre plurimum. Cavendum tamen quammaxime a nobis esse, arbitror, ne hac de causa aliquid admittatur, quod S. Scripturæ contrarium vel levissime sit, Patrumque doctrinæ nequaquam consentiat. Nec enim frustra nos admonet S. Augustinus, ut eos omni caveamus studio ac diligentia, *qui secundum elementa hujus mundi philosophantur, non secundum Deum* (e), hoc est, qui ingenio adeo indulgent suo, tantumque naturali rationi deferunt, ut in iis, quæ ad Philosophiam pertinent, sacrarum Scripturarum auctoritatem nihili faciant, contemnent Ecclesiæ vocem, sibique neminem mortalium posse leges præscribere, summa temeritate & audacia contendunt. Non est autem, cur hoc super negotio plura verba faciam, cum nemo sit, ut arbitror, quem lateat, quantum mali fecerit olim, & faciat modo, nimia quorundam in philosophando licentia. Sciat postremo Cl. Volfius, nunquam me ei daturum, *posse Theologum suam statuendi libertatem illæsam Philosopho relinquere*, cum de modo explicandi mutuum inter mentem atque corpus commercium differitur. Etenim, si a Theologis relin-

Q 2

(a) Lib. XIV. *de Trinitate* n. 3., alias c. 1.
(b) Lib. II. *qq. Evangel.* q. 40. n. 2.
(c) Lib. VII. *Divin. Instit.* cap. 7.
(d) Lactant. lib. VII. *Divin. Instit.* cap. 7.
(e) Lib. VIII. *de Civitate Dei* cap. 10. n. 1.

relinquenda cuique Philoſophorum eſt, quod de hoc commercio magis arridet, ſtatuendi licentia, dandum erit *materialiſtis*, ut, omni rejecta ſpirituali ſubſtantia, quidquid in Mundo exiſtit, corporeum dicant: *idealiſtis*, ut realem ſenſibilis Mundi exiſtentiam negent: *fataliſtis*, ut abſolutæ neceſſitati humanas actiones ſubjiciant: *occaſionaliſtis*, ut omnem penitus agendi vim menti humanæ ſubtrahant: ipſis demum *harmoniſtis*, ut mentem & corpus veluti duo a ſe mutuo penitus independentia *automata* nobis exhibeant, doceantque impune, perinde eſſe animæ, quidquid corpus patiatur, vel agat. Hæc autem numquam dabunt Theologi catholici. Quamobrem neque Philoſophis permittent unquam, ut de cauſa commercii mentis cum corpore, quod eorum palato magis ſapidum eſt, pleno jure conſtituant.

ANIMADVERSIO V.

206. Jure inquirendi in Philoſophorum dogmata Theologis denegato, in hæc demum verba prorumpit Cl. Auctor: *utinam hæc probe perpenderent, qui auctoritate Scripturæ ſacræ abuſi, limitibus alienis ſeſe immiſcent, ſæpe non abſque religionis veræ detrimento; cum, locis Scripturæ in perverſum ſenſum detortis, hominibus profanis ac impiis anſam præbeant, Scripturam ſacram ſugillandi, ſuamque auctoritatem proſtituant. E re igitur fuit, corollarium præſens præcedenti propoſitioni jungi* (a). Grave igitur ne ſit Viro doctiſſimo, ſi, quemadmodum e re ipſi fuit, hoc corollarium præcedenti propoſitioni ſubjicere, e re quoque noſtra fore arbitremur, ipſum monere, ac certum reddere, *primo*: Theologos catholicos non abuti auctoritate divinæ Scripturæ, cum, illius oraculis inſiſtentes, Philoſophorum limitibus eo ſeſe immiſcent conſilio, ut nimiæ quorundam licentiæ juſta frœna imponant, conſulantque indoctis, ne *per Philoſophiam, & inanem ſeductionem* ab illis decipiantur (b). Ut enim ſapienter advertit, & optime explicat Vir celeberrimus Ludovicus Antonius Muratorius, *ſemper ratio, ſemper Philoſophia, aliarumque artium documenta cedere fidei, ſacriſque literis debent, aliquid evidenter tradentibus; non autem ſacræ literæ, ac Theologia aliquid evidenter narrantes, ſubmittendæ ſunt rationi, ac Philoſophiæ, quamquam & iſtæ evidentiam jactent a ſuis partibus quammaximam. Et æquiſſime id ab ipſa ratione exigitur. Cum ſacris enim literis, & cum fide ac revelatione divina perpetuo & neceſſario conjuncta eſt veritas. Igitur falſum ſit neceſſe eſt, quod a perſpi-* *cua*

(a) Pſycol. *ration.* in *not.* ad §. 546.
(b) Ad *Coloſſ.* cap. II. v. 8.

cua fidei eruditione dissentit. Neque enim alia esse potest Theologorum veritas, alia Philosophorum; alia Dei, alia hominum; ac proinde cedat oportet ratio fidei, non fides rationi, sicut aquum est, ut homines Deo, non Deus hominibus cedat (a). *Secundo*: ratum nobis fixumque esse, jus a Deo datum esse Ecclesiæ coercendi temerarias illorum mentes, qui S. Scripturam privatæ rationis suæ consilio interpretantur, neque aliter exponendam a nobis ipsam esse contendunt; & ideo merito atque optimo jure confixum ab ea censorio stigmate fuisse Lutherum non minus temere, quam falso docentem, *interpretem S. Scriptura esse spiritum particularem, quem quisque habuit, dum Scripturam diligenter legit* (b); iisque itidem omnibus rectissime inussisse notam, qui cum Arminio, & Episcopio *Remonstrantium* primipilis perperam putant, Scriptores sacros in iis rebus, quæ ad salutem non pertinent, memoriæ, vel ignorantiæ vitio errare potuisse, quinimo non semel fuisse in errorem lapsos. *Tertio*: nullum prorsus iis esse periculum detorquendi loca S. Scripturæ in perversum sensum, qui in illis omnibus divinis explicandis oraculis SS. Patrum vestigia sequuntur, neque ab Ecclesiæ sensu vel latum unguem discedunt; contra vero iis errandi periculum imminere maximum, quinimo ipsos errare sæpissime, atque hinc ansam præberi hominibus profanis ac impiis criminandi S. Scripturam, ejusque infallibilem auctoritatem prosternendi, qui proprio ingenio toti hac in re innixi sunt, seque ipsos tantummodo consulunt. *Postremo*: nullum in veram religionem detrimentum provenire ex eo posse, quod Theologi catholici ad expendenda Philosophorum dogmata S. Scripturam adhibeant, nisi forte *vera religionis* nomine eam, quam ipse profitetur, Vir doctissimus intelligat. Tunc enim eidem damus & ipsi, Philosophorum limitibus sese immiscere neutiquam posse Theologos, quin maximum illa detrimentum subeat, semperque hanc ob causam sit subitura. Dixi autem, *nullum in veram religionem*, in eam scilicet, quam tenet Romana Ecclesia, *posse hinc detrimentum derivari*. Certissima quippe mihi res est, verum vero contrarium nec esse modo, nec unquam esse futurum. Ceterum turpiter hallucinatur Cl. Volfius, si tantæ auctoritatis se esse putet, ut Theologis catholicis possit leges præscribere. Plurimum, & jure quidem, ei semper dabunt Mathematici, neque parum Philosophi; sed certo sciat, Theologos catholicos nihil prorsus ipsi unquam esse daturos.

(a) De *moderamine ingeniorum* lib. I. cap. 21.

(b) In præfat. *assert. artic.*, & in *assert. artic.* 27, 28, 29.

PROPOSITIO VIII.

Inhoneſtati ea plurimum favet opinio, quæ ponit, ad ſenſibilium rerum perceptiones & appetitiones excitandas in anima nihil adeo mutationes illas conferre, quæ a rebus ipſis in organis ſenſoriis fiunt, ut eaſdem ipſas perceptiones atque appetitiones haberet mens, quas habet modo, quamvis neque corpus, neque adſpectabilis mundus reipſa exiſteret.

207. *Probatur*. Ea opinio inhoneſtati quammaxime favet, ex qua apertiſſime ſequitur, ad fovendas honeſtas cogitationes, turpeſque vitandas perinde eſſe omnino, qualiſcunque externorum ſenſuum cura adhibeatur. Si namque ad hominem interiorem recte inſtituendum nihil prorſus facit cura hominis exterioris, dandum dubio procul cuique eſt, ut libere ſenſibus indulgeat ſuis. Nec enim aliquid mali, hac hypotheſi facta, contingere animæ poteſt, ſi illis laxentur frœna; neque aliquid boni, ſi inordinati illorum motus ſumma etiam diligentia, omnique ſtudio coerceantur. Poſito autem, ad ſenſibilium rerum perceptiones, appetitioneſque in anima excitandas nihil adeo conferre paſſiones organorum ſenſoriorum corporis, ut eædem ipſæ perceptiones atque appetitiones, quæ in illa contingunt, dum corpori copulata eſt, in eadem conſequerentur, non ſolum licet corpori non eſſet unita, verum etiam licet neque corpus ipſum, neque ſenſibilis mundus exiſteret, nihil penitus facit externorum ſenſuum cura ad honeſtas fovendas cogitationes, turpeſque vitandas. Quod enim nihil confert ad aliquod producendum, illius non requiritur exiſtentia, ut effectus ipſe producatur. Ergo inhoneſtati ea plurimum favet opinio, quæ aſſerit, paſſiones organorum ſenſoriorum corporis ad productionem perceptionum atque appetitionum nihil prorſus menti conferre.

SCHOLION I.

208. Externorum ſenſuum cuſtodiam ad interiorem regulandum hominem, riteque inſtuendum conferre plurimum, quinimo neceſſario requiri, non eſt, quod oſtendam. Id quippe certum eſt adeo, ut ab illo tantum poſſit in dubium verti, qui vel carne careat, vel ipſi experientiæ velit apertiſſime refragari. Divinæ autem Scripturæ, atque Patrum teſtimonia, quibus luculenter demonſtrari idipſum poteſt, lubens prætereo. Ex iis enim, quæ in præcedentis propoſitionis de-

demonstratione dicta sunt, satis superque patet, hac super re quæ sit sacrarum Literarum, Patrumque sententia.

SCHOLION II.

209. Quæ diximus §. 180., hoc etiam loco velim repetantur, videlicet mutationes corporis neque ut existentes, neque ut prævisas, aliquid vel minimum ad rerum ideas producendas, juxta *præstabilita harmonia* systema, menti conferre; & ideo reponere non posse *harmonistas*, fore, ut anima inhonestis careret cogitationibus, si sensuum refrœnatio prævisa fuisset in corpore, cui destinabatur.

COROLLARIUM.

210. *Præstabilita harmonia sistema ad inhoneste vivendum viam apertissimam sternit*. Illius enim fundamentale principium est, passiones organorum sensoriorum corporis ad rerum sensibilium perceptiones, atque appetitiones in anima excitandas nihil prorsus conferre (§. 165.)

ANIMADVERSIO.

211. Nisi velit Cl. Volfius, passiones externorum sensuum non solum impedire posse, ne mens honeste cogitet, verum etiam posse efficere, ut inhonestis cogitationibus ipsa torqueatur, quamvis in suis producendis perceptionibus atque appetitionibus illa sit a corpore, ut ipse docet, omnino independens, nihilque ad illarum productionem conferat præsentia idearum materialium in cerebro (a); atque hinc nisi velit, pugnantia simul in uno posse componi, fateatur necesse est, se in errorem fuisse lapsum, cum docuit, *in gratiam systematis commercium inter mentem & corpus explicandi, in Philosophia practica nihil esse immutandum* (b). Constat enim, in gratiam systematis *harmonia præstabilita*, cui ipse tam aperte patrocinatur, dicendum esse, ad interiorem tuendam honestatem nihil prorsus conferre externorum sensuum disciplinam; ac propterea non habere locum solemne illud Christianæ Moralis principium, quod nobis toties inculcant divinarum Literarum, & S.S. Patrum oracula, videlicet *ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum sensuum disciplinam servari debere*

(a) Psychol. *ration.* §. 614.
(b) Ibidem §. 538.

debere (a); *tuncque subrepere vitia contraria rationi, cum anima dilecto corpori suo indulgentius remittit* (b).

PROPOSITIO IX.

Nulla mala concupiscentia esset in anima ex illius unione cum carne, si in rerum sensibilium perceptionibus & appetitionibus producendis adeo esset ipsa mens a corpore independens, ut, quas perceptiones, atque appetitiones producit corpori copulata, easdem prorsus eodem modo produceret, non solum sejuncta a corpore, verum etiam quamvis nullum sensibile corpus reipsa existeret.

212. *Probatur*. Nulla mala concupiscentia, quæ posset unioni mentis cum carne referri accepta, haberetur in anima, si nullum prorsus, cui illa copularetur, corpus existeret. Quod enim in rerum natura reapse non est, nullius realis effectus causa esse potest. Facta autem hypothesi, ut, quas rerum sensibilium perceptiones atque appetitiones producit anima copulata corpori, mundoque adspectabili existente, easdem eodem plane modo esset productura, licet neque corpus, cui juncta est, neque adspectabilis ipse mundus existeret, sequitur, perinde prorsus quoad perceptionum appetitionumque productionem se habere animam corpori unitam, ac se haberet a corpore separata, ipsoque mundo adspectabili nequaquam existente. Quod enim ad aliquem producendum effectum nihil penitus confert, perinde est omnino ad ipsius effectus productionem & existentiam, sive illud existat, sive non existat. Ergo nulla mala concupiscentia esset in anima ex illius unione cum carne, si in rerum sensibilium perceptionibus atque appetitionibus producendis nullatenus a corpore dependeret.

Confirmatur. Vel enim aliqua realis mutatio potest ex motibus carnis, cui rationalis anima copulata est, in ipsa anima contingere, vel nulla. Si nulla: ergo nulla quoque mala concupiscentia potest ex eo in animam derivari, quod infectæ carni conjuncta sit. Si aliqua: ergo non eodem modo, quoad sensibilium rerum perceptiones atque appetitiones producendas, se habet anima unita carni, ac se haberet, si nulla, cui conjungeretur, caro existeret.

SCHO-

(a) S. Gregorius Papa lib. XXI. *Moralium* cap. 2.
(b) Paulinus Aquilejensis Patriarcha lib. de *salutaribus documentis*, S. Augustino olim adscripto, cap. 34.

SCHOLION.

213. Huc itidem facit, quod diximus §. 180. Videlicet humanam mentem fabricatam a Deo non esse juxta *harmonistas* ad normam corporis; & ideo neminem eorum posse reponere, malam concupiscentiam, quæ dicitur animæ ex carne, repetendam esse ex mutationibus organorum sensoriorum corporis, non quidem existentibus reipsa, sed tantum prævisis.

COROLLARIUM I.

214. *Præstabilita harmonia admisso systemate, dandum necessario est, nullam malam concupiscentiam ex eo excitari in nobis posse, quod infectæ carni mens nostra conjungatur*. Hoc enim admitti nequit systema, quin detur, humanam mentem in rerum sensibilium perceptionibus atque appetitionibus producendis nullatenus a corpore, cui juncta est, dependere (§. 165.). Hinc

COROLLARIUM II.

215. *Admitti non potest harmonistarum systema, quin divinarum Scripturarum oraculis, & SS. Patrum doctrinæ apertissime refragemur*. Ex unione quippe mentis nostræ cum infecta carne malam in nobis concupiscentiam oriri, aperta adeo tum divinæ Scripturæ, tum SS. Patrum sententia est, ut nullus, ne levissimus quidem, esse possit hac de re ambigendi locus. Docemur siquidem primo ipsiusmet Dei oraculo, corpus maximo nobis esse impedimento, ne in supernarum rerum contemplatione libere versemur, easque amore prosequamur. *Corpus, quod corrumpitur*, inquit divina Sapientia, *aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* (a): quod exponens S. Bernardus, ait: *nos in regione ista sumus, ubi plurimum est malitia, sapientia parum; quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Per* sensum *hic arbitror* intellectum *designari, qui tunc vere deprimitur, cum multa cogitat, cum non colligit se circa illam unam meditationem, quæ concipitur de civitate illa, cujus participatio ejus in idipsum. Hujusmodi intellectum oportet deprimi, & distrahi per multa multis & multiplicibus modis*. Animam *vero hic æstimo dici* affectiones, *quæ, corrup-*

(a) Sapientiæ cap. IX. v. 15.

rupto corpore, diversis passionibus afficiuntur, quæ mitigari nunquam possunt, ne dicam sanari, donec voluntas unum quærat, & tendat ad unum. Duo ergo sunt, quæ in nobis purganda sunt, intellectus, *ut noverit;* affectus, *ut velit* (a), sive, quemadmodum monet S. Augustinus, *nitendum est, ut carnis cupiditates spiritus vigore superentur, & interior homo, qui semper sibi sentit resisti, semper de divino auxilio expetat adjuvari* (b). Secundo: *concupiscit caro*, inquit Apostolus, *adversus spiritum, & spiritus adversus carnem* (c). Concupiscere autem dicitur caro adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, quatenus, ut ait Cassianus, *caro luxuriis, ac libidine delectatur; spiritus ne ipsis quidem naturalibus desideriis acquiescit. Illa concupiscit satiari somno, repleri cibo; hic vigiliis & jejuniis ita saginatur, ut ne ad ipsum quidem necessarium vitæ usum, somnum cibumque velit admittere. Illa cupit exuberari copiis universis; hic ne ipsius quidem exigui panis quotidianam substantiam habere contentus est. Lavacris illa nitescere, & quotidianis adulantium cuneis appetit constipari, hic squallore sordium, & inaccessibilis eremi vastitate congaudet. Honoribus illa, & laudibus confovetur; hic irrogatis sibi persecutionibus injuriisque lætatur* (d). Postremo, dixerat olim idem Apostolus: *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis* (e). Hasce autem sibi invicem pugnantes leges in nobis esse ostendens S. Augustinus contra Julianum Pelagianum, hæc affert ex S. Cypriano: *est inter carnem, & spiritum colluctatio, & discordantibus adversus se invicem, quotidiana congressio, ut, non quæ volumus, ipsa faciamus, dum spiritus cœlestia, & divina quærit, caro terrena & sæcularia concupiscit. Et ideo petimus, inter duo ista, ope & auxilio Dei, concordiam fieri, ut dum & in spiritu, & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata est anima, servetur* (f). Relinquitur ergo, nos ita nunc esse constitutos, ut, quemadmodum præclare advertit laudatus S. Doctor, *& per carnem voluptate affici, & per spiritum honestate possimus* (g). Ceterum *hoc bellum*, ut ejusdem S. Doctoris verbis utar, *quod in nobis ipsis adversus nos ipsos gerendum suscepimus, experiuntur in se, neque negare possunt; libidinis acerrimi expugnatores, non impudentissimi laudatores* (h).

Co-

(a) Serm. III. de *Ascensione*.
(b) Apud Auctorem *Milleloquii* v. *caro*. Brixiæ 1734.
(c) Ad *Galatas* cap. V. v. 17.
(d) *Collat.* IV. cap. 11.
(e) Ad *Romanos* cap. VII. v. 23.
(f) Lib. II. *contra Julianum* num. 6., alias cap. 3.
(g) Lib. *de duabus animabus* contra Manichæos num. 19., alias cap. 13.
(h) Lib. II. *contra Julianum* num. 5., alias cap. 3.

Corollarium III.

216. *Harmonistarum si detur hypothesis, nulla prorsus ea concupiscentia est, quam peccato originali Theologi acceptam referunt.* Concupiscentia enim, quæ, S. Augustini sententia, peccatum est, simulque pœna, atque causa peccati (a), ex carne in animam derivatur. *Quod in membris corporis mortis hujus*, inquit laudatus S. Doctor, *inobedienter movetur, totumque animum in se dejectum conatur adtrahere, & neque, cum mens voluerit, exsurgit, neque, cum mens voluerit, conquiescit, hoc est malum peccati, in quo nascitur omnis homo* (b). Data autem *harmonistarum* hypothesi, nulla est concupiscentia, quæ ex carne derivari in animam possit (§. 214.). Ergo, hac hypothesi admissa, nulla prorsus ea concupiscentia est, quam peccato originali Theologi ferunt acceptam.

Corollarium IV.

217. *Divisio animæ in partem superiorem, & inferiorem, quam communi calculo ex Scriptura, & Patribus tradunt Theologi, nulla est, si harmonistarum hypothesis admittatur.* Pars hominis *superior* dicitur anima, quatenus avocat se a sensibilibus, atque ad superna, Deo auxiliante, ascendit, & justitiam sectatur. Pars vero *inferior* dicitur eadem ipsa anima, quatenus, unita corpori, adeo a sensibilibus rebus afficitur, corporisque motibus commovetur, ut in illarum abripiatur amorem, atque a sectanda justitia retrahatur. Nullam itaque in nobis esse hanc *inferiorem* partem, *harmonistarum* admisso systemate, perspicuum arbitror. Ut enim nulla mala concupiscentia, illo systemate posito, ex carne in animam provenit, ita haud recte, causa unionis cum carne, potest duplex illa *inferior*, atque *superior* pars in anima distingui.

Scholion.

218. Dixi, *harmonistarum* admisso systemate, Theologicam divisionem animæ in partem *superiorem*, & *inferiorem* non habere locum. Puto namque, *harmonistas* ejus non esse sententiæ, ut velint, concupiscentiam, quæ in inferiori animæ parte vigere dicitur, oriri ex car-

(a) Lib. V. *contra Julianum* nu. 8. alias cap. 3.

(b) Lib. I. *de peccatorum meritis*, & *remissione* n. 17., alias cap. 29.

carne *idealem* in anima *existentiam* habente. Ita enim si opinentur *harmonistæ*, grave eis ne sit, si iterum dixero, ipsorum systema *idealismo* manifeste favere.

COROLLARIUM V.

219 *Præstabilitæ harmoniæ admisso systemate, concupiscentia, quæ dicitur animæ ex carne, fuisset in anima, quamvis carni minime esset conjuncta, quinimo eadem prorsus mala concupiscentia in illa manet etiam a corpore separata.* Hoc enim posito systemate, nulla mala concupiscentia derivari in animam potest ex illius unione cum carne (§. 214.). Ergo, quæ modo est in anima copulata carni, eadem prorsus in illa haberetur, quamvis juncta carni nequaquam fuisset, eademque in illa manet, etiam dum a corpore separata existit. Profecto, si quid accidit animæ ob illius unionem cum carne, jam ipsi animæ, quoad perceptiones rerum sensibilium, earumque appetitiones, perinde non est, sive existat corpus, sive non existat.

ANIMADVERSIO I.

220. Nemo me accuset, si falli Cl. Volfium iterum dixero, cum putat, *nullum systema explicandi commercium inter mentem atque corpus, Scripturæ Sacræ adversum esse posse, nisi eidem admisceantur errores, qui abesse & possunt, & debent* (a); ac propterea *veritatibus revelatis suum stare honorem, qualecunque tandem systema defendatur, modo eidem non admisceantur errores, qui ad idem non spectant, sed per leges bonæ methodi abesse debent; neque Philosophum turbare dogmata theologica, quamcunque tandem de commercio isto foveat opinionem. Theologo adeo non interesse, quodnam de commercio inter mentem, ac corpus systema defendat Philosophus; cumque non inutile sit, systemata quæcunque excoli, & in foro philosophico de iisdem disputari, Theologum etiam Philosopho suam statuendi libertatem illæsam relinquere posse* (b). Falli, iterum dico, Virum doctissimum, dum hæc tradit. Nisi enim ostenderit, vel stare posse *præstabilitæ harmoniæ* systema, licet mens ponatur in suis producendis perceptionibus atque appetitionibus, a corpore reipsa dependere; vel hanc mentis a corpore independentiam neque officere interiori honestati, neque impedire, quominus mala con-

(a) Psychol. *ration.* §. 545.
(b) Ibidem §. 546.

concupiſcentia in anima, ex illius unione cum infecta carne, contingat, conſtans mihi erit opinio, I. *ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ adverſari S. Scripturæ, quamvis nullus error illi perperam admiſcatur*. II. *veritatibus revelatis, admiſſo harmoniſtarum ſyſtemate, ſuum neutiquam ſtare honorem*. III. *Theologica dogmata ab eo, qui præſtabilitæ harmoniæ tuetur hypotheſim, non parum turbari*. IV. *Theologis catholicis intereſſe plurimum probe ſcire, quodnam Philoſophi de cauſa commercii mentis cum corpore ſyſtema defendant; neque eos poſſe ſine piaculo, ſuam hac ſuper re ſtatuendi licentiam illæſam Philoſophis relinquere*. Arbitror porro, nunquam fore, ut oſtendat Vir Cl., ſyſtema *præſtabilitæ harmoniæ* habere locum, quamvis mens ponatur a corpore in rerum perceptionibus producendis, rebuſque ipſis appetendis dependere. Cum enim aperte docuerit, humanam mentem independentem adeo eſſe a corpore, juxta *præſtabilitæ harmoniæ* ſyſtema, ut, quas rerum perceptiones, atque appetitiones producit corpori unita, eaſdem eodem modo produceret, etiam nullo, cui copularetur, corpore exiſtente, aut errorem, qui abeſſe poteſt, huic ſyſtemati perperam ipſe quoque admiſcet, aut aperta contradictione ſibimetipſi, ut ſuperiori loco oſtenſum eſt, adverſatur.

ANIMADVERSIO II.

221. Nunquam dabimus Cl. Volfio, *difficultatem de concurſu Dei ad malum non majorem eſſe in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ, quam in ſyſtemate influxus phyſici* (a). Non enim apparet, quomodo id verum eſſe poſſit, ſi humanum corpus ſit ad eos etiam agendos motus, qui volitionibus animæ reſpondent, per ſuam ſtructuram, ut fateri vel invitus debet Vir ipſe Cl., determinatum. Hoc ſiquidem poſito, ingens inter ſyſtema *harmoniæ præſtabilitæ*, & ſyſtema *influxus phyſici* diſcrimen profecto eſt. Etenim juxta ſyſtema *influxus phyſici* Deus ita ad inhoneſtos corporis motus concurrit, ut eorum tamen phyſica determinatio ſit a voluntate; propterea nimirum quia, juxta *influxioniſtas*, corpus ſit ad eos omnes vi ſuæ ſtructuræ æque diſpoſitum, ac paſſive prorſus indifferens. Contra vero, ſi Volfium ipſum audiamus, corpus juxta ſyſtema *harmoniæ præſtabilitæ* tali artificio formatum a Deo eſt, ut vi ſui tantummodo mechaniſmi, independenter ab omni determinatione, quæ animæ queat accepta referri, omnes ſuos motus, ſive bonos, ſive malos, ex æquo perficiat; unde juxta hoc ſyſtema Deus ita ad turpes etiam motus concurrit, ut omnes ab eo fue-

(a) Pſychol. *ration*. §. 636.

fuerint in ipso corpore physice determinati; ac proinde non tantum permissive, & actione generali, sed speciali quodam concursu in illos influit. Sane, nisi velit Vir doctissimus, eodem modo concurrere ad inordinatum alicujus machinæ motum, qui eam tali lege formavit, ut ad illum dumtaxat, vi sui mechanismi, sit apta, & eum, qui machinam ipsam constituit tam ad ordinatos, quam ad inordinatos agendos motus per suam structuram ex æquo dispositam, indigentem propterea externo agente, a quo determinetur; non dubito, quin nobiscum fateatur, difficultatem de concursu Dei ad malum longe majorem esse in systemate *harmoniæ præstabilitæ*, quam in systemate *influxus physici*; quinimo in hoc ferme nihil; plurimum vero in illo, difficultatem hanc negotii facessere.

PROPOSITIO X.

Macerationes carnis rejiciendæ sunt, utpote ad eam subigendam spiritui prorsus inutiles, si passiones organorum sensoriorum corporis nihil adeo conferant animæ ad sensibilium rerum perceptiones, & appetitiones producendas, ut quas illa producit corpori copulata, eadem ipsa eodem ab ipsa modo producerentur, licet neque corpus, cui copulata est, neque adspectabilis ipse mundus existeret.

222. *Probatur*. Inutiles sunt, atque adeo rejiciendæ, macerationes carnis ad eam subigendam spiritui, si eadem iniqua desideria habitura sit mens, illis macerationibus positis, ac haberet, si caro tot cruciatibus minime affligeretur. Eadem autem iniqua desideria habitura est mens nostra, cruciata carne, quas habet, carne suo genio relicta, si tanta sit ipsius mentis quoad rerum perceptiones atque appetitiones independentia a corpore, ut passiones corporis nihil ei hoc in negotio conferant; sique ipsa mens productura esset easdem appetitiones, quas modo producit, quamvis neque corpus, cui copulata est, neque sensibilis ipse mundus existeret. Dependet enim mens a corpore, & quidem *realiter*, si qua mala affectio potest ex repressis motibus corporis in ipsa anima cohiberi, & prorsus extingui, ut ex ipsis terminis videtur perspicuum. Ergo, hac admissa mentis a corpore independentia, omnes macerationes carnis rejiciendæ sunt, utpote ad eam spiritui subigendam prorsus inutiles.

Co-

Corollarium I.

223. *Admitti nequaquam potest præstabilitæ harmoniæ systema, quin macerationes carnis, tamquam ad eam spiritui subigendam plane inutiles, rejicere vel inviti cogamur.* Corruit enim hoc systema, si passiones corporis ad sensibilium rerum perceptiones & appetitiones producendas aliquid vel minimum menti conferant. Hinc

Corollarium II.

224. *Aut harmonistarum systema reiiciendum est, aut ridenda sunt omnia, quæ de penitentia tum ex Divina Scriptura, tum ex S. S. Patribus catholica tradit Ecclesia.* In maceratione quippe carnis posita pænitentia est, quam catholica Ecclesia Divinis edocta oraculis, atque a SS. Patribus instructa, nobis toties inculcat.

Animadversio.

225. Tantam esse, auctore Volfio, mentis a corpore in rerum perceptionibus atque appetitionibus producendis independentiam, ut ad hasce omnes affectiones in illa excitandas, perinde omnino sit, juxta *harmonistarum* systema, sive existat corpus, sive non existat, non est, cur iterum dicam. Audiendus idcirco non videtur Cl. Auctor, cum ait, *nullum adeo errorem minori periculo subjacere, quam qui de commercio inter animam atque corpus committitur, ut adeo vana sint illorum molimina, qui tanta acerbitate contra istiusmodi systema pugnant, quasi totius generis humani salus ab uno eorum penderet* (a). Tantum enim abest, ut nullus error minori periculo subjaceat, quam qui in explicando mentis cum corpore commercio committitur, quin potius dignus ille jure ac merito sit, qui inter periculosissimos censeatur. Ex hactenus siquidem traditis satis patet, magisque adhuc ex infra dicendis perspicuum fiet, quam grande errandi in fidei morumque doctrina ex uno falso *præstabilitæ harmoniæ* admisso systemate periculum nobis immineat. Porro etsi detur Viro Cl., humanam salutem a modo, quo mentis cum corpore commercium exponatur, *immediate* non dependere, negandum tamen non est, eam dependere ab illo posse *mediate*, quatenus nempe errandi in iis, quæ ad æternam hominis salutem pertinent, potest hinc facile occasio desumi. Modus certe,

(a) Psychol. *ration.* in *not.* ad §. 538.

certe, quo hoc commercium ab *harmoniſtis* exponitur, hujuſmodi non eſt, ut, catholicæ fidei ſalva doctrina, ſuſtineri a nobis merito poſſit. Non ergo vana, ut ille ait Vir Cl., ſed neceſſaria, non repræhenſione, ſed laude digna, ſunt illorum molimina, qui non dicteriis, ſed rationibus, non livore invidiæ, ſed veritatis amore, tutandæque veræ religionis cauſa, in *harmoniam præſtabilitam* inquirunt, ejus principia ad trutinam revocant, quæque ex illis inferri jure ac merito poſſunt, probe conſiderant. Sicuti porro vult Cl. Auctor, ut probe perpendantur, quæ in ſingulis hac de re propoſitionibus ipſe inculcat, ne ſcilicet (illius ſunt verba) *temerariis judiciis inanes turbæ excitentur, non ſine multorum injuria* (a), nobis quoque res in votis eſt, ut Theologi catholici æquo expendant animo, quæ hoc ſuper ſyſtema tumultuario ſtudio ipſi notavimus, ne ſcilicet minus cautis, parumque attentis, non ſine gravi damno, *harmoniſtæ* imponant.

PROPOSITIO XI.

Si humana mens in ſuis perceptionibus producendis a nullo penitus externo principio reipſa dependet, rerum notiones, quas ſucceſſive habet ipſa mens, neceſſario adeo in illa excitantur, ut earum productio impediri nullatenus a nobis poſſit.

226. *Probatur*. Nequit humana mens a nullo externo principio in rerum notionibus producendis reipſa dependere, niſi illas omnes ita ipſa producat, ut per ſuam eſſentiam ſit ad eas producendas determinata. Si namque per ſuam eſſentiam determinata non eſt ad unam potius, quam ad aliam notionem, atque notionum ſeriem producendam, determinari ab alio debet extra ipſam poſito; ac proinde ab illo dependet, quemadmodum corpus, quia per ſuam naturam eſt ad unam potius, quam ad aliam ſpatii partem motu ſuo peragendam indeterminatum, extrinſeco indiget principio, a quo ſua vis motiva determinetur. Neceſſario autem, & quidem adeo, ut impediri nullatenus poſſit, eas omnes rerum notiones in ſeipſa producit mens, quas modo producit, ſi ad eas producendas per ſuam eſſentiam ponatur determinata. Neceſſario quippe fit, quod per naturam fit; unde cor, quia per ſuam ſtructuram, ſive eſſentiam, eſt determinatum ad *ſyſtolem*, atque *diaſtolem* peragendam, neceſſario adeo hunc agit motum, ut fieri nequeat, quin, ſalva illius ſtructura, hac ratione non moveatur. Ergo neceſſario eas rerum notiones producit mens, quas modo producit, ſi a nullo prorſus externo principio in illis producendis ipſa dependeat.

Di-

(a) Pſychol. *ration.* in *not.* ad §. 538.

Dices, vim perceptivam mentis determinari a voluntate ad unam potius, quam ad aliam rei notionem, atque notionum seriem producendam.

Contra: quia vel nulla est notio, ad quam producendam vis mentis perceptiva *immediate* a voluntate non determinetur; vel sunt quædam, ad quas vis ipsa per suam naturam determinata est, quædam vero, ad quas a voluntate *immediate* determinatur. Si primum igitur poterit mens cœci nati notionem luminis atque coloris cujusque in se producere; cum hujusce notionis sola mentis volitio sit *ratio sufficiens*; positaque *ratione sufficienti*, necessario ponatur id, quod propter eam existit potius, quam non existit (P.I. §. 133.). Hoc autem quam sit falsum, nemo non videt. Ergo falsum est, nullam esse notionem, ad quam producendam vis mentis perceptiva *immediate* a voluntate non determinetur. Sin vero alterum: scire optarem, quæ sit ratio, cur vis perceptiva, si quoad aliquas rerum notiones subjicitur determinationi voluntatis, eidem non subjiciatur quoad omnes; & vicissim, cur si ad aliquas per suam naturam determinata est, non sit ad omnes per suam itidem naturam determinata, quæque insuper sint rerum notiones, in quibus producendis mens subjicitur determinationi voluntatis, & quæ illæ sint, ad quas vis ipsa perceptiva est per suam naturam determinata. Demum adhuc stat, si non omnes, aliquas saltem rerum notiones ita necessario in mente excitari, ut illarum productio impediri a nobis nulla penitus ratione possit. Itaque a voluntate non determinatur mens, ut unam potius, quam aliam notionem rei producat. Quamobrem, si a nullo extrinseco determinativo in hoc negotio mens ipsa dependet, dicendum necessario videtur, eam ipsa sua natura esse ad certas producendas ideas determinatam; ac proinde notiones alias ab illis diversas, quin ejus natura mutetur, ab ea produci minime posse.

SCHOLION I.

227. De immediata dumtaxat dependentia mentis a voluntate in rerum notionibus producendis res in præsens nobis est. Concedimus enim, voluntatem impedire posse, ne in nobis certa excitetur rei notio, simulque posse efficere, ut una potius, quam alia notio rei in nobis producatur, quatenus nempe potest prohibere, ne illa mutatio in organis sensoriis fiat, quam determinata notio in mente consequitur; & potest efficere, ut ipsa sensoria ab ea re, cujus notionem quærit, ratione debita afficiantur.

Corollarium I.

228. Quoniam per *harmonistas* humana mens in rerum notionibus producendis a nullo externo principio dependet (§. 162.), *nullum est præstabilitæ harmoniæ systema, nisi pro re certa habeatur, mentem ipsam adeo necessario eas omnes, quas producit, rerum notiones producere, ut impediri, atque ad alias producendas determinari, nulla prorsus ratione a nobis possit*. Quamobrem

Corollarium II.

229. *Humana mens*, harmonistarum si detur hypothesis, *omni suas in perceptiones libertate destituta est*. Non enim liberum est nobis, quod nobis nolentibus accidit. Hinc

Corollarium III.

230. Harmonistarum systemate posito, *neque commendatione digni sunt, qui honestas ideas in seipsis excitare nituntur; neque digni reprehensione, qui turpes fovere, inhonestasque sibi in mentem revocare, delectantur*. Nec enim illi honestis, neque turpibus isti carere cogitationibus libere possunt.

Scholion II.

231. Non videtur omittendum, minime posse fieri, ut humana mens sit per suam naturam ad eas, quas successive habet, rerum notiones determinata, quin *aut mentes omnium hominum easdem rerum ideas habeant, eodemque modo atque ordine illæ in omnibus consequantur*; aut quin *anima unius hominis essentialiter ab anima alterius differat*; atque hinc, *quot sunt homines, tot sint eorundem species*. Determinata nequit esse mens ipsa sua natura, quin in quavis anima eædem sint rerum notiones, si eadem sit omnium essentia; quippe nulla est ratio, hac facta hypothesi, cur unius ideæ ab iis sint diversæ, quæ in altera excitantur. Differre vero *essentialiter* debent mentes, si non eadem idearum series in omnibus producatur. Etenim, si idearum series eadem in omnibus non est, neque idem in omnibus erit principium, a quo series ipsa determinatur. Hoc autem principium est ipsa mentis percipientis essentia. Ergo humanæ mentes

penes

penes essentiam differunt; ac proinde tot sunt animarum species, quot individua numerantur. Igitur aut essentiale inter humanas mentes discrimen est, aut ab externo principio in rerum notionibus producendis mens quælibet determinatur, ab eoque idcirco in hoc negotio dependet. Hinc

COROLLARIUM IV.

232. Propugnari nequit *præstabilitæ harmoniæ* systema, nisi pro re certa habeatur, *rationales animas natura sua esse diversas: totque idcirco esse hominis species, quot ejusdem individua numerantur.*

ANIMADVERSIO I.

233. Posita valida immutatione organi sensorii a re sensibili, ipsius rei notionem necessario in mente excitari, non inficiatur Cl. Volfius. Inquit enim: *si objectum sensibile in organum sensorium rite constitutum agit, necessario sentimus, seu in anima potestate positum non est, utrum velit sentire, nec ne* (a). Igitur etiam per Volfium producuntur in anima notiones quædam, quæ impediri non possunt. *Præsentia* autem *idearum materialium in cerebro*, adeoque & immutatio organi sensorii, *ad rerum notiones producendas*, ut ipse ait, *nihil prorsus confert* (b). Ergo notio, quæ necessario excitatur in anima, posita immutatione organi, necessario in eadem excitaretur, quamvis nulla in ipso organo fieret immutatio. Itaque vel notio, quæ necessario producitur, sine ulla plane ratione hoc modo producitur; & ideo errat Cl. Auctor, cum docet, nihil sine *sufficienti ratione* esse admittendum (c); aut fateri nobiscum debet, humanam mentem in perceptionum productione independentem ab omni externo principio esse non posse, quin ipsa sua natura ad certas rerum notiones producendas sit determinata. Equidem scio, sententia Viri doctissimi, *si mutatio in organo sensorio accidit, mentem necessario sentire*; quia *in mutatione, quam objectum sensibile organo inducit, continetur ratio sufficiens sensationum* (d). Verum ignoro, quomodo verum tunc esse queat, *animam vi propria producere omnes perceptiones, & appetitiones independenter ab omni principio externo*; atque hinc *præsentiam idearum materialium in cerebro ad eas producendas nihil prorsus conferre*, adeo ut *perceptiones, & appetitiones eodem*, quo

(a) Psychol. *empir.* §. 78.
(b) Psychol. *ration.* §. 614.
(c) *Ontol.* §. 70.
(d) Psychol. *empir.* §. 79.

quo nunc, modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret (a). Videtur quippe mens determinari ab organi immutatione ad unam potius, quam ad aliam rei notionem producendam, adeoque ab immutatione organorum sensoriorum corporis in rebus sensibilibus percipiendis ipsam dependere, si in organorum passione *sufficiens* illius notionis *ratio* comprehendatur.

ANIMADVERSIO II.

234. Triplici modo, Cl. Viri judicio, a voluntatis arbitrio sensationes dependent. Primo: *si ex decreto animæ ob sensationes prævisas situs corporis mutetur* (b). Secundo: *si ex decreto animæ situs corporis non mutetur, sensationum prævisarum gratia; nec alio quocunque modo impediatur, ne sensibile aliquod in organum sensorium agat* (c). Postremo: *si quid ex decreto animæ agatur eo fine, ut sensibile quodpiam percipiatur, aut quid eo fine ab aliis fieri jubeatur* (d). Dependent ergo sensationes a voluntate, quia a voluntate est, ut corpus eum situm obtineat, in quo ea in ipso mutatio a sensibilibus rebus peragitur, quam earundem rerum sensatio in mente consequitur. Igitur vel neque a voluntate dependet mens in rerum perceptionibus producendis; vel etiam a corporis mutationibus in illarum productione necessario dependet; unde errat Cl. Auctor, cum docet, humanam mentem non dependere ab ullo externo principio in producendis sensibilium rerum notionibus; neque præsentiam idearum materialium in cerebro ad notiones ipsas producendas aliquid vel minimum conferre (e). Ego certe hæc inter se mutuo conciliare non valeo, quemadmodum neque possum animo comprehendere, quomodo, rejecta omni reali dependentia mentis a passionibus corporis, salva sit altera ejusdem doctissimi Viri doctrina, videlicet quomodo tunc sit verum, nullam in anima sensationem contingere, si vel sensorium corporis organum a sensibili avertamus objecto (f), vel objecti actio in ipsum sensorium aliquo a nobis modo impediatur (g). Videtur quippe hinc apertissime sequi, sensationem a passiva organi sensorii immutatione, non secus atque effectus a sua causa, reipsa dependere.

ANI-

(a) Psychol. *ration.* §. 614.
(b) Ibidem §. 151.
(c) Ibidem §. 152.
(d) Ibidem §. 152.
(e) Ibidem §. 614.
(f) Psychol. *empir.* §. 80.
(g) Ibidem §. 81.

ANIMADVERSIO III.

235. Aut nulla est ratio, qua ostendit Vir doctissimus, *in unaquaque anima seriem perceptionum diversam esse a serie perceptionum animæ cujuscunque alterius* (a); aut falsum est, *præsentiam idearum materialium in cerebro ad perceptiones, & appetitiones producendas nihil prorsus conferre* (b). Ideo enim in unaquaque anima series perceptionum diversa est a serie perceptionum animæ cujuscunque alterius, quia in duobus hominibus sive eodem, sive diverso tempore natis, eadem contingere nequit mutationum corporearum series, quatenus nempe nequit fieri, ut *corpora momentis singulis per omnem utriusque hominis vitam eundem prorsus habeant situm; neque possint diversa corpora easdem mutationes inducere eodem modo ad corpus organicum, quod ad animam spectat, relata* (c). Diversa igitur est in unaquaque anima series perceptionum; quia non in cujusvis hominis corpore eadem mutationum series perficitur. Ergo determinatio mentis ad unam potius notionem, atque notionum seriem, quam ad aliam, producendam oritur a mutationibus, quæ contingunt in corpore, adeoque ab ideis materialibus, quæ in cerebro excitantur. Dependet itaque mens ab ideis istiusmodi, si verum est Volfianum illud principium, unumquodque scilicet ab eo dependere, a quo determinatur (d). Quod si ab ideis materialibus, tamquam a suo reali determinativo, dependet mens, relinquitur profecto, ideas ipsas ad rerum notiones producendas aliquid menti conferre.

ANIMADVERSIO IV.

236. Docet laudatus Auctor, *in systemate harmoniæ præstabilitæ animam hanc non posse uniri, nisi huic corpori per ipsam utriusque substantiæ essentiam, atque naturam animæ*, quatenus nempe juxta hoc systema *anima, vi sibi propria, producit omnes suas perceptiones & appetitiones continua serie; quæ singulæ eodem, quo nunc, modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret, & quidem per essentiam & naturam ipsius*; & in corpore *vi mechanismi, adeoque essentia corporis, ex ideis materialibus sensibilium nascuntur motus volitionibus, & appetitionibus animæ respondentes citra ullam determinationem extrinsecam immediatam; qui eodem, quo nunc, modo adhuc consequerentur, etiamsi ani-*

(a) Psychol. *ration.* §. 523.
(b) Ibidem §. 614.
(c) Ibidem §. 523.
(d) *Ontol.* §. §. 116., 851.

animæ non exiſteret. Unde *quoniam nullum corpus in univerſo alteri ſimile eſt, ſive corpora, quæ inter ſe conferuntur, eodem tempore exiſtant, ſive diverſo, non datur in toto univerſo corpus quoddam aliud, præterquam hoc, in quo ſeries motuum per impreſſiones objectorum externorum in organa ſenſoria conſervari poteſt, ut ſinguli continuo conſentiant ſingulis perceptionibus, atque appetitionibus, & averſationibus animæ, eodem prorſus ordine ſeſe invicem conſequentes, quo animæ modificationes ſeſe invicem excipiunt* (a). Igitur, etiam per Volfium, *præſtabilitæ harmoniæ* ſyſtema neceſſario poſtulat, ut principii loco habeatur, rationales animas intrinſecus differre inter ſe, quemadmodum per ſuam ſtructuram differunt corpora, quibus copulantur. Etenim, ſi ſecus, non eſſet verum, hanc animam nonniſi huic corpori ea poſſe ratione conjungi, ut unius operationes motibus alterius harmonice conſentiant. Remanet ergo, in ſyſtemate *harmoniæ præſtabilitæ* tot diſtinguendas eſſe animarum rationalium ſpecies, quot hominum individua numerantur.

PROPOSITIO XII.

Si omnes motus humani corporis, ne iis quidem exceptis, qui volitionibus animæ reſpondent, vi ſolius mechaniſmi ipſius corporis peragantur, omnes modo ſunt intrinſecus neceſſarii.

237. *Probatur*. Si namque omnes motus humani corporis fiunt vi ſolius mechaniſmi, proveniunt omnes a principio naturali, ſive neceſſario. Intrinſecus autem neceſſarius eſt motus, qui ab iſtiuſmodi principio oritur. Ergo, ſi omnes motus corporis humani fiunt vi ſolius mechaniſmi, ſunt omnes intrinſecus neceſſarii.

Confirmatur primo. Nequeunt motus omnes corporis humani fieri vi ſolius mechaniſmi, niſi per illius ſtructuram ſint adeo determinati, ut, ſalva ſtructura ipſius corporis, neque motus oppoſiti ſimul in ipſo corpore poſſibiles ſint, neque fieri queat, ut, qui determinati jam ſunt, non perficiantur. Sic non poteſt fieri, experientia teſte, ut, ſalva *automatici* horologii ſtructura, illius index contrariis motibus moveri poſſit, eamque horam non deſignet, ad quam indicandam, vi interioris mechaniſmi, determinatur. Neceſſarii ſunt autem ij omnes corporis motus, qui per illius ſtructuram, ſive eſſentiam determinantur. Ergo omnes motus humani corporis intrinſecus neceſſarii ſunt, ſi omnes vi ſolius mechaniſmi perficiantur.

Confirmatur ſecundo. Etenim, ſi omnes humani corporis motus fiunt vi ſolius mechaniſmi, fiunt omnes eodem penitus modo, iiſdemque legi-

(a) Pſychol. *ration.* §. 719.

legibus, quibus motus *cordis*, & *intestinorum*, atque id genus alii, in ipso corpore peraguntur. Hos siquidem fieri vi solius mechanismi, omnibus notum est. Motus autem *cordis*, & *intestinorum* sunt hanc ob causam intrinsecus necessarii. Ergo hujuscemodi sunt etiam motus, qui volitionibus animæ respondent, si vi solius mechanismi & ipsi fiant.

COROLLARIUM I.

238. Quoniam in systemate *harmoniæ præstabilitæ* omnes motus corporis humani ita fiunt vi solius mechanismi ipsius corporis, ut perinde ad eos sit, sive in corpore existat anima, sive non existat (§. 163.), *omnes motus humani corporis, ne iis quidem exceptis, qui volitionibus animæ respondent, sunt, juxta hoc systema, intrinsecus necessarii*. Hinc

COROLLARIUM II.

239. *Hoc admisso systemate, nullus eorum motuum, qui ad nutum animæ fieri videntur, impediri modo a nobis potest*. Anima quippe nostra impedire nequit, ne aliquis eorum motuum in nobis contingat, ad quos corpus per suam structuram determinatum est, quemadmodum hanc eandem ob causam prohibere non potest anima, ne cor moveatur.

SCHOLION.

240. *Harmonistarum* neminem esse arbitror, qui velit, aliquem eorum motuum, ad quos corpus per suam structuram jam determinatum est, posse modo a nobis impediri. Cum enim humana mens, juxta *præstabilitæ harmoniæ* systema, vim non habeat agendi in corpus, fieri certe nequit, ut mens ipsa vel prohibeat modo, ne corpus moveatur, si ratione sui mechanismi moveri cogitur; vel efficiat, ut motum aliquem agat ab eo diversum, quem illius structura requirit.

COROLLARIUM III.

241. *Admitti minime posse videtur præstabilitæ harmoniæ systema, quin dicatur, non inesse homini in motus sui corporis libertatem*. Cum enim, hoc posito systemate, omnes motus humani corporis, etiam qui volitionibus animæ respondent, sint physice necessarii, & qui-

dem adeo, ut nullus eorum impediri a nobis poſſit, non video, quæ in motus noſtri corporis, hac admiſſa hypotheſi, nobis inſit libertas. Nulla igitur hæc eſt, niſi forte idem numero motus poſſit eſſe *phyſice neceſſarius*, & ſimul *liber* eo libertatis genere, quod Theologi atque Philoſophi *a neceſſitate*, ſive *indifferentia*, appellant.

S C H O L I O N.

242. Ad humanarum actionum libertatem opus neceſſario eſſe, ut homo ad nullam earum ſit per ſuam eſſentiam determinatus, nemo erit, ut arbitror, qui id vocare in dubium poſſit. *Non enim eſt nobis liberum*, inquit S. Auguſtinus, *quod in poteſtate non habemus* (a); idque in noſtra non eſt poteſtate, ad quod jam determinati per naturam ſumus; unde, teſte eodem S. Doctore, *non voluntate ſeneſcimus, ſed neceſſitate*, neque *voluntate morimur, ſed neceſſitate* (b); propterea nimirum quia, cum jam ſimus tum ad ſeneſcendum, tum ad moriendum per naturam determinati, neutrum in noſtra poteſtate eſt, ita ut ab illius nutu dependeat. *Præſtabilita* autem *harmonia* admiſſa hypotheſi, hominem eſſe ad omnes corporeos, quos agit motus, per ſuam naturam determinatum, res eſt perſpicua. Nec enim, ſi ſecus, ut diximus, omnes noſtri corporis motus vi ſolius mechaniſmi perficerentur. Ergo, *præſtabilita harmonia* ſi detur hypotheſis, nulla in motus corporis nobis ineſt libertas.

Opponunt *harmoniſtæ*, motus corporis, qui volitionibus animæ reſpondent, eſſe quidem neceſſarios, quatenus per ipſius corporis ſtructuram determinati ſunt; at ſimul liberos cenſeri eos jure ac merito poſſe, propterea quia determinati in corpore per illius ſtructuram a Deo non fuerint, niſi quatenus, vi præſcientiæ ſuæ, certiſſime novit, mentem, quæ illi copularetur, eos, & non alios, eſſe libere volituram.

Sed contra eſt; etenim, licet motus, ad quos Petri corpus per ſuam ſtructuram determinatum modo eſt, ſint ii ipſi, quos præſcivit Deus, illius animam eſſe libere volituram, eoſque propterea, & non alios, mens ipſa modo velit, hoc non tollit, quominus verum ſit, eos modo non ita eſſe in animæ poteſtate, ut, ſi ipſos nollet, non eſſent ſequuturi. Fieri quippe nequit, ut ii omnes motus a Petri corpore non peragantur, ad quos agendos jam per ſuam ſtructuram determinatum eſt; neque ipſius anima poteſt mechaniſmum ipſum

(a) Lib. III. *de libero arbitrio* num. 8., alias cap. 3.

(b) Ibidem num. 7., alias cap. 3.

sum mutare, eique ita resistere, ut unum aliquem ex iis motibus, qui vi illius mechanismi fiunt, valeat impedire. Libertas autem arbitrii in motus sui corporis non inest Petro, si nullus eorum in Petri potestate modo habeatur. Ergo, licet corpus non sit physice determinatum nisi ad eos motus, quos mens, illi juncta, modo volitura est, id non tollit, quominus nulla in motibus sui corporis Petro insit libertas.

Et sane vel homo reipsa existens, prout est unum aliquod constans ex anima, & corpore, est ad oppositos motus *realiter* indifferens, atque ad eos omnes intrinsece aptus, vel non. Si non, idque divinæ præscientiæ causa: ergo divina præscientia ita lædit libertatem hominis in motus sui corporis, ut eam prorsus evertat. Illius quippe causa nobis sublata arbitrii libertas est, cujus causa nobis non inest amplius intrinseca ad agendum, atque ad non agendum aptitudo, & indifferentia. Si autem homo est ad motus omnes intrinsece indifferens: ergo illius corpus non est, ratione sui mechanismi, ad certam agendam motuum seriem determinatum.

Perspicuum porro id magis fiet, si consideremus, humanam libertatem ideo a divina præscientia non lædi, quia rerum natura, illius causa, haudquaquam mutatur; sed intrinsecus indifferens ad agendum, & non agendum ita manet agens, posita divina præscientia, ac ipsum esset, si divina præscientia minime haberetur. Luculentissimo Boetii testimonio assumtum patet. Ostendens enim Vir celeberrimus, quomodo in tuto sit humana libertas, licet quod eventurum Deus videt, id non evenire non possit, *idem futurum*, inquit, *cum, ad divinam notionem refertur, necessarium; cum vero in sua natura perpenditur, liberum prorsus atque absolutum videri. Duæ sunt enim necessitates, simplex una, veluti quod necesse est, omnes homines esse mortales; altera conditionis, ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est. Quod enim quisque novit, id esse aliter, ac notum est, nequit. Sed hæc conditio minime secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adjectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntarie gradientem, quamvis eum tamen, cum graditur, incedere necessarium sit. Eodem igitur modo, si quid providentia præsens videt, id esse, necesse est, tametsi nullam habeat natura necessitatem. Atqui Deus ea futura, quæ ex arbitrii libertate proveniunt, præsentia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata divinum, necessaria fiunt per conditionem divinæ notionis; per se vero considerata, ab absoluta natura suæ libertate non desinunt. Fiunt igitur procul dubio cuncta, quæ futura Deus esse præ-*

no-

noscit, sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio; quæ quamvis eveniant existendo, tamen propriam naturam non amittunt; quia prius quam fierent, etiam non evenire potuissent. Quid igitur refert, non esse necessaria, cum propter divinæ scientiæ conditionem modis omnibus, necessitatis instar, eveniant? Hoc scilicet, quod ea, quæ paulo ante proposui, Sol oriens, & gradiens homo, quæ dum fiunt, non fieri non possunt; eorum tamen unum prius quoque quam fieret, necesse erat existere, alterum vero minime. Ita etiam, quæ præsentia Deus habet, procul dubio existunt; sed eorum hoc quidem de rerum necessitate descendit, illud vero de potestate facientium. Haud igitur injuria diximus, hæc, si ad divinam notitiam referantur, necessarias si per se considerentur, necessitatis esse nexibus absoluta (a). Vides ergo, divinam præscientiam ideo non officere humanæ libertati, quia licet humanæ actiones, si ad intuitum referantur divinum, sint necessariæ, contingentes tamen sunt, si cum suo principio conferantur: videlicet sunt hujusmodi, ut, habita ratione causæ, esse ex æquo possint, & non esse; propterea quod nempe causa ipsa adhuc manet *intrinsecus* ad utramque contradictionis partem penitus indeterminata; unde necessitas, quæ in humanas actiones ex divina præscientia derivatur, est *consequens*, non *antecedens*, nimirum istiusmodi illa est, ut tota ex eo proveniat, quod actio cum ipsius negatione componi minime possit; non autem ex eo, quod homini intrinseca desit potentia tum ad non ponendum illum actum, tum ad ponendum actum contrarium. Contra vero res se habet, posita superiori *harmonistarum* responsione. Juxta illam quippe exteriores hominis actiones adeo necessario, divinæ præscientiæ causa, futuræ sunt, ut potentia tum ad eas non ponendas, tum ad ponendas contrarias, homo careat. Deest, inquam, homini, ratione divinæ præscientiæ, intrinseca potentia, tum qua non ponere actiones ipsas possit, tum qua possit contrarias. Cum enim omnes corporis motus, quos Deus prævidit animam, quæ illi jungeretur, esse volituram, ponantur modo ab *harmonistis* per corporis structuram determinati, ea indifferentia modo non habetur in corpore, qua opus necessario est, ut motus illi, antequam fiant, esse possint ex æquo, & non esse; ac proinde ut verum sit, hominem reipsa existentem ita agere motus, quos agit, ut, antequam eos perageret, ipsos non ponere, imo & ponere contrarios, æque potuerit. Quæ etenim potentia ad utramque tam *contrarietatis*, quam *contradictionis* partem potest esse in eo, quod per suam naturam determinatum ad unam modo est?

Igi-

(a) Lib. V. de consolatione, prosa 6.

Igitur necessitas externarum hominis actionum, causa divinæ præscientiæ, non *consequens* est, si *harmonistas* audiamus, sed *antecedens*.

Fateor, nunquam fore, immo nec posse fieri, ut homo velit motus ab iis diversos, ad quos per mechanismum sui cordoris determinatus, ut ajunt *harmonistæ*, modo est; propterea nimirum quia fieri nequeat, ut ipse velit, secus atque Deus voliturum ipsum esse præscivit. Hoc, inquam, fateor, & do libentissime. At unum quæro ab *harmonistis*, nimirum an reipsa possit homo non agere illos motus, licet, ut eos non agat, nunquam sit futurum. Si enim potest reipsa eos non agere: ergo, contra ac ipsi velint, illius corpus non est per suam structuram ad eos agendos determinatum, nisi forte ipsis placeat, cum physica inimpedibili determinatione ad unum stare potentiam ad oppositum: quod profecto, ut intelligatur, *Delio quopiam natatore* indiget. Si autem non potest: ergo motus ipsi adeo necessario futuri sunt, antequam fiant, ut, defectu intrinsecæ potentiæ, illorum omissio non sit possibilis; unde in illos ea non inest homini, quam vocant *a necessitate*, libertas. Nulla enim hæc est, nisi cum futuritione actionis, quantumvis infallibili, stet potentia ad oppositum.

Demum considero hominem in signo priori ad divinam præscientiam, & quæro ab *harmonistis*, an homo in tali signo sit ad quemlibet motum, ejusque omissionem intrinsecus indifferens, num vero sit per suam naturam ad unam contradictionis partem determinatus. Si primum: ergo talis quoque est homo, posita divina præscientia; cum hæc, ut diximus ex Boetio, & docent Theologi, *naturam rerum, proprietatemque* non mutet (a). Sin alterum: ergo intrinseca determinatio corporis ad certam peragendam motuum seriem ex divina præscientia ab *harmonistis* falso desumitur.

Dicent forte, spectari non posse hominem in signo priori ad divinam præscientiam, propterea quia mechanismus corporis, cui jungenda est anima, ut habeatur homo, a præscientia volitionum ipsius animæ necessario dependeat.

At contra: etenim vel repugnat corpus humanum ad nullam certam peragendam motuum seriem, vi sui mechanismi, determinatum, vel non repugnat. Si non repugnat: ergo in signo priori ad divinam præscientiam spectari homo potest. Si autem repugnat: ergo repugnat homo ad motus omnes natura sua indifferens; & ideo nequit esse quoad exteriores suas actiones intrinsecus liber.

Præterea aut volitiones motuum, quas Deus prævidit futuras in ani-

(a) Lib. V. de *consol.* prosa 6.

anima, modo sunt in illa physice determinatæ, vel non. Si sunt determinatæ: ergo non sunt amplius liberæ. Si non sunt determinatæ: ergo neque per corporis structuram determinati debent esse motus, qui volitionibus illis respondent. Etenim, sicuti physica determinatio volitionum futurarum in anima efficit, ut illæ non sint liberæ; ita physica determinatio motuum in corpore impedit, quominus liberi motus ipsi merito optimoque jure dicantur. Alio ergo, quam ad divinam præscientiam, se vertere debent *harmonistæ*, ut humanam libertatem quoad exteriores actiones in tuto constituant.

Corollarium IV.

243. *Præstabilitæ harmoniæ systema, quoad exteriores hominis actiones, favet fatalismo.* Sunt enim *fatalistæ*, qui omnia, quæ in mundo contingunt, ne ipsis quidem exceptis humanis actionibus, inimpedibili necessitati subiiciunt.

Corollarium V.

244. *Harmonistarum* admissa hypothesi, frustra cum Apostolo clamat Ecclesia: *mortificate membra vestra, quæ sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam & avaritiam* (a). Nullus quippe eorum motuum, ad quos corpus nostrum per suam structuram jam determinatum est, impediri a nobis potest; cumque in cujusvis hominis corpore sit jam certa motuum series per illius structuram determinata, honestam suadenti vitam respondere potest iniquus, jactam modo esse aleam: pessimos mores suos inimpedibili sui corporis mechanismo referendos esse acceptos, culpandamque ejusdem nunc esse structuram, si motus, quos modo agit, humanis divinisque legibus adversentur: se quidem velle operationes illas malas, quas nunc suum corpus exequitur, sed jam certo scire, eas omnes, etiamsi nollet, esse futuras, ab *harmonistis* scilicet edoctum, tale esse cujusvis hominis corpus, ut, nisi illius mutetur structura, motus ab iis, quos agit, diversi in ipso non sint possibiles. Hæc ille: cui sane quid *harmonista* reponere jure ac merito queat, ignoro. Non enim, mea sententia, satis ei occurritur, si dicatur: *bene agere potes, si velis*; quandoquidem, etiamsi, vellet, & quidem efficacissime, minime posset sui corporis structuram mu-

(a) Ad Coloss. cap. III. v. 5.

mutare, atque hinc efficere, ut ii omnes in illo non sequantur motus, ad quos jam est vi sui mechanismi determinatum.

Corollarium VI.

245. *Præstabilita demum harmoniæ admissa hypothesi, nullus motus corporis ita imputari homini potest, ut, illius causa, dignus ipse sit, qui vel commendetur, vel reprehendatur.* Cum enim juxta *præstabilitæ harmoniæ* systema, omnes motus humani corporis tantæ modo necessitati sint obnoxii, ut nullus eorum libere impediri a nobis possit (§. 241.), nullus certe est vel laude, vel pœna dignus. Unde Tullius, *si causa*, inquit, *appetitus non est sita in nobis, ne ipse quidem appetitus est in nostra potestate. Quod si ita est, ne illa quidem, quæ appetitu afficiuntur, sunt sita in nobis. Non sunt igitur neque assensiones, neque actiones in nostra potestate; ex quo efficitur, ut nec laudationes justæ sint, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia* (a). Neque juvat, voluntatem modo velle ipsos motus. Etenim non quælibet libertas sufficit, ut actio præmium mereatur, vel pœnam, sed requiritur libertas *a necessitate*. Profecto, si merito actionis non officeret intrinseca illius necessitas, sed id unum satis esset, ut actio ipsa, quamvis intrinsecus necessaria, a nobis sit volita, haud recte contra heterodoxos dicerent catholici, eam ob causam non sufficere ad meritum libertatem *a coactione*, quia tunc meritoria posset esse actio, licet intrinsecus necessaria, sive licet homo esset per suam naturam ad actionem ipsam perficiendam intrinsecus determinatus.

Animadversio I.

246. De liberis hominis actionibus differens Cl. Volfius, *motus*, inquit, *corporis, quos anima vult, & qui ad nutum ejus in corpore consequuntur, ita comparati sunt, ut corpus ad eos, atque ad oppositos iisdem æque dispositum deprehendatur. Ita per structuram corporis æque possibile est, ut jam sedeam, quam ut stem, vel ambulem; ut os aperiam, vel claudam; ut brachium extendam, vel ut immotum idem detineam* (b). Ad nullum igitur eorum motuum, qui ad nutum animæ fieri dicuntur, corpus per suam structuram determinatum est; sed ita eos omnes agit, ut, motus oppositi, salva ipsius corporis structura, sint in illo, etiam per Volfium, ex æquo possibiles. Sibi ergo non

(a) Lib. de *Fato* cap. 17.
(b) Psychol. *empir.* §. 935.

non consentit Vir Cl., cum, *præstabilita harmoniæ* tutandæ causa, docet, motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, ita fieri vi solius mechanismi ipsius corporis, independenter ab omni determinatione extrinseca, quæ animæ imperio subjiciatur, ut motus ipsi *eodem, quo nunc, modo adhuc consequerentur, etiamsi anima non existeret* (a). Fieri quippe minime posse videtur, ut omnes istiusmodi motus vi solius mechanismi, independenter omnino ab anima, peragantur, nisi corpus per suum mechanismum, sive structuram, ita sit ad eos determinatum, ut ad oppositos, ratione structuræ suæ, ex æquo dispositum non existat.

ANIMADVERSIO II.

247. Humani corporis mechanismus, ipso Auctore Volfio, talis est atque tantus, ut *Archimedes tam sublimia inventa, quibus Geometriam ditavit, in libris suis exposuisset, librosque singulos eodem, quo conscripti sunt, modo scripsisset, etiamsi nulla ipsi fuisset anima*. Unde concludit Vir Cl., *mechanismo corporis perfici posse, quæ rationis opus sunt, & facultatibus animæ immaterialibus originem debent* (b). Sicuti ergo dandum eidem puto, *quamdiu mechanismus tantus, quantum systema harmoniæ præstabilitæ postulat, impossibilis non demonstratur, pro possibili ob infinitam Dei scientiam, sapientiam, & potentiam* a nobis esse habendum (c); ita non dubito, quin fateri & ipse Cl. Auctor nobiscum debeat, omnes prorsus motus, etiam qui volitionibus animæ respondent, non aliter in ipso corpore fieri, ac urinæ secretio in renibus, cordisque systoles, atque diastoles, ceterique hujusmodi motus in eodem peragantur. Vi quippe mechanismi, sine ulla reali dependentia ab anima, & hi omnes fiunt. Secretio autem urinæ in renibus, cordisque systoles atque diastoles ita fiunt vi solius mechanismi, ut per cordis, renumque structuram sint omnes, ut ipsemet ait Volfius, physice determinati (d). Ergo, si vi solius mechanismi, sine ulla reali dependentia ab anima, ii quoque motus perficiuntur, qui animæ volitionibus respondent, dubium esse nequit, quin & ipsi sint per corporis structuram physice determinati; ac proinde quin falsum sit, *corpus esse ad eos, atque ad oppositos iisdem*, ut loquitur Cl. Auctor, *æque dispositum* (e).

ANI-

(a) Psychol. *ration.* §. 616.
(b) Ibidem §. 637.
(c) Ibidem in *not.*
(d) Philos. *pract.* P. I. in *not.* ad §. 12.
(e) Psychol. *empir.* §. 935.

ANIMADVERSIO III.

248. Volitiones, & nolitiones per animæ essentiam non determinari, ex eo demonstrat Vir Cl., quod *volitiones omnes, ac nolitiones contingentes sint in se, adeoque mutabiles, & consequenter hujusmodi, ut, salva animæ essentia, eidem non inesse possint* (a). Ipso autem teste, non tantum volitiones, & nolitiones animæ, sed *ipsi etiam motus corporis, a voluntate pendentes, contingentes sunt in se* (b). Ergo & hi quoque motus non sunt per corporis essentiam determinati. Essentia autem humani corporis, ut ipse docet Cl. Auctor, ab illius structura, sive mechanismo diversa non est (c). Ergo motus, volitionibus animæ respondentes, non sunt per corporis structuram determinati. Videtur autem, eos ita non posse fieri vi solius mechanismi, sine ulla reali dependentia ab anima, ut eodem, *quo nunc, modo adhuc in corpore consequerentur, etiamsi anima non existeret* (d), nisi omnes sint per ipsius corporis structuram, sive essentiam, determinati. Ergo aut per corporis structuram determinati jam omnes sunt, aut vi solius mechanismi non peraguntur.

ANIMADVERSIO IV.

249. Permisso, motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, non esse per ipsius corporis essentiam determinatos, quæro a Viro doctissimo, quodnam illud sit, a quo corpus ad unum potius, quam ad alium agendum motum modo physice determinetur. Nec enim dubito, quin, admissa intrinseca corporis indifferentia, fateatur & ipse Volfius, nullum motum, nisi determinetur, agi ab ipso corpore posse. Nimis quippe solemne tanto Viro est, nihil sine *sufficienti ratione* a nobis esse admittendum (e). Itaque aut corpus *immediate* determinatur ab anima, aut ab aliquo *realiter* ab ea distincto. Si *immediate* determinatur ab anima: ergo motus, qui ad natum animæ fiunt, ab illa dependent. Unumquodque enim, ipso Volfio teste, ab eo dependet, a quo determinatur (f). Falsum est igitur, *motus corporis volitionibus animæ respondentes fieri sine ulla reali dependentia ab anima*, & quidem adeo *ut eodem, quo nunc, modo adhuc consequerentur, etiamsi anima non existeret* (g). Non enim video, quomodo, non

(a) Psychol. *empir.* §. 940.
(b) Ibidem §. 935.
(c) Cosmol. §. 276.
(d) Psychol. *ration.* §. 616.
(e) Ontol. §. 70.
(f) Ibidem §. §. 116., 851.
(g) Psychol. *ration.* §. 616.

exiſtente anima, determinari ipſum corpus ab anima poſſet. Mihi quoque in votis eſt, probe ſcire, quomodo in ſyſtemate *harmoniæ præſtabilitæ*, omnique propterea reali influxu animæ in corpus plane rejecto, queat corpus ab anima determinari. Si autem hoc determinativum corporis ſit ab anima diſtinctum, quæro a Volfio, an illud ab anima dependeat, num vero ab ea ſit penitus independens. Si dicat, juſtiuſmodi determinativum ab anima dependere, ſibi contradicit, cum alibi doceat, *motus volitionibus animæ reſpondentes fieri citra ullam determinationem extrinſecam ab anima pendentem* (a). Si autem dicat, hoc extrinſecum, a quo corpus determinatur, eſſe ab anima independens; igitur omnino independentes ab anima ii quoque omnes ſunt motus, qui, poſita illa determinatione, in corpore conſequuntur; ſibique propterea adverſatur Vir. Cl., cum ait, *motus corporis, qui pendent a voluntate animæ, voluntarios nuncupari* (b). Arbitror enim, voluntarios eſſe motus, qui volitionibus animæ reſpondent; ac proinde, ſi voluntarii ſunt, qui ab animæ voluntate dependent, ab eadem quoque dependere debere, qui illius volitionibus conſentiunt, ſive qui ad animę nutum fieri in corpore dicuntur.

Animadversio V.

250. Cum dicat Cl. Volfius, motus corporis volitionibus animæ reſpondentes, fieri *vi mechaniſmi corporis ex motibus ab impreſſionibus in organa ſenſoria factis* (c), erit fortaſſe, qui velit, corpus ipſum, per ſuam ſtructuram ad omnes agendos motus æque diſpoſitum, determinari ad unum ab impreſſionibus, quæ ab externis rebus in organis ſenſoriis fiunt; adeoque motus volitionibus animæ reſpondentes, fieri poſſe, ut ait Cl. Auctor, vi ſolius mechaniſmi, quin ipſum corpus ſit ad eos per ſuam ſtructuram, ut antea diximus, determinatum. Verum, prætermiſſo adhuc ſtare pugnantia tradi a Volfio, cum ait, motus voluntarios ab animæ voluntate dependere, & ſimul eos fieri *citra ullam dependentiam realem corporis ab anima* (d), demonſtrandum eſt, quomodo fiat, ut corpora duorum hominum ſeſe mutuo colloquentium, in eodemque loco exiſtentium, tam diverſas ab externis iiſdem rebus impreſſiones recipiant, ut ad agendos motus plane diverſos ſimul ambo determinentur. Hanc certe difficultatem & ipſe agnovit Vir doctiſſimus; unde licet dixerit, motus corporis volitionibus animæ reſpondentes fieri *vi mechaniſmi ex motibus ab externis*

(a) Pſychol. *ration.* §. 618.
(b) Pſychol. *empir.* §. 936.
(c) Pſychol. *ration.* §. 616.
(d) Ibidem §. 618.

ternis rebus in organis sensoriis factis, docet tamen ab hisce non determinari corpus, ut unum potius, quam alterum motum perficiat, sed tantum, ut eum agat, ad quem vi sui mechanismi jam determinatum est. Explicans enim, atque ostendens, *in systemate harmoniæ præstabilitæ mechanismum corporis esse nobis incomprehensibilem*, hæc habet: *motuum liberorum ingens per omnem vitam est numerus, & voluntates diversarum animarum adeo in diversa abeunt, ut, quod unus appetit homo, idem aversetur alter, & quod unus aversatur, idem appetat alter. In systemate harmoniæ præstabilitæ motus isti producuntur per impressiones ab objectis sensibilibus in organa sensoria factas; atque adeo cum idem objectum in idem organum sensorium duorum hominum eodem modo agat, eadem impressione* (nota bene) *diversi motus in diversis subjectis producuntur, imo in quibusdam nullus eadem impressione producitur motus voluntarius. Nexus vero rerum materialium talis esse debet, ut tot per vitam hominis motus, & diversi quidem in diversis subjectis ab eadem causa produci debeant. Nemo itaque hominum vel in uno corpore explicare distincte potest, quomodo motus isti producantur, etiamsi exemplo sit homo vitæ brevis. Cogitandum præterea est, quoniam homo cognitionis universalis capax, & ratiocinando ad discursiva judicia pervenit, præterea operationibus intellectus rite usus, beneficio rationis, veritates incognitas detegere, & quæ animo complexus est, aliis explicare valet; in systemate harmoniæ præstabilitæ corpus humanum hæc omnia loquela oris proferret, etiamsi nulla existeret anima*, v. g. *Archimedes tam sublimia inventa, quibus Geometriam ditavit, in libris suis exposuisset, librosque singulos eodem, quo conscripti sunt, modo scripsisset, etiamsi nulla ipsi fuisset anima. Mechanismo igitur corporis perfici possent, quæ rationis opus sunt, & facultatibus animæ immaterialibus originem debent* (a). Motus igitur corporis, etiam qui volitionibus animæ respondent, ita fiunt vi solius mechanismi, ut, licet reipsa producantur *per impressiones ab objectis sensibilibus in organa sensoria factas*, ab hisce tamen, Volfii quoque judicio, non determinetur corpus, sed per suam structuram sit jam ad eos physice determinatum.

ANIMADVERSIO VI.

251. Ad libertatem actionum non animæ solum, verum etiam corporis necessario requiri, ut actiones ipsæ contingentes sint in se, hoc est hujusmodi, ut per animæ corporisque naturam non sint physice determinatæ, Cl. Volfii aperta itidem sententia est. Docet enim

(a) Psychol. *ration.* §. 637.

primo, motus corporis, qui a voluntate dependent, contingentes esse in se (a), & ideo esse liberos. *Actiones humanas*, inquit, *ad quas pertinent motus corporis a voluntate mentis pendentes, esse contingentes, jam monuimus* (not. §. 294. Ontol.). *Ceterum hanc actionum contingentiam ad libertatem requirit Aristoteles, ac quod id recte fiat, vi propositionis præsentis patet* (b). Docet *secundo* animam esse liberam, quatenus *ad nullum eorum*, quæ possibilia sunt, ab eaque eligi possunt, *per essentiam est determinata* (c); & ne quis putet, de internis tantum actionibus, ipsum velle, ut hoc loco intelligatur, addit: *ad libertatem adeo requirimus volitionum, & actionum, quas volumus, contingentiam* (d). *Tertio*: postquam dixit, infantes *rationis usu* destitui, quia *non habent, nisi quod ipsis connascitur* (e), ait, hinc rationem reddi, *cur infantes videantur fetibus brutorum stupidiores. Brutis enim paucissimæ sunt actiones, ad victum quærendum, se tuendum, & generandum necessariæ, ad quas per mechanismum corporis determinantur, nec universali opus habent cognitione. At hominis actiones multifariæ sunt, quarum determinatio in utramlibet contradictionis partem in ipsius potestate est, quas vero secundum rationem determinare debet. Unde homo hærere debet circa determinationem istarum actionum, quamdiu nullas sibi acquisivit notiones universales, vi quarum eædem determinantur* (f). Demum *actiones*, inquit, *tam animæ, quam corporis dicuntur naturales, vel necessariæ, quæ per essentiam, & naturam animæ, & corporis determinantur. Liberæ autem appellantur, quæ per essentiam, & naturam animæ, ac corporis non determinantur, sed a libertate animæ pendent* (g). Nisi ergo Vir Cl. sibimetipsi adversari manifeste velit, fateatur necesse est, nullam esse in homine actionem corporis liberam, si nullus in illo fiat motus, qui jam non sit per sui corporis structuram determinatus. Nullus est autem in nobis motus corporis, qui per illius structuram non sit determinatus, si omnes, etiam qui volitionibus animæ respondent, vi solius mechanismi, sine ulla prorsus reali dependentia ab anima, ut patet, peragantur. Ergo, si ii etiam motus, qui volitionibus animæ consentiunt, fiunt vi solius mechanismi, nullus in nobis est motus corporis, qui, etiam juxta Volfii principia, liber vere sit, & jure dici possit. Itaque nisi evincat Vir Cl., motus omnes corporis fieri vi solius mechanismi, quin per corporis structuram jam sint determinati, alterutrum ab eo dandum nobis est, aut scilicet nullum in homine esse motum corporis libe-

(a) Psychol. *empir.* §. 915.
(b) Ibidem in *not.*
(c) Ibidem §. 941.
(d) Ibidem in *not.* ad §. 941.
(e) Psychol. *ration.* §. 459.
(f) Ibidem in *not.* ad §. 459.
(g) Philos. *pract.* P. I. §. 12.

liberum, & ideo omnibus fecisse fucum, cum de mentis, corporisque actionibus disserens, eas in *naturales*, atque *liberas* partitus est (a), aut, secus ac ipsemet adeo aperte docet, intrinsecam corporis indifferentiam ad motuum libertatem haudquaquam requiri.

ANIMADVERSIO VII.

252. *Necessitas motuum, qui appetitionibus animæ in corpore respondent, non tollit libertatem in anima*, hoc est, *minime obstat*, ut ipse ait Cl. Auctor, *quominus volitiones in anima sint liberæ* (b). Certa igitur etiam Volfio res est, motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, esse necessarios. Eas autem corporis actiones necessarias ipse appellat, *quæ per essentiam, sive naturam corporis determinantur* (c). Ergo ii quoque motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, per corporis essentiam, quæ diversa ab illius structura non est (d), ipsiusmet quoque Volfii sententia, determinantur. Dubium igitur esse nequit, quin motus corporis volitionibus animæ respondentes ita fiant, etiam per Volfium, vi solius mechanismi, ut corpus sit ad eos omnes per suam structuram physice determinatum; ac proinde quin laudatus celeberrimus Auctor sibi apertissime contradicat, cum ait, *motus corporis, quos anima vult, & qui ad nutum ejus in corpore consequuntur, ita comparatos esse, ut corpus ad eos, atque ad oppositos iisdem æque dispositum deprehendatur* (e).

ANIMADVERSIO VIII.

253. Tanta est, si Volfium ipsum audiamus, necessitas motuum corporis, qui appetitionibus animæ respondent, ut *naturaliter diversi esse non possint ab iis, qui actu consequuntur* (f). Eodem autem teste, motus ipsi, perinde prorsus atque animæ volitiones & nolitiones, *contingentes sunt in se*, ita nimirum ut motus oppositi sint *in corpore æque possibiles* (g). Ergo, nisi velit, eundem numero motum *contingentem* simul esse posse, ac *necessarium*, moleste ferre nequit Vir Cl., si quis dixerit, *præstabilitæ harmoniæ* systema ne quidem ab ipso Volfio, quin pugnantia tradat, posse defendi.

(a) Philos. *pract.* P. I. §. 12.
(b) Psychol. *ration.* §. 633.
(c) Philos. *pract.* P. I. §. 12.
(d) Cosmol. §. 276.
(e) Psychol. *empir.* §. 935.
(f) Psychol. *ration.* §. 633.
(g) Psychol. *empir.* §. 935.

ANIMADVERSIO IX.

254. Motus corporis *voluntarios* definit Volfius, *qui pendent a voluntate*. Dependere autem illos, ait, a voluntate, *quatenus per eam intelligitur, cur jam fiant, ſive quatenus ratio ipſorum eſt volitio animæ* (a). Sufficiens itaque ratio motuum voluntariorum corporis in animæ volitione poſita eſt; ac propterea dependent iſtiuſmodi motus ab anima eodem plane modo, quo principiatum a ſuo dependet principio, omniſque effectus a ſua cauſa. Conſtat quippe, ipſo auctore Volfio, principiatum a ſuo principio, & effectum a cauſa dependêre, quia *ſufficiens* principiati *ratio* in principio eſt, & *ſufficiens ratio* effectus in cauſa comprehenditur (b). Realis eſt autem, ut certum puto, dependentia principiati a principio, & effectus a cauſa. Ergo realis quoque eſt dependentia motuum voluntariorum corporis ab anima; & ideo aut peccat Cl. Volfius, cum *voluntarios motus* appellat, quorum *ſufficiens ratio* in animæ volitione poſita eſt; aut ſibimet adverſatur, cum ait, motus, qui volitionibus animæ reſpondent, nullatenus ab ipſa anima dependere (c).

ANIMADVERSIO X.

255. Præterea, cum ratio ſufficiens motuum, qui per corporis ſtructuram determinantur, in ipſa corporis ſtructura poſita ſit (determinati quippe ratio, ut ipſe docet Volfius (d), in determinante eſt), ſi motus corporis neceſſarii per illius ſtructuram determinantur, ſufficiens eorum ratio in ipſa corporis ſtructura comprehenditur. Teſte autem Volfio, motus corporis, qui volitionibus animæ reſpondent, ſunt neceſſarii, & quidem tanta neceſſitate, ut *naturaliter diverſi eſſe non poſſint ab iis, qui actu conſequuntur* (e). Ergo, juxta Volfii principia, ſufficiens horum motuum ratio in ipſa ſtructura corporis continetur. Docet autem Vir ille doctiſſimus, ſufficientem eorundem motuum rationem in animæ volitione contineri (f). Igitur aut animæ volitio, ſimulque corporis ſtructura, eſt ipſorum motuum ratio ſufficiens, & ideo neceſſarii ſimul ſunt, & contingentes; aut Volfiana motuum vel neceſſariorum, vel voluntariorum definitio falſa eſt; aut demum fallitur Cl. Auctor, cum docet, motus

(a) Pſychol. *empir.* §. 936.
(b) *Ontol.* §. §. 866. 883.
(c) Pſychol. *ration.* §. 616.
(d) *Ontol.* §. 116.
(e) Pſychol. *ration.* §. 613.
(f) Pſychol. *empir.* §. 936.

tus corporis, qui appetitionibus animæ respondent, esse necessarios.

ANIMADVERSIO XI.

256. Motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, nequeunt per corporis structuram determinari, quin omnes, juxta Volfii principia, ejus sint naturæ, cujus sunt secretio urinæ in renibus, cordis systoles, atque diastoles, ceterique motus hisce haud dissimiles; ac proinde quin omnes sint *naturales*, sive quin nullus eorum mentis imperio subjiciatur, ab eaque dependeat. *Naturales* enim sunt, inquit Vir Cl., actiones corporis, quæ per essentiam corporis determinantur. *Ita secretio urinæ in renibus est actio naturalis, cum a libertate animæ minime dependeat, sed per structuram renum, & naturam corporis determinata sit, itaut renes eandem secernant, sive anima velit, sive nolit, nec solo imperio in secretione ista pro arbitrio suo quicquam immutare valeat. Similiter motus cordis actio naturalis est, cum per structuram cordis, & naturam corporis humani determinetur, ut cor moveatur, sive homo velit, sive nolit, nec quicquam solo imperio in eodem pro arbitrio suo immutare possit anima* (a). Profecto, si talis est humani corporis mechanismus, ut *Archimedes tam sublimia inventa, quibus Geometriam ditavit, in libris suis exposuisset, librosque singulos eodem, quo conscripti sunt, modo scripsisset, etiamsi nulla ipsi fuisset anima* (b), dubium esse nequit, quin omnes istiusmodi motus Archimedæi corporis ita fuerint independentes ab illius anima, quemadmodum independentes ab eadem erant secretio urinæ in renibus, motus cordis, ceterique id genus alii. Hi autem omnes sunt *naturales*, istiusmodi nempe, ut voluntatis arbitrio nullatenus subjiciantur. Ergo hujuscemodi ii quoque omnes fuerunt, quibus summus ille Geometra tam præclara invenit, suosque libros conscripsit. Nullus itaque in Archimede fuit motus corporis liber; ac propterea neque in nobis aliquis istiusmodi est, si omnes, uti in Archimede, ita in nobis vi solius mechanismi peragantur. Miror porro, motum manus, quo unus alterum percutit, injuriam sibi illatam vindicaturus, sicuti & vini haustum *actiones* corporis *liberas* a Viro Cl. appellari, contra vero *naturales* tum secretionem urinæ in renibus, tum motum cordis. Etenim hæ omnes actiones vel sunt per corporis structuram determinatæ; & ideo omnes ex æquo sunt aut *naturales*, aut *liberæ*. Vel non sunt hoc modo determinatæ; & tunc mo-

(a) Philos. *pract.* P. I. in *not.* ad §. 12.
(b) Psychol. *ration.* §. 637.

motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, non sunt necessarii.

ANIMADVERSIO XII.

257. Cl. Volfii doctrina penitius inspecta, fatalis videtur esse necessitas, cui omnes prorsus humani corporis actiones subjiciuntur. Is quippe rerum nexus, si ipsum audiamus, constitutus a Deo est, ut fieri nequeat naturæ viribus, quin in cujusvis hominis corpore ii omnes motus, ad quos per suam structuram jam determinatum est, reipsa contingant. Postquam enim dixit Vir ille doctissimus, in systemate *harmoniæ præstabilitæ* animam vi propria producere omnes suas perceptiones, & appetitiones, *eodem, quo nunc, modo consequnturas, etiamsi mundus hic adspectabilis, & corpus in motibus suis ipsi harmonicum non existeret; & motus harmonicos in corpore vi mechanismi produci, eodem, quo nunc, modo producendos, etiamsi anima non existeret*, concludit: *Deus igitur, qui poterat substantiam unam producere absque altera, corpus animæ liberrime junxit, quia in eo existere potest series motuum perceptionibus, & appetitionibus animæ consentientium, & eum fecit* RERUM MATERIALIUM NEXUM, *ut motus isti per continuas in organa sensoria extrinsecus factas impressiones actu producantur* (a). Et infra: *supponitur*, inquit, *corpus istiusmodi possibile, in quo vi mechanismi motus eo ordine produci possunt, quales postulant volitiones animæ; supponitur etiam possibilis istiusmodi* RERUM MATERIALIUM NEXUS, *qualis ad hoc requiritur, ut per impressiones in organa sensoria continuo factas, motus isti actu consequantur* (b). Necessitas itaque motuum corporis, qui volitionibus animæ consentiunt, oritur, juxta Volfium, tum ex mechanismo ipsius corporis, tum ex certo rerum naturalium nexu, vi cujus necessario futuri sunt in ipso corpore ii omnes motus, ad quos per suam structuram jam est determinatum. Fatalis est autem ea humanarum actionum necessitas, quæ ex causarum naturalium serie, a nobis inimpedibili, derivatur. Est enim fatum, ut dicebant Stoici, *rata stataque causarum complexio, series*, sive *ordo*, ac veluti *ductus, qui a nobis transgredi nullatenus potest* (c). Ergo fatalis est illa necessitas, cui, juxta Volfii doctrinam, externæ hominis actiones subiiciuntur.

ANI-

(a) Psychol. *ration.* §. 628.
(b) Ibidem §. 633.
(c) Vide Plutarchum lib. I. *de placitis Philos.* cap. 28.

Animadversio XIII.

258. Contendet nonnemo, volitionem animæ, non quidem ut reipsa existentem, sed ut a Deo prævisam, esse *rationem sufficientem* eorum motuum corporis, qui *voluntarii* dicuntur: videlicet humanum corpus non fuisse ad eos motus, quos modo agit, per suam structuram a Deo determinatum, nisi quatenus Deus ipse novit, vi præscientiæ suæ, animam, quæ illi copularetur, eos, & non alios esse volituram. Non inficior, id satis esse, ut animæ volitio possit *sufficiens* voluntariorum motuum *ratio* nuncupari. Verum opinor, hanc responsionem a Cl. Volfio adoptari non posse, quin sibimetipsi, & quidem non uno in loco, nequaquam consentiat. Etenim *primo* concedere nequit Vir Cl., humanum corpus jam esse ad certos agendos motus per suam structuram determinatum, quin fateatur, falsum esse, quod ipse docet, *motus* scilicet *corporis a voluntate pendentes, contingentes esse in se*, sive *ita esse comparatos, ut corpus ad eos, atque ad oppositos iisdem sit aque dispositum* (a). Nec ipsum juvat, hanc corporis determinationem ex prævisa mentis volitione derivare. Quandoquidem, ut nulla modo sit contradictio, nulla modo debet esse physica corporis determinatio. *Secundo*: quia, si corpus ad eos agendos motus determinatum a Deo fuit, quos ipse jam novit animam, illi copulandam, esse volituram, detur oportet, juxta prævisam appetitionum seriem, corpus ipsum a Deo fuisse formatum: igitur falsum est, quod ipse ait Cl. Auctor, videlicet *neque corpus effectum esse juxta seriem perceptionum, & appetitionum animæ, neque animam juxta seriem motuum corporis; sed utramque substantiam in se possibilem intelligi citra relationem ad aliam* (b). Si namque corpus juxta prævisam seriem volitionum mentis formatum a Deo non est, me prorsus latet, quonam deinde jure dicatur, motus voluntarios corporis ita dependere a prævisa mentis volitione, ut volitio ipsa, quatenus a Deo prævisa, sit eorundem *ratio sufficiens*. *Tertio*: quia vel etiam mutationes organorum sensoriorum corporis fuerunt a Deo determinatæ, quia prævidit, quæ rerum notiones essent in anima illi copulanda sequuturæ, vel non. Si non: scire optarem, quomodo factum deinde fuerit, ut nulla in anima excitetur rei notio, cui sua mutatio in corpore non respondeat: præsertim si verum sit, neque *præsentiam idearum materialium in cerebro*, quemad-

(a) Psychol. *empir.* §. 935.
(b) Psychol. *ration.* in *not.* ad §. 625.

modum ipse docet Vir Cl., *ad perceptiones producendas aliquid menti conferre* (a); neque corpus in suis agendis motibus aliquo reali modo ab anima dependere (b). Si autem & ipsæ organorum sensoriorum mutationes determinatæ in corpore a Deo fuerunt, quia prævidit, quæ rerum notiones essent in anima sequuturæ: ergo, sicuti *sufficiens ratio* motuum voluntariorum corporis volitio animæ est, quia motus ipsi non fuerunt in corpore determinati, nisi dependenter a volitione ipsa prævisa; ita *sufficiens ratio* mutationum organi sensorii ex rerum notionibus, quæ illis respondent, derivari debet, propterea nimirum quia determinatæ in corporis organis ipsæ itidem non fuerint, nisi dependenter a rerum notionibus, quas novit Deus tunc in anima sequuturas. Quamobrem fallitur Vir doctissimus, cum docet, *rationem sufficientem perceptionum rerum materialium in mutationibus, quæ in sensorio corporis organo, qua tali, contingunt, contineri* (c). Dicere siquidem debuit, notionem rei, quæ excitatur in anima, esse *rationem sufficientem* mutationis, quæ tunc in sensorio corporis accidit, & ideo hanc ab illa dependere, quemadmodum dixit, motus corporis voluntarios ab animæ voluntate dependere, quia *sufficiens* illorum *ratio* in animæ volitione comprehenditur (d). *Postremo:* quia sicuti ex eo, quod prævisa animæ volitio sit *ratio sufficiens* motuum voluntariorum corporis, sequitur, recte dici posse, corpus ipsum aptatum a Deo fuisse ad animæ voliliones; ita vicissim, si *sufficiens ratio* notionum, quæ in anima excitantur, in illis mutationibus contineatur, quæ ex sensibilium rerum appulsu in sensoriis corporis organis continuo peraguntur, videtur dicendum, rerum notiones determinatas a Deo fuisse in anima ex prævisione mutationum, quas vi præscientiæ suæ novit in corpore sequuturas; & ideo non corpus ad animam, sed animam ad corpus, quoad rerum perceptiones, aptatam a Deo fuisse; proindeque perperam eos carpi a Viro doctissimo, qui ajunt, harmoniam inter mentem & corpus fuisse a Deo præstabilitam, quatenus *anima perceptiones, & appetitiones aptavit ad motus corporis necessarios*; quique propterea *animam comparant cum cane ab auriga currui alligato, qui una cum curru progredi tenetur, quo hic trahitur* (e). Quamvis enim perversa sit hæc *præstabilita harmonia* notio quoad animæ appetitiones, legitima tamen est quoad rerum perceptiones, si nimirum mutationes organorum sensoriorum corporis eo modo sint *ratio sufficiens* percep- tio-

(a) Psychol. *ration.* in *not* ad §. 614.
(b) Ibidem §. 616.
(c) Psychol. *empir.* §. 65.
(d) Ibidem §. 936.
(e) Psychol. *ration.* in *not.* ad §. 625.

tionum animæ, quo ejusdem volitiones *sufficiens ratio* motuum voluntariorum corporis ab ipso Volfio dicuntur. Ceterum, nullatenus dici posse a Volfio, rerum ideas determinatas a Deo fuisse in anima ex prævisione mutationum futurarum in organis sensoriis corporis, satis manifeste, ut puto, §. 180. demonstravimus.

ANIMADVERSIO XIV.

259. Diximus, ad tutandam in *præstabilita harmonia* systemate externam hominis libertatem satis non esse, determinationem motuum voluntariorum in corpore ex divina præscientia derivare, propterea nimirum quia nihil rebus ex divina præscientia accedat, sed hujuscemodi intrinsecus ipsæ sint, posita divina præscientia, cujusmodi essent, si divina præscientia non haberetur. Hæc igitur etiam Cl. Volfii sententia est. De potentia siquidem Dei, ejusque voluntate disserens Vir Cl., docet, *decretum Dei nihil in re decreta mutare;* quia *rei intrinsece, atque extrinsece possibili nihil superaddit, nisi certitudinem existendi* (a); unde infert, divino decreto *nec contingentiam, nec libertatem tolli* (b). Docet quoque, *præsentiam Dei in re præscita nihil mutare* (c); atque hinc *præscientiam Dei nec contingentiam, nec libertatem tollere* (d). Velit ergo, nolitve, dicat oportet Vir doctissimus, aut repugnare hominem, cujus corpus sit ad oppositos motus intrinsece indifferens; atque hinc repugnare hominem, in cujus potestate sint ii sui corporis motus, qui *voluntarii* dicuntur; aut, si non repugnat homo, qui ad nullum motum sit per mechanismum sui corporis determinatus, talem quoque ipsum esse debere in signo posteriori ad divinam præscientiam, quippe quæ, etiam illius judicio, nihil in rebus mutat; & ideo stat, perperam determinationem motuum in corpore ex præscientia volitionum animæ ab eo derivari; aut demum divinam præscientiam, juxta *præstabilita harmonia* systema, ita lædere externam hominis libertatem, ut eam evertat prorsus atque convellat; sibique idcirco contradicere, cum ait, neque decreto Dei, neque divina præscientia libertatem ipsam ne quidem levissime labefactari.

ANI-

(a) Theol. *natur.* P. I. §. 526.
(b) Ibidem §. 527.
(c) Ibidem §. 529.
(d) Ibidem §. 530.

Animadversio XV.

260. *Systema harmoniæ præstabilitæ*, inquit Cl. Volfius, *libertati non est adversum* (a); *eademque in illo viget libertas, quæ in systemate influxus physici* (b). Quæro a Viro doctissimo, de quanam hominis libertate hoc loco loquatur, nimirum an de *interna* tantum, de ea scilicet, quæ interiores dumtaxat mentis appetitiones respicit; num vero eam etiam complectatur hoc loco, quæ ad regulandos corporis motus sese extendit, hominemque dirigit exteriorem atque componit. Si de *interna* tantum libertate intelligat, non inficior, *præstabilita harmoniæ* systema humanæ libertati non esse adversum, mentemque nostram æque esse liberam in systemate *harmoniæ præstabilitæ*, ac sit hujuscemodi in systemate *influxus physici*; cum in utroque systemate ad suas omnes appetitiones sit per suam essentiam ex æquo indeterminata. Si vero etiam de *externa* hominis libertate velit intelligatur, parcat, si dixero, me haudquaquam ei posse assentiri. Satis quippe ex hactenus traditis perspectum esse puto, nullum in homine, *harmonistarum* systemate posito, esse motum corporis liberum, sed omnes physice necessarios, utpote omnes per corporis structuram determinatos. Ostendat Cl. Auctor, physicam hanc determinationem non impedire, quominus motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, ita contingentes sint in se, ut oppositi, salva corporis structura, sint in illo ex æquo possibiles; simulque cum physica illa determinatione adhuc stare, ut nonnisi ad animæ nutum motus ipsi peragantur, & tunc eidem dabimus, eandem, juxta utrumque systema, vigere in homine libertatem. Evincit quidem Vir Cl., *necessitatem motuum, qui appetitionibus animæ in corpore respondent, non tollere libertatem in anima* (c). At non demonstrat, libertatem ipsam in homine per illam motuum necessitatem nequaquam tolli. Ad animæ libertatem satis est, ut appetitiones in illius sint potestate. Ad hominis vero libertatem requiritur, ut etiam motus corporis, quos ipsa vult, in illius potestate habeantur. Non enim anima solum, sed anima, & corpus unus est homo. Appetitiones sunt in potestate animæ, quia, ipso teste Volfio, ad nullam earum appetitionum, quas elicit, per suam essentiam determinata est (d). Ergo, ut etiam motus corporis sint in hominis potestate, necessario est opus, ut ad nullum eorum, quos agit, sit homo per suam essentiam, scilicet per na-

(a) Psychol. *ration.* §. 634.
(b) Ibidem §. 635.
(c) Psychol. *ration.* §. 633.
(d) Psychol. *empir.* §. 942.

naturam animæ, & ftructuram corporis, determinatus. Mirandum fane, Virum doctiffimum totum fuiffe in vindicanda animæ libertate, eam vero, quæ hominis eft, ne quidem memoraffe. Latere proculdubio ipfum non debuit, quantum *harmoniftis* interfit, diftincte nitideque oftendere, ex *præftabilita harmonia* fyftemate nihil poffe legitime colligi, quod humanæ libertati vel minimum officiat. Profecto & ipfe monet Vir Cl., ut, quæ de humanæ mentis libertate tradita ab eo funt, probe perpendantur, *ne confequentiariis* fcilicet *facilem præbeant aurem, qui ipfimet argumentum difficile difcutere haud valent, dum tamquam pro aris & focis pugnantes, per harmoniam præftabilitam libertatem funditus everti, fatalem rerum omnium neceffitatem introduci, & omnem non modo chriftianam, verum etiam ethnicam religionem tolli, imo omnem juftitiam e civitate relegari clamant, ut hypothefim in fe innocentem in odium adducant* (a). Verum an hoc argumentum recte difcuffum a me fuerit, viderint, qui in Volfii verba nequaquam jurarunt. Interim falfum arbitror, quod ipfe docet Cl. Auctor, *in quocunque* nimirum *fyftemate de commercio inter mentem, & corpus libertatem & defendi, & negari poffe* (b); cum conftans mihi opinio fit, & firma fententia, tam *occafionaliftas*, quam *harmoniftas*, humanæ libertati, in hoc explicando commercio, penitus adverfari.

A N I M A D V E R S I O XVI.

261. Si ij motus corporis, qui ad nutum animæ fieri dicuntur, humanas quoque inter actiones cenfeanrur, nefcio, quo jure dicere poffit Cl. Volfius, *in fyftemate harmoniæ præftabilitæ actiones homini eodem jure imputari poffe, quo in fyftemate influxus phyfici* (c). Etenim, illius quoque eft fententia, *actiones naturales per fe homini imputari non poffe* (d). Actiones autem tam animæ, quam corporis vocat naturales, *quæ per effentiam, & naturam animæ, & corporis determinantur* (e). Ergo actiones, quæ per corporis naturam, five ftructuram determinatæ funt, neque per Volfium poffunt homini imputari. Motus autem omnes corporis, etiam qui volitionibus animæ refpondent, per illius ftructuram, juxta *præftabilitæ harmoniæ* fyftema, determinantur, ut jam ex ipfa itidem Volfii doctrina demonftravimus. Ergo nullus illorum eft homini imputabilis; ac proinde nulla

eft

(a) Pfychol. *ration.* in *not.* ad §. 632.
(b) Ibidem §. 536.
(c) Ibidem §. 635.
(d) Philof. *pract.* P. I. §. 529.
(e) Ibidem §. 12.

eſt externa hominis actio, quæ, hoc admiſſo ſyſtemate, homini imputari jure ac merito poſſit. Præterea illæ tantum actiones, ut ipſemet docet Volfius, imputari poſſunt homini, quæ ſunt liberæ (a), & quidem nonniſi quatenus liberæ, ſunt homini imputabiles (b). Ad actionum autem libertatem opus neceſſario eſt, ut ſint contingentes (c). Ergo contingens debet eſſe actio, ut digna ſit, quæ homini imputetur. Motus autem corporis, qui volitionibus animæ reſpondent, ſunt neceſſarii, & ea quidem neceſſitate, ut *diverſi naturaliter eſſe non poſſint ab iis, qui actu conſequuntur* (d). Ergo, niſi idem motus poſſit ſimul eſſe neceſſarius, & contingens, motus corporis, qui volitionibus animæ conſentiunt, non ſunt, juxta ipſiuſmet Volfii doctrinam, homini imputabiles. Contra vero res ſe habet, ſi illi motus ab anima, ut a principio in eos reipſa influente, dependeant. Tunc enim & ipſi, non minus atque interiores appetitiones, libero animæ arbitrio ſubjiciuntur. Concedo, *actiones humanas eſſe liberas, quatenus volitiones liberæ ſunt, & ob libertatem animæ in volendo, eidem imputari, ut ſcilicet vel præmio, vel pœna dignæ videantur, imputationis fundamento unice in anima, nequaquam vero in corpore, hærente* (e). At niſi oſtenderit Vir Cl., motus corporis, licet jam per illius ſtructuram determinatos, ita ab animæ libertate dependere, ut modo poſſent non eſſe, ſi modo eos nollet voluntas, libertas animæ in volendo nihil prorſus ipſi ſuffragatur.

PROPOSITIO XIII.

Humana mens non eſt corporis forma, ſi neque ipſa a corpore in ſuis perceptionibus appetitionibuſque producendis, neque corpus in ſuis agendis motibus aliquo reali modo ab ipſa mente dependeat.

262. *Probatur*. Si neque mens a corpore, neque corpus a mente aliquo reali modo in operando dependet, nulla perfectio advenit corpori ex eo, quod anima illi copulata ſit, nihilque conſequitur anima ex eo, quod corpori unita exiſtat. Ergo neque mens *forma* humani corporis eſt, neque corpus eſt ipſius mentis *ſubjectum*. Nulla quippe tunc apparet ratio, cur illa dicatur *forma*, hoc vero *ſubjectum* nuncupetur. Et ſane, hac admiſſa mentis a corpore, & corporis a mente independentia, non aliter ipſa mens modo eſt in corpore,

(a) Philoſ. *pract.* P. I. §. 528.
(b) Ibidem §. 532.
(c) Pſychol. *empir.* in *not.* ad §. 935.
(d) Pſychol. *ration.* §. 633.
(e) Ibidem §. 635.

re, atque angelus in illo esse possit. Videtur enim, etiam angelum ita posse humano corpori conjungi, ut certi corporis motus perceptionibus ipsius angeli, ejusdemque appetitionibus *harmonice* consentiant. Omnium autem sententia, angelus nequit ita esse in corpore, ut illius *forma* vere dici queat, idque non aliam ob causam, nisi quia in operando nequit angelus a corpore dependere. Ergo neque humana mens est *forma* corporis, si ita in illo sit, ut nullo plane modo ab eo in operando dependeat.

Confirmatur. Etenim, si perinde se habet anima quoad omnes suas perceptiones & appetitiones copulata corpori, ac se haberet, si nullum, cui conjungeretur, corpus existeret, talis substantia profecto ipsa non est, quæ sua natura postulet corpori copulari. Similiter, si perinde sit corpori quoad suos omnes motus, sive in ipso existat rationalis anima, sive non existat, humanum corpus non est tale, quod a rationali anima perfici, ut suos agat motus, intrinsecus requirat. Ergo neque anima habere vere potest rationem *formæ*, neque corpus *subjecti*; adeoque &c.

Corollarium I.

263. *Nullum est præstabilitæ harmoniæ systema, si humana mens pro vera corporis forma habeatur*. Corruit enim hoc systema, nisi mens humana, ipsumque corpus, tamquam duo automata a se mutuo in operando penitus independentia assumantur (§.§. 165., 166.). Quamobrem

Corollarium II.

264. *Propugnari nequit præstabilitæ harmoniæ systema, nisi Ecclesiæ definitionibus aperte refragemur*. Opinio siquidem asserens, animam rationalem non esse vere & proprie formam humani corporis, damnata est, tamquam erronea, & veritati Catholicæ fidei inimica, tum in Concilio Viennensi sub Clemente V., tum in Concilio Lateranensi sub Leone X. *Doctrinam omnem* (ita Clemens V.) *seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis, aut intellectiva vere & per se humani corporis non sit forma, velut erroneam, ac veritati Catholicæ fidei inimicam, sacro approbante Concilio, reprobamus, definientes, ut, si quisquam deinceps asserere, defendere, seu pertinaciter tenere præsumpserit, quod anima rationalis, seu intellectiva non sit forma corporis humani per se &* esten-

essentialiter, tamquam hæreticus sit censendus (a).

Corollarium III.

265. *Præstabilita harmonia admisso systemate, ex anima rationali & corpore nequit fieri unum per se compositum.* Nequit enim ex anima, & corpore fieri *unum per se*, nisi anima sit vere & proprie forma corporis. Quippe tunc solum actiones tam animæ, quam corporis possunt homini, tamquam uni omnium principio, imputari.

Scholion.

266. Cum non appareat, ut diximus, cur etiam angelus non possit corpori organico ita conjungi, ut motus corporis perceptionibus & appetitionibus angeli *harmonice* consentiant, aut etiam ex angelo & corpore constitui intrinsecus potest *unum per se*, aut neque homo *unum per se compositum* dici potest.

Animadversio I.

267. Ex anima rationali, & corpore fieri *unum per se*, quia istiusmodi substantiæ a se mutuo in operando dependent, aperte fatetur Volfius. Is enim postquam dixit, *animam a corpore dependere quoad perceptionum specificationem, & tempus, quo contingunt; corpus vero dependere ab anima quoad specificationem motuum voluntariorum in corpore, & tempus, quo iidem contingunt* (b), hæc habet: *quoniam ex mutua illa corporis, & animæ a se invicem dependentia intelligitur corpus illud ad animam, & animam ad hoc corpus pertinere; consequenter respectu corporis hanc animam nostram appellamus, prouti hoc corpus respectu animæ nostrum appellare solemus, utrumque ens unam substantiam compositam constituere inferimus, & ideo mentem cum corpore unitam dicimus* (c). Ex anima igitur, atque corpore ideo, etiam Cl. Viri sententia, fit *unum per se* compositum, quia ita simul unita sunt, ut a se mutuo in operando dependeant. Quamobrem aut errat, cum assumit, neque mentem a corpore (d), neque corpus a mente in suas functionibus exercendis dependere (e); aut fallitur, cum ait, ex anima atque corpore *unam per se* substantiam fieri, quia mens a cor-

pore

(a) Clemen. *de summa Trinitate, & fide Catholica*. Vide Labbeanam *Conciliorum* Collectionem Tom. XV. colum. 44, & Tom. XIX. colum. 842.

(b) Psychol. *empir.* §. 961.

(c) Ibidem §. 963.

(d) Psychol. *ration.* §. 614.

(e) Ibidem §. 616.

pore *quoad perceptionum specificationem, & tempus, quo contingunt*, & corpus ab anima *quoad specificationem motuum voluntariorum, & tempus, quo iidem contingunt*, dependet.

ANIMADVERSIO II.

268. *Per regimen corporis, quod tribuitur animæ*, inquit laudatus Auctor, *intelligitur facultas ex pluribus motibus voluntariis per structuram corporis possibilibus, libere determinandi eum, qui actum consequi debet* (a). Ut igitur anima regere corpus possit, necesse est, ut ipsum corpus sit ad oppositos motus per suam structuram æque dispositum, sive ad nullum, ratione sui mechanismi, intrinsecus determinatum. Posito autem *præstabilitæ harmoniæ* systemate, motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, ita sunt necessarii, ut, etiam ipso teste Volfio, *naturaliter diversi esse non possint ab iis, qui actu consequuntur* (b). Ergo corpus, juxta hoc systema, regi ab anima nequaquam potest; & si non potest regi, neque potest *unum per se* compositum ex anima & corpore intrinsecus constitui.

PROPOSITIO XIV.

Plures simul in uno homine existunt animæ, si humana mens, atque corpus sint duo a se mutuo penitus independentia automata.

269. *Probatur*. Plures simul animæ in uno homine existunt, *materialis* scilicet una, *spiritualis* altera, si plura in uno homine sint principia, a quorum uno habeantur operationes *spirituales*, ab altero *corporeæ*, quin alterum ab altero in ipsis suis functionibus perficiendis aliquo reali modo dependeat. Evidens est autem, duo istiusmodi principia simul esse in uno homine, si humana mens, atque corpus sint veluti duo *automata*, in suis peragendis motibus a se mutuo penitus independentia. Ergo, hac data hypothesi, plures simul animæ in uno homine sunt admittendæ.

Confirmatur. Si corpori, quoad omnes suos motus perficiendos, perinde omnino sit, sive in illo habeatur anima rationalis, sive non habeatur, vivit corpus ipsum, atque adeo est animatum, independenter ab anima rationali. Non enim externo agitur pulsu, sed seipsum agitat, vique sua movetur; utque habet Tullius, *inanimum est, quod pulsu agitatur externo. Quod autem est animale, id motu cie-*
tur

(a) Psychol. *empir.* §. 964. (b) Psychol. *ration.* §. 633.

tur interiore , *& ſuo* (a) . Animatum autem nequit eſſe corpus ſine anima. Ergo, ſi independenter ab anima rationali eſt aliquod animatum, anima in illo exiſtit, a rationali prorſus diverſa; adeoque &c.

S C H O L I O N.

270. Non ignoro, quoſdam extitiſſe, qui dicerent cum Philone, *eſſe in homine duas animas, alteram carnis, per quam homo animal ſit, hanc eſſe ut in brutis ſanguinem; alteram hominis, qua homo eſt, hanc eſſe illud ſpiraculum incorporeum, ſeparabile, & æternum* (b). Arbitror tamen, ingens eſſe hoſce inter atque *harmoniſtas* diſcrimen. Illi enim duas quidem in homine ponebant animas, verum ita, ut ſimul dicerent, immateriali corpoream ſubjici, ſive hanc ab illa in iis agendis motibus, qui *voluntarii* dicuntur, *realiter* dependere. Contra vero dicendum eſt, *harmoniſtarum* hypotheſis ſi admittatur. Juxta hanc enim principium corporearum omnium functionum in homine, materialis ſcilicet anima, nullo reali modo, ut ſatis patet ex dictis, a rationali dependet.

COROLLARIUM I.

271. *Harmoniſtarum ſi detur hypotheſis, plures ſimul animæ in uno homine ſunt admittendæ.* Hac enim hypotheſi admiſſa dandum neceſſario eſt, omnes humani corporis motus tam *naturales*, quam *vitales*, & *animales* perfici vi ſolius mechaniſmi (*§. 166.*). Hinc

COROLLARIUM II.

272. *Poſito præſtabilitæ harmoniæ ſyſtemate, certo cognoſci naturali ratione non poteſt, num in humanis corporibus, a noſtro diſtinctis, rationalis anima reipſa exiſtat.* Cum enim, hoc admiſſo ſyſtemate, omnes motus humani corporis, etiam qui conſilio perfici dicuntur, ita fiant ſine ulla dependentia ab anima rationali, ut in illo eſſent futuri, licet anima rationalis in eo nequaquam exiſteret, non repugnat, ut corpus ipſum ſuos omnes agat motus, rationali anima deſtitutum. Igitur ex eo, quod humanum corpus a noſtro diſtinctum vitaliter moveatur, motuſque non animales ſolum, verum etiam rationales exerceat, inferri certo nequit, rationalem animam in illo reipſa exiſtere; adeoque &c.

ANI-

(a) Lib. I. *qq. Tuſcul.* cap. 23. (b). Valliſius *de ſacra Philoſophia* cap. 5.

ANIMADVERSIO.

273. Non dubito, quin concedat Cl. Volfius, humanum corpus, in systemate *harmoniæ præstabilitæ*, rectissime posse independenter ab anima rationali, inter viventia collocari. Hujuscemodi enim est, ipsiusmet etiam Cl. Viri judicio, ut sine ulla prorsus dependentia ab anima rationali, humanas omnes actiones, omnesque vitæ motus reapse perficiat. *Cogitandum est*, inquit Vir Cl., *quoniam homo cognitionis universalis capax, & ratiocinando ad discursiva judicia pervenit, præterea operationibus intellectus rite usus, beneficio rationis, veritates incognitas detegere, & quæ animo complexus est, aliis explicare valet; in systemate harmoniæ præstabilitæ corpus humanum hæc omnia loquela oris proferret, etiamsi nulla existeret anima (§.616.)* v.g. *Archimedes tam sublimia inventa, quibus Geometriam ditavit, in libris suis exposuisset, librosque singulos eodem, quo conscripti sunt, modo scripsisset, etiamsi nulla ipsi fuisset anima* (a). Principium igitur, a quo omnes corporeæ hominis actiones proveniunt, est aliud, etiam per Volfium, ab anima rationali; atque insuper tale ipsum est, ut a rationali anima nullo plane modo dependeat. Ceterum vellem scire a Viro doctissimo, qua ratione naturali ab eo convinceretur erroris, qui contenderet, in Archimedæo corpore animam rationalem nunquam fuisse.

PROPOSITIO XV.

Commercium, quod mentem inter atque corpus est, philosophice ab harmonistis non explicatur.

274. *Probatur*. Non alia juxta *harmonistas* est ratio, cur humana mens, atque corpus sibi mutuo suis in actionibus consentiant, nisi quia Deus voluit, atque fecit, ut hæc duo, etsi apprime dissimilia, *automata* sibi mutuo in operando harmonice responderent. Ideo enim, si *harmonistas* audiamus, certæ rerum notiones in anima respondent certis mutationibus corporis, & certi motus corporis quibusdam volitionibus mentis, quia hæc duo *automata* eo modo simul juncta a Deo sunt, quo ipse novit vi præscientiæ suæ, certo fore, ut simul utrumque operaretur. Philosophice autem non explicatur, cur, uno posito in rerum natura, alterum itidem contingat, si id ex eo oriri dicatur, quod ita illa disposuerit Deus, ut, quamprimum accidit unum,

(a) Psychol. *ration.* §. 637.

unum, & alterum fieret. Nihil quippe, quemadmodum *occafionaliftis* objecimus fuo loco, tam arduum, tamque explicatu difficile occurrere nobis poteft naturæ phœnomenon, quod a quovis, quantumvis rudis ille fit & imperitus, exponi hac methodo nequeat & demonftrari. Ergo commercium, quod mentem inter atque corpus eft, philofophice ab *harmoniftis* non explicatur.

Confirmatur 1. Cum enim humana mens, juxta *harmoniftarum* fyftema, independenter adeo a corpore fuas omnes perceptiones, appetitionefque producat, ut non aliter operaretur, ac agit modo, etiamfi nullum corpus exifteret (§. 165.); corpus quoque fit *automa*, vi fui tantummodo mechanifmi, fine ulla reali dependentia ab anima, omnes fuos motus perficiens (§. 166.), nihil profecto, juxta hoc fyftema, eft in anima, quod fit ratio, cur, quibufdam in ea pofitis volitionibus, certi in corpore motus fiant; nihilque in corpore eft, quod fit ratio, cur, certis mutationibus ex rerum appulfu in illo factis, certæ rerum notiones in anima habeantur. Nulla igitur in rebus ipfis datur ratio, cur anima, & corpus fibi mutuo in operando confentiant. Quamobrem aut hujufce harmonici confenfus ratio ex divina fapientia atque potentia unice derivanda eft; aut dicendum, iftiufmodi commercium omni prorfus ratione deftitui. Hoc poftremum certe non dabunt *harmoniftæ*. Ergo Deum vocare debent ex machina, ut caufam tam eximii phœnomeni nobis exhibeant.

Confirmatur 2. Ponamus, globum terraqueum effe machinam eo artificio a Deo elaboratam, ut, vi folius mechanifmi, quo inftructa eft, maris aqua bis fingulis diebus fluat, bifque refluat. Ponamus quoque, Solem atque Lunam, vi folius mechanifmi, fuum tam periodicum, quam diurnum motum perficere. Ponamus poftremo, terraqueum globum eo artificio collocatum in univerfi centro a Deo fuiffe, quo ipfe prævidit, fore, ut effluat mare, cum Luna ad meridianum pervenit; refluat, cum illa prope horizontem exiftit. Hifce pofitis, quæro, an per hanc harmoniam inter terraqueum globum, & cœleftia corpora a Deo præftabilitam, maris æftus explicari ita poffit, ut ipfa explicatio digna jure ac merito fit, quæ inter philofophicas cenfeatur. Si hæc explicatio ponatur Philofopho digna, miror, cur maris æftus adeo torferit olim, & modo etiam torqueat Philofophorum ingenia, cum tanta poffit facilitate exponi; mihique gratulor, quod omnium primus tam grande naturæ arcanum in aperto pofuerim. Si vero maris æftus hoc modo nequaquam exponitur, propterea nimirum quia principia, quæ affumuntur, æque nos lateant, ac phœnomenon ipfum, quod illorum ope explicatur, totaque

que insuper illius causa ex Divina sapientia derivetur: eandem ob causam neque explicatio commercii mentis cum corpore, quam tradunt *harmonistę*, pro philosophica habenda est, sed, tamquam arbitrarium figmentum Philosopho prorsus indignum, est reiicienda.

ANIMADVERSIO I.

275. Ideo præcise, juxta *harmonistarum* systema, rerum notiones, quæ excitantur in mente, certis mutationibus corporis respondere, & vicissim quosdam motus corporis volitionibus mentis *harmonice* consentire, quia Deus hæc duo *automata* eo modo simul junxit, quo novit, certo fore, ut sibi mutuo *harmonice* in operando responderent, aperta etiam Cl. Volfii sententia est. Explicans enim Vir doctissimus, quomodo harmonia inter operationes mentis, & motus corporis præstabilita a Deo fuerit, manifeste docet, id fuisse factum, quatenus Deus *animæ junxit corpus, in quo existere potest series motuum perceptionibus, & appetitionibus animæ consentientium, & eum fecit rerum materialium nexum, ut motus isti ad actum perducantur per continuas in organa sensoria impressiones extrinsecus factas. Anima enim vi propria producit omnes, quas successive habet, perceptiones, & appetitiones (§. 613.), eodem prorsus modo, quo nunc sese invicem excipiunt, consequuturas, etiamsi mundus hic adspectabilis, consequenter corpus eidem junctum, non existeret (§. 614.). Est vero corpus aliquod possibile, in quo series quædam motuum per impressiones externas in organa sensoria conservari potest, qui singuli perceptionibus singulis, & appetitionibus animæ constanter consentiant (§. 617.). Hoc igitur corpus Deus animæ junxit, utque motus in eodem eo ordine se invicem actu consequantur, quo animæ modificationes sese excipiunt, nexum rerum materialium talem effecit, qualem requirunt externę in organa sensoria impressiones, quibus motuum series conservatur. Hoc pacto Deus in systemate harmoniæ præstabilitæ effecit, ut per essentiam, & naturam animæ atque corporis, totiusque mundi materialis, harmonia animæ, & corporis subsistat (§. 539.), consequenter harmoniam pręstabilivit* (a). Addit vero, ita demum intelligi, *quid sibi velit harmonię præstabilitio. Est nempe* (illius sunt verba) *actus Dei, quo effecit, ut harmonia animæ & corporis subsistat, citra influxum realem unius substantiæ in alteram, per ipsam utriusque essentiam, atque naturam* (b). Non aliam itaque ob causam, etiam si Volfium ipsum audiamus, juxta *præstabilitæ harmonię* systema, certæ rerum notiones in anima respondent certis muta-

(a) Psychol. *ratio.* §. 614.

(b) Ibidem in *not.*

tationibus corporis, & viciſſim certi motus corporis volitionibus animæ conſtanti lege conſentiunt, niſi quia effecit Deus, ut illa duo *automata*, anima ſcilicet, atque corpus, licet independentia a ſe mutuo reipſa ſint, ita ſimul juncta in uno homine exiſtant, ut in ſuis functionibus exercendis ſibi invicem *harmonice* reſponderent.

ANIMADVERSIO II.

276. *Quia ex ſyſtemate harmoniç praſtabilita*, inquit Cl. Auctor, *per naturam animç, ac corporis intelligitur, cur ideis materialibus in cerebro tales perceptiones in anima, & appetitionibus anima tales motus voluntarii in corpore coexiſtant, in ſyſtemate harmonia praſtabilita commercium inter animam, & corpus intercedens per ipſam anima, & corporis naturam intelligibili modo explicatur* (a). At vim rationis non capio, qua oſtendit Vir Cl., *per naturam anima, & corporis intelligi* in hoc ſyſtemate, *cur ideis materialibus in cerebro perceptiones in anima, & appetitionibus anima tales motus in corpore coexiſtant*. Permitto, *nullam in anima dari perceptionem, vel appetitionem, quin aliquis ipſi in ſerie motuum reſpondeat motus; nec viciſſim aliquem in ſerie motuum dari motum, quin eidem in ſerie perceptionum, & appetitionum aliqua reſpondeat perceptio, & appetitio*. Id enim, ipſa teſte conſcientia, notum cuique eſt, neque aliud nomine *mutui commercii* mentis cum corpore, ut ſuo loco diximus, deſignatur. Verum me ignorare, candide fateor, quonam jure per particulam illativam (*atque adeo*) hinc inferat Vir doctiſſimus, *per naturam, & eſſentiam anima, & corporis intelligi, cur perceptiones, & appetitiones in anima, & motus quidam in corpore eodem tempore contingant; & conſequenter in anima, & corpore contineri rationem ſufficientem continuitatis temporis, quo perceptiones, & appetitiones in anima, & utriſque conſentientes motus in corpore contineant*. Illationem hanc, inquam, me ignorare, fateor. Eſſentia animæ talis eſt, ipſo auctore Volfio, ut *producat ſeriem perceptionum, & appetitionum, vi propria, citra ullam realem ipſius anima a corpore dependentiam* (b), adeoque ut eandem perceptionum atque appetitionum ſeriem eſſet productura, *etiamſi neque corpus, neque adſpectabilis ipſe mundus exiſteret* (c). Illius quoque naturæ eſt humanum corpus, ut in ipſo contingat *ſeries quædam motuum ex ſe invicem naſcentium vi ſolius mechaniſmi, citra ullam dependentiam realem corporis ab anima* (d), videlicet ea ratione

(a) Pſychol. *ration.* §. 620.
(b) Ibidem §. 618.
(c) Ibidem §. 614.
(d) Ibidem §. 618.

ne, ut iidem ipsi motus in illo consequerentur, *quamvis anima non existeret* (a). Ergo tantum abest, ut, hisce positis principiis, intelligi queat per naturam animæ, & corporis, cur perceptiones & appetitiones in anima, & motus quidam in corpore simul eodem tempore contingant, quin contrarium potius dicendum videatur. Quomodo enim per essentiam corporis intelligi potest, cur operetur anima, & per naturam animæ, cur moveatur corpus, si anima non aliter operaretur, nullo existente corpore, ac modo operatur, copulata corpori; neque alios motus ageret corpus anima destitutum, nisi quos perficit anima præditum? Intumescit aqua maris, cum Luna ad meridianum pervenit, neque tamen per naturam maris intelligitur, cur Luna meridianum tunc assequatur; neque per naturam Lunæ, cur tunc mare exundet. Si neque mens a corpore, neque corpus a mente, licet eodem simul tempore suas operationes perficiant, aliquo reali modo dependet, quemadmodum nulla est nec mei a Volfio, nec Volfii a me, etsi eodem scribamus tempore, in scribendo dependentia, certe aut etiam dandum est per mei naturam intelligi, cur Vir ille Cl. modo scribat, & per illius naturam, cur scribam ego; aut negandum, intelligi per animæ, corporisque naturam, cur perceptiones in anima respondeant mutationibus corporis, & motus corporis volitionibus mentis *harminice* consentiant. Hisce porro iisdem momentis & itidem adducor, ut dicam, in systemate *harmoniæ præstabilitæ* intelligibili modo non explicari, cur *talibus mutationibus positis in organis sensoriis corporis, tales rerum ideæ excitentur in anima*, & vicissim *cur volitionibus mentis hi potius, quam alii in corpore motus respondeant* (b). Ut evincat Cl. Auctor, id in *præstabilitæ harmoniæ* systemate intelligibili modo exponi, assumit, *rationem sufficientem* perceptionum in mutationibus corporis, & *sufficientem rationem* motuum corporis in mentis volitionibus comprehendi. Sed, cum in hujusce demonstrationis limine veluti certum ponat, neque mentem a corpore in suis perceptionibus appetitionibusque producendis, neque corpus a mente in suis agendis motibus aliquo reali modo dependere, grave ne sit Viro doctissimo, si dixero, pugnantia videri, quæ tradit, quaque utitur demonstratione, nihil prorsus concludi.

ANIMADVERSIO III.

277. *Hæc*, inquit laudatus Auctor, *est prærogativa systematis harmoniæ* præ-

(a) Psychol. *ration.* §. 616.
(b) Ibidem §. 618.

præstabilita præ ceteris, ut commercium scilicet mentis cum corpore per ipsam animam corporisque naturam intelligibili modo in illo explicetur. *Etenim in systemate influxus physici sumuntur, quorum nullam habemus notionem, ut inde explicemus commercium inter animam atque corpus intercedens. In systemate causarum occasionalium recurritur ad potentiam Dei infinitam, ut reddatur ratio eorum, quæ in natura rerum occurrunt. Utrumque in Philosophia alias improbatur, quæ non fert, ut in numerum causarum naturalium referantur qualitates occultæ, &, neglectis causis secundis, ad causam primam provocetur, quando effectuum naturalium quæruntur causæ. Ceterum per propositionem præsentem redarguitur illorum error, qui sibi persuadent, quasi harmonia præstabilita sit terminus inanis, & quæ eodem jure in numerum qualitatum occultarum referri mereatur, quo odium naturale plantarum in Physica Scholasticorum in eundem referri solet. Qui vero ita sentiunt, non satis intelligere videntur, quid sit harmonia præstabilita, neque intelligunt, quæ de nexu substantiarum citra influxum realem in mutationibus suis harmonicarum in genere demonstravimus* (41., 42., 43. Cosmol.). *Redarguitur non minus per propositionem præsentem error eorum, qui contendunt, in systemate harmoniæ præstabilitæ non minus ad voluntatem Numinis provocari, quam in systemate causarum occasionalium. Qui enim ita sentiunt, denuo non satis intelligere videntur, quid sit harmonia præstabilita, præstabilitione non rite intellecta* (a). Hæc itaque Volfius. Verum quo jure, non satis intelligo. Et quidem in primis, nisi Vir doctissimus aliter, atque factum ab eo fuerit, ostendat, *in systemate harmoniæ præstabilitæ per naturam animæ ac corporis intelligi, cur ideis materialibus in cerebro tales perceptiones in anima, & appetitionibus animæ tales motus voluntarii in corpore coexistant*, nunquam dabimus, quod inde ab illo infertur, *commercium* scilicet *inter animam, & corpus intercedens per ipsam animæ & corporis naturam intelligibili modo* in hoc systemate *explicari*. Tantum enim abest, ut illud ostenderit Cl. Auctor, quin contrarium potius, sicuti vidimus, ex *præstabilitæ harmoniæ* principiis apertissime colligatur. Quæ sit ergo *prærogativa systematis harmoniæ præstabilitæ præ ceteris*, plane non video. *In systemate influxus physici*, inquit ille, *sumuntur, quorum nullam habemus notionem*, videlicet animam physice agere in corpus, & corpus in animam. At etiam in *præstabilitæ harmoniæ* systemate principia adhibentur, quæ penitius inspecta non minus, quam physicus ille mentis in corpus, & corporis in mentem influxus, captum superant. Intelligi nequit, quæ sit physica illius influxus natura. Verum ecquis est

(a) Psychol. *ratio.* in *not.* ad §. 629.

est, qui naturam animæ, & corporis, qualis ab *harmonistis* fingitur, possit mente complecti? Humana mens juxta *harmonistas* ejus est naturæ, ut *sibi eodem, quo nunc, modo repræsentaret hoc universum, etiamsi mundus adspectabilis non existeret* (a): videlicet *etiamsi Deus*, inquit Vir Cl. Petrus de Crosa, *non condidisset corpora humana, erat tamen Adami mens* (harmonistarum sententia) *tale automaton, non quidem corporeum, sed spirituale (cujus nulla habetur idea), ut vi automaticæ suæ dispositionis credidisset se junctam corpori in horto amęnissimo posito, fructibus ejus vescentem, nomina imponentem animalibus, quæ nusquam fuissent, arripientem fructum vetitum, comedentem, quę nequidem erant, inde conterritam, lugentem, & in veniam receptam, liberos postmodum suscipientem &c.* (b). Humanum quoque corpus illius ab *harmonistis* fingitur structuræ, ut vi sui tantummodo mechanismi omnes, quos agit, motus *eodem, quo nunc, modo adhuc in illo consequerentur, etiamsi anima non existeret* (c), nempe *si nullæ fuissent mentes conditę*, inquit laudatus Petrus de Crosa, *corpora, quæ nunc ipsis juncta putantur, & earum nutibus subjacere, saltem ex parte, corpora illa nihilominus mente vacua, & cum nulla mente relationem habentia, tamen scientias excolitura fuisse, societates institura, easdem legibus ornatura, & magistratibus cum bellicis, tum politicis firmatura. Fędera inter se principes machinas omni intelligentia destitutas inituras fuisse, legatos ad se invicem orationibus elegantibus ore & scripto reposituros. Cum religione excogitatas Academias pariter fuisse a meris corporibus omni cogitatione vacantibus instituendas. Oratores sacros ad fletum, & pœnitentiam hortantes, gemitus ex pectoribus, a quibus intelligi non poterant, elicituros fuisse. Libros in sectas divisas machinas in se mutuo conscripturas fuisse, quorum verbis sensum nullus adijceret. Inde in bella erupisse, per instrumenta pacis sedanda. Machinas denique ad conspectum metallorum in monetas adductorum ita exarsuras fuisse, ut nihil sit, quod non ab eorum elateriis per radios inde manantes actii, exigi non potuerit* (d). Neque arbitrandum, à tanto Viro *harmonistis* imponi. Summus quippe & ipse *harmonista* Volfius, talem atque tantum esse, ait, humani corporis mechanismum, ut *Archimedes tam sublimia inventa, quibus Geometriam ditavit, in libris suis exposuisset, librosque singulos eodem, quo conscripti sunt, modo scripsisset, etiamsi nulla ipsi fuisset anima* (e). Hæc igitur sunt principia, quibus totum innixum est *pręstabilitę harmonię* systema. An autem captu faciliora

 sint,

(a) Psychol. *ration.* §. 614.
(b) Differt. *de mente humana* Sect. III. num.48.
(c) Psychol. *ration.* §. 616.
(d) Differt. de *mente humana* Sect. III. n.48.
(e) Psychol. *ration.* §. 637.

sint, quam *influxus physicus*, illi videant, in quibus non tantum potest præjudicata opinio, ut sine ratione valeat auctoritas. Ego certe cohibere me non possum, quin dicam cum laudato Viro doctissimo Petro de Crosa: *& sunt, qui se non deridendos putant, cum irrident, qui ejusmodi somnia mirari dedignantur* (a)! Itaque moleste ne ferat Volfius, si iisdem ferme vitiis obnoxium esse dixero *præstabilitæ harmoniæ* systema, quorum tum *influxus physici*, tum *occasionalium causarum* hypotheses ipse accusat. Peccat, inquit, systema *influxus physici*, quia hujusmodi *influxus* nulla habetur notio: ergo peccat *harmonistarum* systema (opponet *influxionista*) quia humani corporis mechanismus, ipso judice Volfio, talis est, ut a nobis nequeat comprehendi (b). *Influxus* mentis in corpus, & corporis in mentem, auctore Volfio, inter *occultas qualitates* recenseri jure optimo debet, propterea quia neque illius noscitur natura (c), neque existentia demonstratur (d): ergo etiam mechanismus humani cujusvis corporis inter *qualitates occultas* numerandus est, quia, ut Volfius ipse fatetur, neque comprehendi animo potest (e), neque aliqua ratione ostendi (f). Non fert Philosophia, ut *in numerum causarum naturalium referantur qualitates occultæ*: ergo neque ferre poterit, ut ad explicandum mentis cum corpore commercium talis fingatur ipsius mentis corporisque natura, quam ne ipsi quidem *harmonistæ* possunt concipere. Qui *vim attractricem* magnetis allegat *tamquam causam motus ferri ad magnetem, atque mutuæ adhæsionis, dat*, inquit Volfius, *sine mente sonos* (g): ergo etiam qui *automaticam* quamdam *vim* sibi tum in anima, tum in corpore fingunt, ut harmonici consensus, qui hasce inter substantias est, rationem reddant, sonantibus utuntur verbis, quæ nos minime doctiores efficiunt. Qui dicunt, ait Cl. Auctor, *harmoniam præstabilitam* esse *terminum inanem*, non satis intelligere videntur, quid ea sit. At ignoro, num jure id obiici illis etiam possit, qui fatentur, se quidem animo complecti, quid sit *harmoniæ præstabilitio*; at nullo modo, ajunt, ab se intelligi, quodnam inter *automaticam* mentis corporisque *vim*, & *facultatem attractricem* magnetis discrimen habeatur. Peccat *occasionalium causarum* systema, quia in illo fit recursus ad potentiam Dei infinitam, ut naturæ phœnomenon, mentis scilicet cum corpore commercium, apertum fiat: ergo *præstabilitæ harmoniæ* systema itidem peccat, quia juxta *harmonistas* non alia quoque ejusdem commercii ratio est, nisi eadem ipsa Dei potentia. Naturalis Philoso-

phia

(a) Differt. *de mente humana* Sect. III. num. 48.
(b) Psychol. *ration.* §. 637.
(c) Ibidem §. 575.
(d) Ibidem §. 588.
(e) Ibidem §. 637.
(f) Ibidem in *not.* ad §. 617.
(g) Logicæ in *not.* ad §. 136.

phia non patitur, ut, *neglectis causis secundis, ad causam primam provocetur, quando effectuum naturalium quaeruntur causae:* ergo eadem ipsa non sinit, ut, omni sublata actione mentis in corpus, omnique corporis in mentem causalitate rejecta, sola Dei sapientia atque potentia factum fuisse dicatur, ut *ideae sensuales ideis materialibus ita coexistant, ac si corpus in animam influeret, seu vi sua illas produceret; & vicissim motus voluntarii in corpore ita coexistant volitionibus animae, ac si anima in corpus influeret, seu vi sua motum corporis produceret* (a). Sciat velim, Vir doctissimus, eos, qui ajunt, *in systemate harmoniae praestabilitae non minus ad voluntatem numinis provocari, quam in systemate causarum occasionalium*, harmoniae praestabilitionem animo comprehensam habere; at ignorare prorsus, quae sit ratio distincta a divina voluntate atque sapientia, propter quam anima, & corpus, licet reipsa sint duo *automata* a se mutuo penitus independentia, ita *harmonice* in operando sibi mutuo consentiant, ut a se invicem suis in actionibus dependere videantur. Habent quidem & ipsi pro re comperta, *ob omnimodam creaturarum a Deo dependentiam fieri non posse, quin tandem ad Deum perveniatur.* At ratum simul illis fixumque est, tunc solum Deo, tamquam universali causae, rerumque omnium moderatori optimo, naturales effectus referendos esse acceptos, cum peculiares singulorum causae in ipsa rerum natura determinatae jam fuerint. Hanc exhibeat, inquiunt, Vir ipse doctissimus, cum ab illo quaeritur, cur rerum notiones in anima mutationibus corporis, & motus corporis volitionibus animae constanti lege respondeant, & tunc ei dabunt, *harmonistas* inter, atque *occasionalistas* latum esse discrimen. Caveat solum, ne tunc sibi contradicat, quippe qui jam dixerat, *in tota rerum natura nihil reperiri posse, per quod praestabilitio illa fieri potuisse intelligatur, consequenter in tota rerum natura rationem sufficientem non haberi;* & ideo praestabilitionem ipsam *esse miraculum* (b). Interim ergo ei non sit grave, si ipsi subscribere nequeamus, cum ait, *systema harmoniae praestabilitae admodum esse probabile* (c); *ceterisque systematis explicandi commercium animae & corporis esse praeferendum* (d).

PRO-

(a) Psychol. *ration.* §. 621.
(b) Ibidem §. 629.
(c) Ibidem §. 638.
(d) Ibidem §. 639.

PROPOSITIO XVI.

Præstabilitæ harmoniæ systema neque dignum Philosopho est, neque a Viro catholico propugnari sine piaculo potest.

278. Probatur *primo*, hoc systema non esse dignum, quod ab ingenuo Philosopho admittatur. Etenim non arbitraria solum (§§. 169. 172.), verum etiam nobis penitus incomprehensibilia sunt principia, quibus innititur (§. 277.); eaque insuper hujuscemodi sunt, ut admitti nequeant, quin plura ambigua prorsus, atque falsa pro veris habeantur. Hisce enim positis, dandum necessario est I. *nullius plane naturalis effefectus efficientem causam cognosci per experientiam a nobis posse, certoque determinari* (§. 176.). II. *mentem ita semper cogitare, ut ne quidem in alto hominis sopore a cogitando cesset* (§. 182.) III. *plura in ipsa mente contingere, quin ulla penitus eorum assignari a nobis queat ratio sufficiens* (§. 186.). IV. *realem corporum existentiam haud posse naturali ratione contra idealistas evinci* (§. 195.). V. *animas rationales specie distingui* (§. 232.), *certoque cognosci a nobis minime posse, num in humanis corporibus, a nostro distinctis, rationalis anima vere existat* (§. 272.). Tale demum est hoc systema, ut mutuum mentis cum corpore commercium philosophice illius ope non explicetur (§. 274.). Ergo dignum istiusmodi systema non est, quod ab ingenuo Philosopho admittatur.

Probatur modo, *præstabilitæ harmoniæ* systema non posse a Viro catholico sine piaculo propugnari. Non enim hoc a nobis potest systema defendi, quin Catholicæ fidei, quam profitemur, labes, & quidem maxima, inferatur. Etenim I. *S. Scripturæ atque Patribus aperte contrarium est* (§. 200.). II. *ad inhoneste vivendum viam apertissimam sternit* (§. 210.). III. *nullam esse ponit concupiscentiam, quæ dicitur anima ex carne* (§. 214.), *quamque Theologi originali peccato acceptam referunt* (§. 216.). IV. *divisionem animæ in partem superiorem, & inferiorem, quam ex S. Scriptura, & Patribus communi calculo tradunt Theologi, omnino evertit* (§. 217.). V. *macerationes carnis ad eam subigendam spiritui inutiles exhibet* (§. 223.), *datque ansam, ut, quæ de corporis pœnitentia tradit Ecclesia, veluti plane inutilia, rideantur* (§. 224.). VI. *hominis tum in suas perceptiones* (§. 229.), *tum in motus sui corporis libertatem, quæ a necessitate dicitur* (§. 241.) *plane convellit, externas hominis actiones fato subjicit* (§. 243.), *efficitque, ut homini imputari jure illæ non possint* (§. 245.). VII. *ponit, frustra cum Apostolo clamare Ecclesiam, ut in externis corrigendis moribus suam*

christianus populus diligentiam collocet (244.). VIII. *ansam demum prabet dicendi, secus ac Ecclesia definierit, mentem humanam non esse corporis formam* (§.263.) *pluresque a se mutuo independentes animas, in uno simul homine contineri* (§.271.). Igitur *praestabilita harmonia* systema non solum indignum Philosopho est, verum etiam nequit sine piaculo a Viro catholico propugnari.

ANIMADVERSIO I.

279. *Si quis hebetior fuerit*, inquit Volfius, *quam ut philosophicam scientiam capere possit; vel infirmior, quam ut, inoffensa pietate, systemati harmonia praestabilita assentiatur, is systema influxus physici amplectatur, & systema harmonia praestabilita, si velit, damnet, modo sibi temperet a malitia. Etenim, qui habetior est, quam ut philosophicam scientiam capere possit, is assentiri nequit ob rationum evidentiam, sed assensus ejus nititur rationibus extrinsecis, & prajudiciis, qua a prima juventute hausit, difficillime eradicandis, atque idem passionibus anima obnoxius. Quamobrem, si vel maxima veritati assentitur, aut, quod est probabile, ei praefert, quod minus probabile; non tamen id ideo facit, quod veritatem, qua talem agnoscat, & probabilitatem introspiciat, sed istiusmodi rationibus adductus, qua, casu ita ferente, eundem permovere poterant ad contrarium firmiter tenendum, & pertinaciter defendendum. Perinde igitur est, sive assensum suum prabeat Philosophis, sive eundem deneget. Æquo igitur Philosophus ferre debet animo dissensum eorum, qui hebetiores sunt, quam ut philosophicam scientiam capere possint; consequenter nec agre fert, si systema influxus physici amplectantur, & systema praestabilita harmonia damnent, modo sibi a malitia temperent; quippe cum nemo ferre possit in altero studium nocendi, sed unusquisque ipso natura jure adversus vim aliorum sese defendere teneatur. Qui infirmior est, quam ut, inoffensa pietate, systemati harmonia praestabilita assentiatur, is veretur, ne hac hypothesis sit impia, & religioni inimica, propthereaquod sibi semper persuasit, systema influxus physici in Scriptura sacra probari, nec salva ejus auctoritate rejici posse. Quamobrem cum ista infirmitas ab hebetudine mentis proficiscatur, fieri haudquaquam poterit, ut contrarium doceatur. Quamobrem cum Philosophus aquo ferat animo, ut hebetiores, quam ut philosophicam veritatem capere possint, systema harmonia praestabilita damnent, & rideant, & systema influxus physici probent, & extollant; multo magis condonabit infirmioribus, quam ut, inoffensa pietate, systemati harmonia praestabilita assentiantur; cum praestet, pium esse, quam*

cæ-

cæcum hypothesi philosophicæ præbere assensum, ut systemate influxus physici pietatem fulciant, & systema harmoniæ præstabilitæ, si velint, damnent, modo caveant, ne zelus in malitiam degeneret, quæ cum pietati adversa sit, ferenda animo æquo non est (a). Patet ergo, quam honorifice de iis sentiat Volfius, quibus non arridet, quod ei summa veritas est, *præstabilitæ harmoniæ* systema. Ad me in primis quod spectat, fateor ingenue, hebetioris me esse ingenii, quam ut philosophicam a tanto Viro traditam, *præstabilitæ harmoniæ* scientiam valeam cogitatione complecti; tantæque propterea infirmitatis (hæc enim, ut ipse ait, ab hebetudine mentis proficiscitur), ut tam præclaro systemati, salvâ fide, quam corde & ore profiteor, assentiri neutiquam me posse putem. *Non* enim *me pudet, ut istos, fateri nescire, quod nesciam* (b); *nec ego is sum, qui nihil unquam falsi approbem, qui nunquam assentiar, qui nihil opiner* (c). *Certa dicent ii, qui* cum tanto Viro *& percipi ea posse dicunt, &*, cum commercii mentis cum corpore causa quæritur, *se sapientes esse profitentur* (d). Ceterum adeo apertum arbitror, *præstabilitæ harmoniæ* hypothesim fictitiis inniti principiis, nulla prorsus ratione ostendi, ejusque tutandæ causa, non uno in loco Virum Cl. sibimetipsi adversari, ut, si ita mihi fari cum Viro doctissimo liceat, *puderet me dicere non intelligere, si ipsi intelligerent, qui hæc tractarunt* (e). Constans igitur mihi est, semperque, bona tanti Viri venia, erit opinio, systema *harmoniæ præstabilitæ* neque dignum esse ingenuo Philosopho, neque a Viro catholico sine piaculo posse defendi. Hactenus de me. Quod vero ad alios spectat, qui huic systemati adversantur, miror, eos omnes inter habetiores, infirmioresque ab uno Volfio collocari. Latere quippe ipsum non debuit, quodnam Vallisnerii, Petri de Crosa, Gravesandi, Petri Bayle, aliorumque de hoc systemate judicium fuerit. De *viventium* etenim *generatione* disserens Cl. Vallisnerius, postquam docuit contra Leibnitium, ipsumque adeo Volfium, rationales omnium futurorum hominum animas initio temporis simul creatas a Deo non fuisse, neque suis corpusculis organicis, seu vermibus spermaticis, ut ille perperam opinabatur, tunc fuisse inclusas, hæc habet de *automatica* facultate productrice idearum, quam in anima rationali finxit Leibnitius; ut præclarum suum *præstabilitæ harmoniæ* systema stabiliret: *In quanti lacciuoli, e trappole, per voler saper troppo, sono cadute anime illustri, elette per altro a magnanime imprese,* e

(a) Psychol. *ration.* §. 640.
(b) Tullius lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 25.
(c) Idem lib. IV. *qq. Academ.* cap. 20.
(d) Idem lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 9.
(e) Melchior Cano lib. IX *de locis Theol.* cap. 7.

e a dar gloria e fama alle Lettere, ed ai Filosofici studj? Quanto bella, quanto ingegnosa la nobil Theodicea del suddetto valente Scrittore sarebbe, se non avesse voluto pensar troppo libero, e tentato penetrare troppo addentro negli arcani profondissimi della creazione? Quel volere, che il nascere delle anime nostre fosse anch' esso uno sviluppo, e che tutte create fossero in un sol colpo, e ne suoi organetti rinchiuse, i quali strigandosi col tempo, dassero campo anche all' anima di strigarsi, anzi che i pensieri stessi, che facciamo, e tante nobili produzzioni di mente fossero anch' esse tutte inviluppate, e che di giorno in giorno, conforme le occasioni, e i modi pian piano sviluppando si vadano, di maniera che nulla in questo Mondo, ne meno immateriale, si crei di nuovo, ma tutto solo col tempo si manifesti, e sensibile si renda, è un voler troppo sapere, dove poco, o nulla saper possiamo (a). Hæc Vallisnerius, cujus quantum in naturæ arcanis investigandis ingenium fuerit, præclara tum naturalis Philosophiæ, tum Medicinæ opera ab eo edita manifeste ostendunt. Ita vero Petrus de Crosa Matheseos, ac Philosophiæ in Groningensi Academia Professor eximius: *Mirum certe videtur, & ad instar prodigii est; quod systema* (præstabilitæ harmoniæ) *adeo obscurum, supra quam dici potest, paradoxum,* libertatem *homini eripiens, unde virtutes ejus decus suum trahunt, & qua erepta, non est quod corpus suum, in quod* nullum imperium *habet, Deo offerat, Deo mancipet in victimam rationalem, non ex impetu,* ex causarum fatali serie *nato, sed ex animo libere Deo sese devovente; mirum est, systema* moralitatem *tollens,* miracula, *quibus Deus sese cognoscendum & palpandum hominibus, tamquam naturæ Dominum supremum, ejus leges a se positas pro arbitrio summo suspendentem, flectentem, & refingentem, exhibet,* miracula *ad* seriem *illam* fatalem *revocans,* præmiorum *splendorem & decentiam,* pœnarum *justitiam, & eqipso* legum *æquitatem, uno verbo,* religionem omnem, & christianam *præsertim, qua* satisfactionem *tanti meriti ad peccatorum absolutionem agnoscit, funditus evertens, tot habuerit, & habeat asseclas. Sed reputandum est, hominibus laboris impatientibus, quales plurimi sunt, & examinis molestiam fugientibus, dulce esse auctoritati acquiescere, quam fama, aut affectibus moti, Doctoribus suis imputare amant, sibique videntur ex parte in se accersere gloriam nominis illustris, a quo denominari eligunt. Atque huc ipsos trahit suorum Magistrorum stilus, quo demonstrationes meras se dare professi, libros suos non in gratiam hominum inferioris ordinis scriptos, sed unice in utilitatem excelsissimarum mentium editos, monent, & prædicant. Præterea dum, crebra repetitione, formulas &*

(a) P. II. de *ovis femin. vivip.* cap. 14.

& hypotheſes familiares ſibi præſtiterunt, eo tandem deveniunt, ut non minus perſpicuas credant, quam familiares: qui error certe eſt ex frequentiſſimis, in eoque iſti tanto magis ſibi plaudunt, quo ceteros de ſyſtematis, quod clare a ſe teneri putant, obſcuritate conqueri audiunt. Continet & illud ſyſtema, unde animos hominum ſibi conciliet. Non deſinit quippe liber eſſe, qui libertatis exiſtentiam negat. Illa ergo facultate, quoties lubet, utitur, illiuſque uſus ſuavitate afficitur. At ſi forte veniat in mentem, ſe libertate ſua abuſum, contra conſcientiæ morſus, triſteſque agitationes, ejuſmodi perſuaſionem comitari ſolitas, habet continuo in ſua hypotheſi tutum perfugium. Male ſi vixerit, id unice imputandum videt ſeriei, cujus ipſe nec auctor, nec dominus fuit, & in quam nihil potuit. Si ſibi bene ſit, lætatur. Si quid iterum admiſerit, quod hominibus illaudabile videri ſoleat, ſcit, quo fato fuerit pertractus, nec ſibi quicquam exprobrat. Nec leve pondus addunt aſſenſui tanto, & prajudiciis ab hypotheſi ipſi diſſentientes. Cum enim inter Theologos occurrant in Phyſicis, & præſertim in Mathematicis parum admodum exercitati, hos omnes contemnunt ceu homines, quorum ratio inexculta jacet. Maxime vero in iſtos ſenſus adducuntur, ſi quando, ut ſit, eorum aliquos videant levibus argumentis in præclariſſima, exquiſitiſſima, ſimulque ſolidiſſima Recentiorum inventa invehi, quaſi non foret ſumme abſurdum, aliquem traducere tamquam nullius rei peritum, & de nulla judicare parem, quod omnia non aſſecutus fuerit. Certe Grammaticum interrogat vir mathematicus, conſulit Hiſtoricum, conſulit Opificem, & cum ſingulis pro arte ſua reſpondentibus attendit, ſe ratione ſua legitime uti exiſtimat (a). Et infra idem Cl. Auctor: *ſed quid mihi propono, aut quid ſibi proponunt harmoniæ præſtabilitæ defenſores? In eorum ſententiam venient quicunque fatali ſerie eo adducendi ſunt; eam rejicient, quorum mechaniſmus erit contrarius. Perit fructus omnium collationum, & placidarum diſputationum. Nullus eſt character veri, ſuam quiſque amplectitur ſententiam, ad quam amplectendam per ſingularem ſibi, aut cum aliis communem mechaniſmum, ſed immutabilem ſibi & illis, inducitur. Fruſtra diſputatur de primo* calculi differentialis *auctore. Quis eam quæſtionem dirimet? Neceſſitate fatali, cujuſque partis principia ipſi Mundo coæva ſunt, cujus motus & effectus alii oriri non poſſunt, quam oriuntur, niſi compage Mundi ipſius mutata, cujus partes, & motus omnes concatenatione æterna tenentur, & devinciuntur, ad quam ponendam & conſervandam Deus per neceſſitatem naturæ ſuæ determinatus fuit. Vi ejuſmodi concatenatio-*

(a) Differt. *de mente humana* Sect. III. num. 46.

tionis, effectus suos necessario sortientis, Britanni inducentur, ut illustrissimo Nevtono, Germani, ut celeberrimo Leibnitio hanc gloriam imputent. Sed quid dico, gloriam? Tali titulo nihil est levius, fallacius, contemptibilius. Fingat sibi meus Lector hominem, qui eadem nocte duas arbores ex Indiis allatas, jusserit & curaverit plantari, alteram quidem in horto sagacissimi Britanni, alteram in horto acutissimi Germani. Inde duæ gentes acerrimis inter se pugnabunt scriptis, quæ illarum arborum ante mediam noctem, quæ post mediam, terræ immissa fuerit. Sapientia divina quis dignum censere poterit (nisi fatali necessitate ad judicium tale ferendum abripiatur) automata condidisse, & movere, quæ maximo cum tumultu, livore, atque odio talem controversiam agitent. Ea vero, de qua litigatur, non minus vana est. Ex causarum æterna, & immutabili serie evenit, ut tandem cerebro hujus, aut illius certæ quædam impressæ fuerint figuræ, & a manibus ejusdem manarint certi quidam characteres, quæ figuræ, qui motus, qui characteres pariter locum habuissent, & in publicum emanassent, etiamsi nulla mens comes fuisset talium manuum, taliumque cerebrorum, quorum effectus nulla intelligentia direxit, nisi æterna sola omnium automatum, & automaticorum motuum origo, eaque necessaria. Non est igitur, quod laudemus, & suscipiamus eos, qui nihil fecerunt, sed aliunde in se cadentes impressiones, quas declinare ipsis impossibile erat, necessario receperunt. Non est, quod eorum liberalitati, & generositati gratias agamus pro luce communicata. Non est, quod de eorundem obscuritate, laconismo, & in effundendis opibus parcimonia queramur. Fecerunt, quodcunque facere poterant, aut potius, cum nihil possent, a causis externis adducti sunt eo, quo pervenere (a). Celeberrimus Gravesandus, diversarum sententiarum de conjunctione mentis cum corpore comparatione instituta, & æqua rationis lance expensis, probeque consideratis momentis, quibus singulæ innituntur, *ubi ad hæc omnia*, inquit, *attendo, nulla ratio me movere potest, ut ad harmoniam præstabilitam confugiam. Miror magni Viri, qui hanc excogitavit, ingenium; sed conclusio mihi non valida apparet, quæ ex comparatione superius memorata infert, non sapientia Divina dignum esse assistentiæ systema. Cadente autem hoc fundamento, hypothetica mihi videtur harmonia præstabilita* (b). Petrus demum de Bayle tot affert (c) momenta contra hanc hypothesim, ut dubium sit nemini, quin illius fuerit hostis ex animo. Neque enim ab amplectendo Leibnitiano *præ-*

(a) Differt. de *mente humana* Sect. III. num. 47.

(b) Introduct. ad *Philos.* lib. I. p. II. cap. 16. §. 268.

(c) *Diction. Critic.* artic. *Rorarius*.

præstabilitæ harmoniæ systemate ipsum retraxit offendendæ pietatis timor, cum, ut omnibus notum est, adeo in opinando ille sit liber, ut hac in parte nullis se limitibus coerceri patiatur. Itaque, si ipsum audiamus Volfium, dicendum est, Viros adeo eximios, quia eorum palato non arrisit *præstabilitæ harmoniæ* systema, hebetiores fuisse ingenio, quam ut philosophicam scientiam capere possent; eos non assentiri veritati ob rationum evidentiam, sed omnem ipsorum assensum niti rationibus extrinsecis, & præjudiciis, quæ a prima hauserunt ætate; & si vel maximam veritatem fassi aliquando sunt, minusque probabili probabile prætulere, id non ideo contigisse, quod veritatem, qua talem, agnoverint, probabilitatemque introspexerint, sed quia talibus rationibus permoti adductique fuerunt, quæ, casu ita ferente, eosdem ad contrarium firmiter tenendum, & pertinaciter defendendum poterant movere. Nihil quoque mirum, si arbitrati iidem fuerint, hoc systema, inoffensa pietate, haud posse defendi. Cum enim illi, si stemus Volfii judicio, mente fuerint hebetiores, quam ut philosophica veritas intelligi ab ipsis potuerit, non est, quod miremur, si infirmiores quoque fuerint, quam ut, sine timore errandi in fidei morumque doctrina, tam eximio systemati potuerint patrocinari. Hæc enim infirmitas, ut summus ille *harmonista* quasi ex tripode definit, ab hebetudine mentis proficiscitur. Tam honorificum ergo de Viris adeo eximiis ferendum a nobis judicium est, si pro tutando *præstabilitæ harmoniæ* systemate unum Volfium velimus audire, ejusque doctrinam amplecti. Miretur tamen nemo, si, qui *harmonistis* adversantur, hebetiores, quam ut philosophicam scientiam capere possint, censeat Volfius. Hujusce quippe sententia, *quemadmodum extra limites evagari censerentur Mathematici, qui res fidei ex Geometria confutandas aggrederentur, ita non minus cancellos egrediuntur Theologi, & Concionatores, qui de quæstionibus ad Scientiam naturalem spectantibus, & Geometriæ, ac Opticæ ignarorum captum longe superantibus, ex Scriptura Sacra, quæ nihil earum rerum docet, decretoriam sententiam* PROTERVE *pronuntiant*. Et quasi hæc tam præclara doctrina non sufficeret ad ostendendam tanti Viri indolem atque modestiam singularem, addit: *exemplo sunt Lactantius, atque Augustinus, quorum ille de rotunditate telluris, hic de antipodibus* PUERILITER ADMODUM *locutus, etsi uterque Scripturæ quædam verba in favorem hypotheseos suæ, oppido falsæ, adduceret* (a). Quam porro audax, atque falsum sit hoc Volfii judicium, non est, cur dicam. Moneo solum, eos, omnes, *qui exuto omni pudore, dejicere Augustinum de acqui-*

(a) Elem. *Astron.* §. 627. Genevæ 1735.

acquisiti splendoris, & dignitatis culmine conati sunt, nihil minus quam temerarios hucusque habitos merito esse, semperque fore, & jure quidem optimo, ut habeantur (a).

ANIMADVERSIO II.

280 Ostenso, quomodo, qui hebetiores sunt infirmioresque, se gerere debeant, cum de explicando mentis cum corpore commercio res illis est, doctrinam hanc suam, Kepleri auctoritate, ita confirmat illustris Auctor, *Sequimur hic*, inquit, *Keplerum, virum sagacissimi ingenii, & acuminis prorsus singularis, qui cum introductione ad Commentarios de motibus stellæ Martis causam Copernici pro virili egisset, & systema ejus ab objectionibus vindicasset, quibus ab antagonistis onerabatur, tandem ita concludit*: Qui hebetior est, quam ut astronomicam scientiam capere possit, vel infirmior, quam ut, inoffensa pietate, Copernico credat, ei suadeo, ut, missa schola astronomica, damnatis etiam, si placet, Philosophorum quibuscunque placitis, suas res agat, & ab hac peregrinatione mundana desistens, domum ad agellum suum excolendum se recipiat, oculisque, quibus solis videt, in hoc adspectabile cœlum sublatis, toto pectore in gratiarum actionem, & laudes Dei conditoris effundatur, certus se non minorem Deo cultum præstare, quam Astronomum, cui Deus hoc dedit, ut mentis oculo perspicacius videat, quæque invenit super iis Deum suum & ipse celebrare possit & velit. *Hoc Kepleri monitum tanto confidentius inculco, quanto evidentior est identitas rationum, cur anti-Copernicani systema Copernicanum, & anti-harmonistæ systema harmoniæ præstabilitæ oppugnent. Sumunt enim vulgo ante-Copernicani quietem telluris, & motum Solis circa eandem, vitio subreptionis, tamquam experientiæ consentanea, & ideo Copernicanum systema Scripturæ adversum pronuntiant. Sumunt vero etiam anti-harmonistæ influxum physicum animæ ac corporis in se invicem, tamquam experientiæ consentientem, eodem vitio subreptionis, & ideo verbis Scripturæ sacræ sensum notionibus suis respondentem tribuunt. Eadem igitur de causa anti-Copernicani Copernicanos, & anti-Harmonistæ Harmonistas impietatis insimulant. Miraremur vero, quod vitium subreptionis in systemate de motu Solis diurno agnoscentes, in idem tamen incidant in systemate influxus physici, nisi nobis abunde constaret, fieri posse, ut in Metaphysicis cæcutiat, qui lynceus est in Mathematicis. Enimvero dum æquos*

(a) Ludov. Antonius Muratorius in *præf.* ad opus *de moderamine ingeniorum*.

nos prębemus babetioribus , ac infirmioribus , nemo ſanus inde colliget , quaſi proprię cauſa diffidamus , & periculum ſyſtematis harmonia præſtabilita tacite confiteamur . Qua enim , quęſo , conſequentia id exſculpetur? Philoſophi non eſt ſibi placere , emendicato eorum aſſenſu , quos ſuo ſtare non poſſe judicio optime novit . Veritas enim non multitudine idem ſentientium , ſed rationibus triumphat , juxta illud vulgatum : multitudinem errantium non parere errori patrocinium (a) . Hæc Volfio , ut præclaro ſuo ſyſtemati auctoritatem conciliet, ſed irrito prorſus conatu . Non enim verbis, ſed *argumentis , & rationibus oportet* , inquit Tullius , *quare quidque ita ſit , docere* (b) . Miſſo propterea Kepleri monito , quod judicis cujuſque in ſua cauſa judicium ſit ſuſpectum , miror in primis, tanto confidentius id inculcari a Volfio , *quanto evidentior*, ait ipſe, *eſt identitas rationum, cur anti-Copernicani ſyſtema Copernicanum, & anti-Harmoniſtæ ſyſtema harmonię præſtabilita oppugnant*. Miror, inquam ; etenim niſi argumenta, quibus Solis quietem , & telluris motum Copernicani demonſtrare nituntur, majoris ſint ponderis , atque ea ſint , quibus Volfius *præſtabilita harmonia* hypotheſim oſtendiſſe ſe putat, non eſt profecto , cur Copernicani de ſuo ſyſtemate nimis glorientur . Tam longe quippe a vero eſt , ut *pręſtabilitam harmoniam* demonſtraverit Volfius , quin potius , ne quidem leviſſime eam ſuaſiſſe , dicendum jure optimo videatur. Itaque dum *harmoniſtis*, paritate ex ſyſtemate motæ telluris deſumta , prodeſſe vult Cl. Auctor, Copernicanis non parum officit , anſam ſcilicet præbens nonnemini opinandi, ſicuti *harmoniſtarum* , ita & Copernicanorum hypotheſim dignam eſſe , quæ inter aniles fabulas numeretur. *Sumunt vulgo anti-Copernicani*, ait ille, *quietem telluris , & motum Solis circa eandem , vitio ſubreptionis, tamquam experientia conſentanea ; & ideo Copernicanum ſyſtema Scriptura adverſum pronuntiant.* Igitur , judicio Volfii , dubitandum non eſt amplius, quin ſacra Scriptura , cum ait, Solem moveri , & terram quieſcere , intelligenda ſit non de motu & quiete reali, ſed tantum apparenti. Falluntur enim, ſi ipſum audiamus, vitio ſubreptionis, qui Copernicanum ſyſtema Scripturæ adverſum pronuntiant. Vellem itaque ſcire a tanto Viro, quonam loco oſtenſum ea evidentia ab ipſo fuerit, terram reipſa moveri , & Solem quieſcere , ut ejus ratio digna jure ac merito ſit , quæ pro demonſtratione adeo a Copernicanis optata, ſed nondum inventa, habeatur. Argumenta , quibus Copernicanum ſyſtema in ſuis *Aſtronomiæ* elementis evincere ille nititur (c) , ea ipſa ſunt, quibus

(a) Pſychol. *ration.* in *not.* ad §. 640.
(b) Lib. II. de *Divinatione* cap. 11.
(c) Elem. *Aſtron.* §. 622. Genevæ 1735.

bus etiam ante Volfium Copernicani utebantur. Hæc autem non esse hujusmodi, ut nos cogant a literali divinarum Scripturarum sensu recedere, norunt omnes, qui verum amant, ipsumque candide fateri non dedignantur. Ergo perperam subreptionis vitio eos peccare, ait Volfius, qui, Copernicanum systema divinæ auctoritati adversari, contendunt. Unum hac super re ei oppono Sturmium. Is enim, licet ejusdem cum illo fidei, attamen hypothesim terræ quiescentis sacris literis consonantiorem esse testatur, quidquid in contrarium dicant, qui Copernicano systemati viribus nervisque omnibus patrocinantur. *Si Scripturam*, inquit, *hic audiendam in conscientia sua persuasus quis sit, is tutius ac prudentius Tychonicæ vulgatiori accedet, utpote literæ ipsi S. Codicis sine dubio consonantiorem, quidquid etiam Copernicanorum nonnulli contradicant* (a). Absit tamen, ut hæreseos, vel impietatis notam Copernicanis inurendam velim. Nondum enim rem hanc definivit Ecclesia, ad quam divino jure spectat, de genuino S. Scripturæ sensu judicare. Id unum monuisse, satis hoc loco mihi est, nonnisi temere subreptionis vitio insimulari eos posse, qui ajunt, demonstrationem, qua apertum plane fiat, ad vulgi captum loqui Scripturam, cum Solem moveri asserit, & terram quiescere, adhuc esse in votis; quemadmodum temeritatis culpa, meo itidem judicio, non vacat, quisquis sentit cum Volfio, pro infirmioribus eos esse habendos, quibus persuasum non est, *a Deo permitti, ut Scripturam in nonnullis non intelligant, qui ad eam interpretandam Ecclesiæ præficiuntur* (b). Pergit porro Cl. Auctor. *Sumunt*, inquit, *anti harmonistæ influxum physicum animæ, ac corporis in se invicem tamquam experientiæ consentientem eodem vitio subreptionis; & ideo verbis Scripturæ sacræ sensum notionibus suis respondentem tribuunt.* Sed quam turpiter etiam hoc loco hallucinetur Vir Cl., satis ex hactenus traditis apertum puto. Sumitur ab *anti-harmonistis*, mentem a corpore, & corpus a mente in suis functionibus exercendis reipsa dependere; quia tanta certitudine nobis constat, mentem passionibus corporis affici, & corpus, quoad plures suos motus, voluntatis imperio subjici, quanta notum cuique est, se cogitare, & vivere. Hoc unum est, quod tamquam experientiæ consentaneum sumunt *anti-harmonistæ*, quodque ajunt, etiam a divino sacrarum literarum oraculo apertissime tradi. Si vitio subreptionis tunc peccant, illis errorem auferat Volfius, demonstrando scilicet, neque mentem a corpore, neque corpus a mente, licet contrarium experientia ipsa

 evin-

(a) *Mathesis juvenilis* Tom. II. *Scient. Cosmic.* Sect. III c. 4. n. 16. Norimbergæ 1716.

(b) Elem. *Astronom.* §. 629. edit laudatæ.

evincat, dependere. Sperant tamen, nunquam fore, ut demonſtrationem hanc exhibeat Cl. Auctor; quippe *dependentia hac adeo obvia eſt*, ipſo teſte; *ut nemo eam in dubium vocare auſit* (a). Subreptionis itaque vitio eos peccare, qui ajunt *harmoniſtarum* ſyſtema divinis literis adverſari, unus ipſe ſentiat Volfius. Mihi certa ſententia eſt, & erit ſemper *præſtabilita harmonia* hypotheſim a Viro catholico, ſalva religione, non poſſe defendi. Contrarium non dicat tantum, ſed rationibus evincat harmoniſta ille ſummus, eaque diluat, quæ objecimus ipſi, & tunc candide ingenueque fatebimur, nos in hoc tam præclaro damnando ſyſtemate ſubreptionis vitio peccaſſe. Addit: *miraremur, quod vitium ſubreptionis in ſyſtemate de motu Solis diurno agnoſcentes, in idem tamen incidant in ſyſtemate influxus phyſici, niſi nobis abunde conſtaret, fieri poſſe, ut in Metaphyſicis cæcutiat, qui lynceus eſt in Mathematicis*. Verum, ſi non miratur Vir doctiſſimus, quod Copernicani damnent in Tychonicis illud ipſum ſubreptionis vitium, in quod incidunt, cum de explicando mentis cum corpore commercio res illis eſt; ſi, inquam, non miratur, propterea quia probe jam ſciat, plerumque contingere, ut cœcutiant in Metaphyſicis, qui mathematicas, quantumvis abſtruſas, veritates nitidiſſime perſpiciunt; mirantur ex adverſo, & quidem vehementer *anti-harmoniſta*, ipſum Volfium in iis rebus, quas putat, profundius quam hucuſque factum a nemine ſit, ſe fuiſſe rimatum, tam enormiter cœcutiſſe. Mirantur nempe, quod Vir adeo acutus non viderit, ne quidem probabiliter ab ſe oſtenſam fuiſſe hypotheſim, quam perinde prorſus atque de cœlo lapſam, luceque meridiana clariorem, mirifice ſupra ceteras extollit adeo, atque commendat. Mirarentur tamen adhuc vehementius, niſi optime ſcirent, hoc vitium iis omnibus eſſe commune, qui, ob nimis honorificam de ſe, ſuique ingenii præconceptam opinionem, ſibi perſuaſum habent, *omnes ipſorum cogitationes, omnes ſententias eſſe tam claras, tamque evidentes, ut illas propoſuiſſe, ad aſſenſum & fidem a quovis extorquendum ſufficiat* (b). Poſtremo, *dum æquos*, inquit, *nos præbemus hebetioribus ac infirmis, nemo ſane inde colliget, quaſi propriæ cauſæ diffidamus, & periculum ſyſtematis harmoniæ præſtabilitæ tacite confiteamur*. At fallitur Vir doctiſſimus. Nemo erit, qui hinc occaſionem ſumat ipſum irridendi, quaſi videat & ipſe, *præſtabilita harmoniæ* ſyſtema fictitiis inniti principiis, ſufficienti ratione deſtitui, &, ſalva Catholica fide, ſtare non poſſe. Nullus eſt enim, qui ignoret, res ſuas quanti is faciat, qui nimis alte de ſeipſo ſen-

(a) Pſychol. *empir.* in *not.* §. 57.
(b) Auctor *artis cogitandi* P. IV. cap. 20.

ſentit. Certo tamen ſciat, nullam nos ei gratiam habere, quod nonis hebetioribus atque infirmis æquum, ut ait, ſeſe præbuerit; quippe etſi aliter ſeſe exhibuiſſet, dixiſſemus adhuc cum laudato Viro Cl. Petro de Croſa: *& ſunt, qui ſe non deridendos putant, cum irrident, qui ejuſmodi ſomnia* (præſtabilitæ ſcilicet harmoniæ principia, ipſamque hypotheſim) *mirari dedignantur*! Ægro igitur ne ferat animo Cl. Auctor, ſi ipſum monuero, *ut quod neſcit, ſe neſcire fateatur, neque id, quod nondum didicit, docere moliatur* (a). Ceterum, ſi quis *harmoniſtarum* fuerit, cui non plane grata hæc ſint, parcat machinæ vi ſui tantummodo mechaniſmi ita ſcribenti, neque ſecus ſcripturæ, quamvis nullo adminiſtraretur conſilio, nullaque ratione dirigeretur.

SECTIO QUARTA.

Oſtenditur, quid de cauſa commercii mentis cum corpore ſentiri probabiliter poſſit.

281. QUamvis, ut egregie more ſuo advertit Tullius (b), facilius ſit falſa convincere, quam vera invenire, idque potiſſimum, cum commercii, quod mentem inter atque corpus eſt, cauſa quæritur, non propterea inquiſitionem hanc prætermittere prorſus debemus, aliorum hac ſuper re opiniones impugnaſſe contenti. Eodem quippe teſte Tullio, *quærendi defatigatio turpis eſt, cum id, quod quæritur, ſit pulcherrimum* (c); *& indagatio ipſa rerum tum maximarum, tum etiam occultiſſimarum habet oblectationem*, adeo nimirum ut, *ſi aliquid occurrat, quod veriſimile videatur, humaniſſima compleatur animus voluptate* (d). Dicam ergo, quæ poſſit eſſe tam eximii phœnomeni cauſa. Dicam autem: *ſed ita, nihil ut affirmem; quæram omnia, dubitans plerumque, & mihi ipſi diffidens* (e). *Neque enim inter nos, & eos, qui ſe ſcire arbitrantur, quidquam intereſt, niſi quod illi non dubitant, quin ea vera ſint, quæ defendunt; nos probabilia multa habemus, quæ ſequi facile, affirmare vix poſſumus* (f). Itaque

Expenditur, cur in rerum ideis producendis humana mens a corpore dependeat.

282. Nonnulla hic, principiorum inſtar, aſſumimus tamquam certa,

(a) S. Auguſtin. lib. I. *de anima, & ejus origine* num. 26., alias cap. 16.
(b) Lib. I. *de natura Deorum* cap. 32.
(c) Lib. I. *de Finibus* cap. 1.
(d) Lib. IV. *qq. Accadem.* cap. 41.
(e) Tullius lib. II. *de Divinatione* cap. 3.
(f) Idem lib. IV. *qq. Academ.* cap. 3.

ta, quæ, cum de *idearum originе* res nobis erit, oſten demus.

HYPOTHESIS I.

283. Humana mens, vi ſibi congenita, ita rerum omnium ideas in ſe producit, ut ad nullam prorſus per ſuam eſſentiam ſit determinata. Veritas hujuſce hypotheſeos ſatis etiam ex iis patet, quæ contra *automaticam* mentis humanæ vim *harmoniſtis* objecimus.

COROLLARIUM.

284. Hinc *humana mens extrinſeco indiget determinante, ut unius potius, quam alterius rei ideam in ſe producat*. Nihil eſt enim ſine *ratione ſufficienti*, cur illud potius ponatur, quam non ponatur (P.I.§.130.).

HYPOTHESIS II.

285. Ex immutatione organorum ſenſoriorum corporis a rebus ſenſibilibus facta, producitur in cerebro certa quædam motio, per quam, veluti per imaginem, res ipſa exprimitur. Patet ex Phyſica.

SCHOLION.

286. Imago rei ſenſibilis facta in cerebro ex organorum ſenſoriorum immutatione, *phantaſma* nuncupatur.

HYPOTHESIS III.

287. Quamdiu mens copulata eſt corpori, determinatur a *phantaſmate*, veluti ab *objecto*, ad unius potius, quam alterius rei ſenſibilis ideam producendam.

COROLLARIUM I.

288. Cum nullius rei ideam producere queat mens, niſi determinetur (§.284.), *nullius rei ſenſibilis poteſt mens, quamdiu unita eſt corpori, ideam producere, niſi illius rei imago, ſive phantaſma, in cerebro producatur, vel quod antea productum fuerat, iterum excitetur*. Hinc

Co-

COROLLARIUM II.

289. *Nullius sensibilis rei idea potest ab humana mente, quamdiu corpori copulata est, in se produci, nisi certa quędam motio in cerebro contingat.* Etenim *phantasma* nihil est aliud, nisi motio quædam facta in cerebro ex appulsu illius rei, quæ per ipsum *phantasma* exprimitur (§. 286.).

COROLLARIUM III.

290. Cum *phantasma* sit veluti imago illius rei, ex cujus appulsu producitur (§. 286.), *dependet mens a corpore, quamdiu illi juncta est, in sensibilium rerum ideis producendis, quatenus, corporis ministerio, præsto sunt menti ea rerum imagines, quarum ideas mens ipsa producit.* Quamobrem

COROLLARIUM IV.

291. *In sensibilium rerum notionibus producendis non dependet mens a corpore, nisi quatenus in hoc negotio dependet ab objecto.* Rerum quippe imagines, quæ elaborantur in cerebro, gerunt vicem rerum ipsarum, atque adeo objecti.

COROLLARIUM V.

292. *Dependentia mentis a corpore in producendis sensibilium rerum ideis, non efficit, ut corporeę natura censeri ipsa mens vel probabiliter possit.* Cum enim mens non dependeat a corpore in producendis ideis rerum sensibilium, nisi quatenus dependet a rebus ipsis, sive ab objecto (§. 291.), vel nulla substantia cogitans finita esset spiritualis, si mens humana ob hanc dependentiam censenda esset corporea, vel istiusmodi dependentia nullatenus impedit, quominus ipsa mens immaterialis naturæ censeatur. Dixi, nullam substantiam cogitantem finitam fore spiritualem, si dependentia humanæ mentis ab objecto corporeo in illius producenda idea prohibeat, ne spiritualis naturæ censeri legitime possit. Arbitror enim, nullam esse substantiam cogitantem finitam, quæ, ut sensibilis rei ideam producat, ab ipsa re, tamquam ab objecto, non dependeat.

COROLLARIUM VI.

293. *Dependentia mentis a corpore in sensibilium rerum ideis producendis, non evincit, mentem ipsam ejus esse natura, ut sejuncta a corpore cogitare minime possit.* Enimvero, cum mens non dependeat a corpore, cui juncta est, in sensibilium rerum ideis producendis, nisi quia dependet ab objecto, quod, illius ministerio, ipsi menti præsens efficitur (§. 291.), non alia potest esse ratio, cur illa dependentia impediat, quominus mens sejuncta a corpore cogitet, nisi quia sine corpore fieri nequeat, ut objectum, circa quod versetur, debite illi præsens existat. Falsum est autem, necessario requiri corpus, cui jungatur mens, ut ei debite præsens fiat objectum, quod percipiat. Sequeretur enim, nullam substantiam cogitantem finitam, nisi alicui corpori jungeretur, posse sensibilium rerum ideas producere; cum nulla nimirum sit, quæ objecto opus non habeat, ut cogitet. Ergo dependentia mentis humanæ a corpore in producendis sensibilium rerum ideis, non evincit, mentem ipsam talis esse naturæ, ut, nisi corpori juncta sit, cogitare non possit.

SCHOLION.

294. Tantum abest, ut dependentia mentis a corpore evincat, ipsam, a corpore separatam, cogitare minime posse, quin potius, si penitius inspecta res fuerit, contrarium apertissime colligatur. Mens copulata corpori ideas rerum producit, quia rerum ipsarum imagines in cerebro depictas attingit. Ergo potest attingere etiam res ipsas in se, sive illarum ideas producere, si ipsæ res eo modo præsentes *immediate* eidem menti fiant, quo illarum imagines in cerebro coram eadem existunt. Non enim huic officit rerum *materialitas*; cum scilicet materiales sint & ipsæ imagines. Possunt autem res eo modo fieri menti *immediate* præsentes, quo eidem præsentes sunt rerum ipsarum imagines in cerebro depictæ. Ergo potest mens attingere *immediate*, sive in se, res sensibiles, earumque producere ideas, quemadmodum percipere easdem potest *mediate*, sive in imagine; ac proinde nihil impedit, quominus mens cogitet separata a corpore, si nihil prohibet, quominus corporeas rerum imagines, dum corpori juncta est, eadem ipsa percipiat.

HYPOTHESIS IV.

295. Cognitio rerum incorporearum, & insensibilium, quam acquirit mens copulata corpori, a sensibilium cognitione ita dependet, ut illarum rerum notiones ex sensibilium ideis, præcisionis ope, derivet ipsa mens, ac veluti excerpat.

Corollarium.

296. Hinc *nullius quoque insensibilis rei idea produci potest ab humana mente, quamdiu corpori juncta est, nisi aliqua motio, sive nisi aliquod phantasma in cerebro excitetur*, videlicet *nisi excitetur imago illius rei sensibilis, ex cujus notione idea ipsa rei insensibilis, præcisionis ope, derivatur.*

PROPOSITIO I.

Phantasma nihil reale producit in anima, per quod formaliter *ipsa mens ad rei ideam producendam determinetur.*

297. P*robatur*. Si quid reale produceretur in humana mente a *phantasmate*, illud esset vel *spirituale*, vel *corporeum*. Neutrius autem naturæ illud esse potest. Non enim potest esse *spirituale*, cum omnis actio corporei agentis, adeoque etiam *phantasmatis*, si quam habet, in locali particularum motu posita sit; nihilque *spirituale* per localem motum corpusculorum, ut ex ipsis patet terminis, possit produci. Neque potest esse *corporeum*; cum repugnare videatur, ut *corporeum* recipiatur in *spirituali*, tamquam *modus* in *re*, sive tamquam *accidens* in *subjecto*. Ergo *phantasma* nihil reale producit in anima, per quod ad producendas ideas mens *formaliter* determinetur.

Corollarium.

298. *Ea igitur est mentis humanæ vis, ea potentia, atque natura, ut ad præsentiam corporeæ imaginis in cerebro depictæ, ideam rei, quam illa imago refert, in se cudat, quin per actionem illius imaginis aliquod reale in ipsa mente producatur.*

PRO-

PROPOSITIO II.

Explicari nequit modus, quo ad præsentiam corporeæ imaginis in cerebro depictæ, humana mens corpori juncta ideam rei, quæ per illam imaginem exprimitur, in se cudat.

299. *Probatur*. Explicari minime posse videtur, quomodo mens ideas rerum ad præsentiam *phantasmatis* in se producat, nisi mentis ipsius naturam omnino perspectam habeamus. Vis enim productiva idearum nihil est ab ipsa mentis natura distinctum; nobisque innotescere nequit modus, quo agit causa, nisi activam illius vim omnino perspectam habeamus. Natura autem mentis nostræ non omnino nobis perspecta est. Ergo cognosci nequit, atque adeo nec explicari, quomodo mens ad præsentiam *phantasmatis* ideas rerum in se producat.

Expenditur,

quomodo humanum corpus in iis agendis motibus, qui voluntarii dicuntur, mentis imperio subiiciatur.

DEFINITIO.

300. *Motus* corporis *voluntarii* dicuntur illi, *qui ad nutum animæ in nobis fiunt*. Ut enim habet Tullius, *motus voluntarius eam naturam in se ipse continet, ut sit in nostra potestate, nobisque pareat* (a). Sic deambulatio *motus voluntarius* est; cum nonnisi imperante anima perficiatur.

COROLLARIUM.

301. *Motus corporis voluntarii sunt contingentes*. Sicuti enim *contingenter* anima vult, quod vult, ita *contingens* est ille motus corporis, qui ideo fit, quia ipsum anima imperat.

LEMMA.

Corpus humanum ad nullum peragendum motum voluntarium est per suam structuram determinatum.

302. *Probatur*. Ut enim contra *harmonistas* demonstravimus (§.237.), motus corporis, ad quos peragendos corpus ipsum per suam structuram

(a) Lib. *de Fato* cap. 11.

ram determinatum est, *contingentes* non sunt, sed *necessarii*. Motus autem corporis *voluntarii* sunt *contingentes* (§. 301.). Ergo nullus eorum est per corporis structuram determinatus; adeoque &c.

COROLLARIUM.

303. *Aliquid admittendum necessario est, quod ad voluntarios peragendos motus corpus nostrum physice determinet*. Etenim, si secus, motus *voluntarios* perficeret corpus sine *ratione sufficienti*, cur eos perficiat potius, quam non perficiat.

PROPOSITIO I.

Principium determinativum corporis ad motus voluntarios est homini intrinsecum.

304. *Probatur*. Nullum eorum *entium*, quæ posita extra nos sunt, ita mentis nostræ imperio subjicitur, ut, quamprimum illa vult, moveatur, viresque suas, prout eidem placet, in nos exerceat. Ergo nullum eorum ita determinare corpus nostrum ad motum potest, ut queat motus ipse nostræ mentis imperio acceptus referri; ac proinde vel determinativum corporis ad motus *voluntarios* nobis extrinsecum non est, vel nullus in nobis est motus corporis *voluntarius*.

PROPOSITIO II.

Corpus determinatur ab anima rationali ad motus voluntarios peragendos.

305. *Probatur*. Principium determinativum corporis ad motus *voluntarios* est nobis intrinsecum (§. 304.). Nihil est autem in homine, ab anima rationali diversum, ex quo determinatio ipsa corporis ad motus *voluntarios* desumi possit. Ergo &c.

Dices, determinari corpus a *spiritibus animalibus*, qui ex interiori cerebri substantia in musculos defluunt.

Contra: quia *spiritus animales* vel indifferentes sunt ex se ad perficiendos quoscunque motus corporis, vel sunt ad certam agendam motuum seriem ex se determinati. Si primum: quæro, a quonam principio homini intrinseco ad unum potius, quam ad alium motum determinentur. Sin alterum: ergo motus corporis non sunt *contingentes*, sed *necessarii*, perinde prorsus ac si essent per ipsam corporis structuram determinati.

Con-

Confirmatur aſſertio. Motus corporis *voluntarij* fiunt ad nutum animæ (§. 300.). Ergo determinatio corporis ad motus *voluntarios* derivanda ab anima eſt. Videtur quippe non poſſe fieri, ut illi motus ad nutum animę peragantur, ſi corporis determinatio ad ipſos motus ab anima non oriatur.

PROPOSITIO III.

Anima rationalis, actione phyſica, determinat corpus, cui juncta eſt, ad motus voluntarios peragendos.

306. *Probatur*. Determinatio corporis ad motus *voluntarios* eſt effectus realis, ut patet. Ergo haberi non poteſt, niſi per actionem realem. Eſt autem anima, quæ corpus ad motus voluntarios determinat (§.305.). Ergo per realem animæ actionem corpus ad *voluntarios* agendos motus determinatur.

Confirmatur. Rejecto *harmoniſtarum* ſyſtemate, motus corporis *voluntarii* ſunt ab anima vel tamquam a cauſa *occaſionali*, vel tamquam a cauſa *phyſica*. Non ſunt autem ab anima, tamquam a cauſa *occaſionali*, ut ſuperiori loco contra *occaſionaliſtas* demonſtravimus. Ergo ſunt ab anima tamquam a cauſa *phyſica*; adeoque &c.

COROLLARIUM.

307. Igitur *motus corporis voluntarii ab anima rationali realiter dependent*. Ab eo enim dependent *realiter*, a quo per realem actionem determinatur corpus, ut illos perficiat.

PROPOSITIO IV.

Explicari nequaquam poteſt, quomodo corpus ad voluntarios peragendos motus phyſice ab anima determinetur.

308. *Probatur*. Ut enim certo explicari a nobis queat, quomodo mens noſtra *phyſice* determinet corpus, cui juncta eſt, ad *voluntarios* motus perficiendos, arbitror, neceſſario requiri I. ut animæ natura nobis perſpecta omnino ſit, ejuſque omnes facultates plane cognitas habeamus. *Quando duos numeros clare cognitos habemus*, inquit Joannes Clericus, *facile eſt ſcitu, quę ſumma, iis additis, exurgat, & quę inde confici nequeat. Sed ubi alteruter plane ignotus eſt, quis niſi temerarius, qua ſumma iis confici queat, definire auſit? Similiter ii, quibus cum mentis, tum corporis ignota eſt natura, ſine temeritate, qua ra-*

ratione alterutrum ab altero adfici possit, aut non possit, nequeunt definire (a). II. opus esse puto, ut certo nobis constet, non solum utrum mens sit tota in toto corpore, & tota in qualibet illius parte, an vero uni tantum illius parti præsens existat; verum etiam quomodo sive toti corpori, sive uni parti juncta habeatur. Non enim video, quomodo, si nos latet, tum qua ratione mens copulata sit corpori, tum in quanam potissimum illius parte mens ipsa resideat, possit fieri, ut nobis innotescat modus, quo ipsum corpus ab illa regatur. III. contendo, insuper requiri, ut certo sciamus, quæ sit structura musculorum, & qua ratione atque lege eorum inflatio, contractioque perficiatur. Cum enim omnes motus humani corporis, musculorum ministerio, fiant, moveatur nimirum corpus, quatenus musculi inflantur, & contrahuntur, modus lateat necesse est, quo ad nutum animæ movetur corpus, si neque musculorum structura nobis perspecta sit, neque artificium pateat, quo illorum inflatio, contractioque perficiatur. Jam vero nemo nescit, non omnino notam nobis esse mentis nostræ naturam. Scimus quidem, eam esse substantiam cogitantem. At ignoramus, an tota illius essentia ita in sola facultate cogitandi posita sit, ut nulla prorsus alia ipsi menti insit potentia. *Concedimus*, inquit Cl. Gravesandus, *remota cogitatione, nullam superesse ideam mentis Sed ratio hac est, unicam hanc proprietatem mentis nostra nobis notam esse; non tamen inde sequitur, non alias dari in ipsa substanta ignota mentis proprietates, qua sine presenti cogitatione subsistere possunt. Per foramen video aliquid, quod rubrum est, & de quo nihil preterea determinare possum; an inde sequitur, essentiam hujus rei esse rubrum colorem; quia remota hac idea, nihil de objecto in mente superest? Distinguere enim debemus inter objectum ideale, id est, illud, quod nos de objecto in mente habemus, & objectum extra nos existens, cujus nunquam in omnibus ideale objectum est repræsentatio, nisi exactissime nobis notum sit illud, quod repræsentatur* (b). Constat quoque, modum, quo mens corpori jungitur, tanta involutum esse caligine, ut inter obscurissima naturæ arcana jure optimo censeatur. *Modus, quo corporibus adhærent spiritus, & animalia fiunt, omnino mirus est*, inquit S. Augustinus, *nec comprehendi ab homine potest* (c). Ecquis est enim, qui explicare possit, quomodo fiat, ut spiritualis substantia ita alligata sit corpori, ut illi imperare quidem valeat, verum ab eo, quando vult, haud possit discedere? Mihi certe, ut loquar cum Tullio,

(a) *Pnemautol.* Sect. I. cap. 6. num. 14.
(b) Introduct. *ad Philos.* lib. I. p. II. cap. 16. §§. 199., 200.
(c) Lib. XXI. *de Civitate Dei* cap. 10.

lio, *naturam animi intuenti, multo difficilior occurrit cogitatio, multoque obscurior, qualis animus in corpore sit, tamquam aliena domui, quam qualis, cum exierit, & in liberum cælum, quasi domum suam, venerit* (a). Quis est etiam, qui certo sciat, num totum corpus, num vero una tantum illius pars ab anima perficiatur? Nulla sane res est, *de qua tantopere non solum indocti, sed etiam docti dissentiant, quorum opiniones cum tam variæ sint, tamque inter se dissidentes, alterum fieri profecto potest, ut earum nulla; alterum certe non potest, ut plus una sit vera* (b). Profecto, ut veterum opiniones, quas refert Plutarchus (c), prætercam, Scholastici, totam in toto corpore, & totam in singulis illius partibus esse animam, dicunt. Cartesius eam in pineali cerebri glandula, veluti in suprema sede, constituit. Recentiores vero in ea cerebri parte illam collocant, ex qua, tamquam ex radice, suam nervi, sensationibus motibusque spontaneis inservientes, originem sumunt, & per universum corpus propagantur. Musculorum structura non adeo demum nobis perspecta est, ut nihil supersit, quod in ea desiderare quis possit. Causa quoque, atque leges, quibus eorum inflatio, contractioque peragitur, nos prorsus latent. Incertum quippe est adhuc, num sola fibrarum inflatione, sive mutatione figuræ, intumescant musculi, & contrahantur, ut voluit Steno: num solo impulsu *spirituum animalium* ex cerebro defluentium, nervosque irradiantium, quemadmodum opinabatur Cartesius: an demum ope cujusdam fermentationis in masculo factæ, ut nuper cum Bernoullio plerique contendunt. Ergo explicari a nobis nullatenus potest, quomodo mens physice determinet corpus, cui juncta est, ad eos agendos motus, qui *voluntarii* dicuntur.

COROLLARIUM.

309. *Incertum est, num mens per seipsam* immediate, *num vero* mediate *per realem qualitatem in corpore productam, corpus ipsum determinet ad motus voluntarios peragendos.* Non enim constare id nobis certo potest, nisi compertus ad evidentiam sit modus, quo corpus ab anima ad motus hujuscemodi determinetur.

ANIMADVERSIO I.

310. Cum modus quæritur, tum quo mens dirigitur a phantasmate

(a) Lib. I. qq. *Tuscul.* cap. 22.
(b) Tullius lib. I. *de natura Deorum* c. 2.
(c) Lib. IV. *de placitis Philos.* cap. 5.

te ad unius potius, quam alterius rei ideam producendam; tum quo corpus ab ipsa mente vicissim determinatur ad motus voluntarios peragendos, tutius est, inscitiam nostram candide ingenueque fateri, quam aliquid hac super re certo definire. Cum enim mentis nostræ aciem id plane fugiat, quod omnino perspectum habere debemus, ut modus istiusmodi nobis innotescat, definiri modus ipsi nequaquam potest, quin temere prorsus in hoc negotio mens nostra se gerat. *Nihil hic tutius*, inquit Cl. Joannes Clericus, *animo occurrit candida ignorantiæ nostræ professione. Certissime novimus, esse aliquem inter cogitationes nostras, & motus membrorum nostrorum nexum; quoniam hæc invicem excitant, & sibi vicissim succedunt. Verum qua ratione motus in membris excitatus cogitationem in mente procreet, & vice versa, hoc demum est, quod penitus ignoramus. Possumus quidem, conjunctionem in nobis esse inter cogitationes, & motus, contendere, ita ut sit quadam inter ea reciprocatio; sed quomodo hæc fiant, prorsus nos fugit* (a).

ANIMADVERSIO II.

311. Ex eo, quod modus lateat, quo tum mens a phantasmatibus in rerum ideis producendis, tum corpus a mente in voluntariis agendis motibus determinatur, non propterea negandum est, mentem a corpore in productione idearum, & corpus a mente in productione motuum voluntariorum reipsa dependere. Non enim, quod clarum est atque evidens, negare debemus, quia, quod est obscurum, nequeamus mente complecti. *Nunquid ideo negandum est*, ait S. Augustinus, *quod apertum est; quia comprehendi non potest, quod occultum est? Nunquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam, cur ita sit, non possumus invenire* (b)? Rectissime ergo Celeberrimus Gravesandus, *invicta*, inquit, *demonstratione constat, non mentem in corpus, neque hoc in illam, agere, ut corpus in corpus agit; sed mihi non videtur, inde concludi posse, omnem influxum esse impossibilem. Motu suo corpus non agit in aliud corpus sine resistente; sed an actio omnino diversa, & cujus ideam non habemus, in aliam substantiam dari possit, & ita tamen, ut causa effectui respondeat, in re adeo obscura determinare non ausim. Difficile certe est, influxum negare, quando exacte perpendimus, quomodo in minimis, quæ mens percipit, relatio detur cum agitationibus in corpore, & quomodo hujus motus cum mentis determinatione conveniant. At-*

(a) *Pneumatol.* Sect. 1. cap. 6. §. 16.

(b) Lib. *de dono perseverantiæ* num. 37. alias cap. 14.

Attendo ad illa, quæ Medici, & Anatomici nos de his docent. Nihil ergo de primo systemate determino, præter hoc, mihi nondum hujus impossibilitatem satis clare demonstratam esse videri (a). Perperam ergo tam *occasionalistæ*, quam *harmonistæ* negant, mentem a corpore in rerum ideis producendis, & corpus a mente in voluntariis agendis motibus, aliquo reali modo dependere, propterea quia modus lateat, quo mens a corpore, & corpus a mente determinetur.

ANIMADVERSIO III.

312. *Qui explicandi commercii inter animam, & corpus intercedentis causa, sumit*, inquit Cl. Volfius, *animam in corpus, & vicissim corpus in animam agere, modum tamen agendi ignorare affirmat, ei nullum de hoc commercio systema est*; propterea quod nempe *actionis corporis in animam non aliam habent notionem, quam quæ coexistentiæ mutationum in organo sensorio, & mente respondet; nec alia ipsis est actionis animæ in corpus notio, quam quæ volitionum animæ, & motuum in corpore, itemque nolitionis, ac cessationis motus in eodem corpore coexistentiæ convenit*. Unde concludit, *affirmantes, mutationes in anima, & corpore coexistere, quia in animam corpus agit, & volitiones, atque nolitiones in anima, & motus atque cessationes motuum coexistere, quia in corpus anima agit, nil quicquam aliud dicere, quam mutationes in anima, & corpore coexistere in utroque casu, quia coexistunt* (b). Verum parcat Cl. Auctor, si hoc etiam loco hallucinari ipsum dixero. Fallitur enim, si animam agere in corpus, idem *influxionistis* esse putet, atque certas operationes mentis, & quosdam motus corporis eodem simul tempore in homine contingere. Diversa quippe illis hæc sunt, non secus atque effectus differt a sua causa. Unum enim ex altero colligunt; dicunt nempe, animam determinare corpus ad motus voluntarios; quia, cum certum sit, illud esse per suam structuram ad omnes hujuscemodi motus *passive* indifferens, adeoque principio determinante, & quidem intrinseco, ut unum potius agat motum, quam alium, indigere, inferunt, corpus ipsum physice determinari ab anima, quemadmodum, nonnisi illa imperante, motus illos perficit. Non ergo *mutationes in anima & corpore coexistunt* per *influxionistas, quia coexistunt*; nisi forte placeat Viro doctissimo, ideo effectum coexistere causæ, quia coexistunt. Ceterum, si nullum, Volfii judicio, iis hac super re est systema, *qui sumunt, animam in corpus*

(a) Introduct. *ad Philos.* lib. I. p. 2. cap. 18. §. 248.

(b) Psychol. *ration.* §. 556.

pus, & vicissim corpus in animam agere, modum tamen agendi ignorari affirmant, nullum, mea sententia, illis quoque systema est, qui, istiusmodi commercii explicandi gratia, sumunt, animam, & corpus esse veluti duo *automata*, in suis omnibus functionibus perficiendis a se mutuo penitus independentia, quin explicent hanc animæ vim, tantumque corporis mechanismum quin palam efficiant. Itaque, ut prolixæ dissertationi finem imponam, dico, mentem, quamdiu corpori juncta est, dirigi a *phantasmate*, ut unius potius, quam alterius rei ideam in se producat; corpus vero ab ipsa mente physice determinari, ut hoc potius, quam alio modo moveatur, sed modum a me explicari non posse, quo tum mens a corpore, tum corpus a mente determinetur. Spero autem, fore neminem, qui ut verbis utar S. Augustini, insensatis me pecoribus comparet, *quia hoc me nondum scire pronuntio; sed potius cautis hominibus, quia non audeo dicere, quod nescio* (a).

DISSERTATIO III.

De potentiis animæ rationalis.

TRes potissimum potentias in anima rationali vulgo distinguunt Philosophi, scilicet *intellectum*, *voluntatem*, & *memoriam*. Singulas in hac Dissertatione considerabimus. Primo itaque de *intellectu*, tum de *voluntate*, postremo de *memoria* agemus.

SECTIO PRIMA.

De intellectu.

313. MEntis potentias explicaturi, ab *intellectu* sumendum esse exordium, arbitramur. Sublato quippe *intellectu*, nulla *memoria* est, nulliusque usus ipsa *voluntas*.

DEFINITIO.

314. *Intellectus* est ea vis animæ, *qua res percipimus, de illis judicamus, unum ex alio, ignotum scilicet ex noto, colligimus, nostrarumque cogitationum seriem ad verum tum inveniendum, tum aliis*

(a) Lib. I. de Anima, & ejus origine num. 26., alias cap. 16.

demonſtrandum, *recte diſponimus*. Quatuor enim ſunt, ut etiam in Logica innuimus, operationes animæ, quæ ad *intellectum* pertinere dicuntur, *ſimplex* nimirum rei *perceptio*, *judicium*, *ratiocinatio*, & *methodus*.

SCHOLION.

315. *Intellectus*, quatenus diſtinguit verum a falſo, bonumque a malo diſcernit, ſolet *ratio* nuncupari. *Ratio*, inquit S. Auguſtinus, *eſt mentis motio, ea, qua diſcuntur, diſtinguendi, & connectendi potens* (a). Homo idcirco habere dicitur *rationis uſum*, cum verum a falſo, & bonum a malo valet ipſe diſcernere.

ARTICULUS I.

De origine idearum.

316. QUæ ſit idearum origo, non convenit inter Philoſophos. Carteſius, Malebranchius, ceterique *occaſionaliſtæ*, quemadmodum ſuperiori loco diximus, nullam, ajunt, humanæ menti ineſſe vim, qua rerum ideas in ſe cudat; ſed eas omnes ipſi menti communicari a Deo, occaſione motuum, qui ex ſenſibilium rerum appulſu in ſenſoriis corporis organis excitantur. Contra vero ſentiunt Peripatetici. Hi ſiquidem habent pro re comperta, ideas rerum ab intellectu *immediate* produci, dependenter tamen a *phantaſmate*, ſive a corporea quadam rerum ipſarum imagine, ex organorum ſenſoriorum immutatione in cerebro depicta. Diſcrepant tamen, cum de modo agitur, quo mens a *phantaſmate* determinetur. Quidam enim contendunt, mentem *immediate* determinari a *phantaſmate*. Alii vero dicunt, intellectum determinari *immediate* a quadam forma ſpirituali, quam *ſpeciem impreſſam* vocant, ab ipſomet intellectu ad præſentiam *phantaſmatis* in ſe producta. Diſcutiemus itaque, an humana mens vim habeat producendi ideas, & undenam repetenda ſit ratio, cur unius potius, quam alterius rei ideam illa producat.

HYPOTHESIS I.

317. Certum in primis mihi eſt, *ideam*, ſive *notionem* rei nihil eſſe a certa mentis modificatione diverſum. Res enim percipere dicitur

(a) Lib II. *de Ordine* num. 30., alias cap. 11.

citur mens, cum ita vel seipsam modificat, vel ab alio modificatur, ut rebus ipsis ineffabili quodam modo similis fiat.

HYPOTHESIS II.

318. Pro re certa itidem in præsens habeo, mentem nostram, congenita sibi vi, suas omnes appetitiones, & aversationes in se producere, adeo nempe ut, dum aliquid vult, vel respuit, non agatur, sed agat. Neque enim, ut satis patet ex dictis, & clarius etiam patebit, libera *libertate exercitii* esset humana mens, si, dum res appetit, vel aversatur, non ageret ipsa, sed ageretur.

PROPOSITIO I.

Humana mens, congenita sibi vi, rerum ideas in se producit.

319. P*robatur* 1. auctoritate S. Augustini. Putandum non est, inquit S. Doctor, *facere aliquid corpus in spiritu, tamquam spiritus corpori facienti, materiæ vice, subdatur. Omni enim modo præstantior est, qui facit, ea re, de qua aliquid facit; neque ullo modo spiritu præstantius est corpus, imo præcipuo modo spiritus corpore. Quamvis ergo prius videamus aliquod corpus, quod antea non videramus; atque inde incipiat imago ejus esse in spiritu nostro, qua illud, cum absens fuerit, recordemur, tamen eandem ejus imaginem non corpus in spiritu, sed ipse spiritus in seipso facit celeritate mirabili, quæ ineffabiliter longe est a corporis tarditate, cujus imago, mox ut oculis visum fuerit, in spiritu videntis, nullius puncti temporalis interpositione, formatur* (a). Ergo &c.

Pro*batur* 2. ratione. Mens per vim sibi congenitam appetitiones, aversationesque suas *active* producit (§. 318.). Ergo in se cudit etiam rerum ideas. Cum enim tam appetitiones, & aversationes, quam rerum ideæ non sint nisi certæ quædam modificationes mentis, nulla apparet ratio, cur, si appetitiones, & aversationes producere potest mens, ideas quoque rerum in se cudere eadem ipsa non possit.

Et sane, nihil prorsus opponi posse videtur contra vim productivam idearum, quod contra vim productivam appetitionum, & aversationum eodem plane modo non pugnet. Ergo vel neque suas volitiones, nolitionesque *active* elicit mens, vel rerum quoque ideas *acti-*

(a) Lib. XII. *super Genesim* num. 33. alias cap. 16.

ve in se producit. Nihil porro posse opponi contra vim productivam idearum, quod volendi, nolendique potentiam itidem non evertat, ad evidentiam, nisi vehementer fallar, constabit, si attento expendantur animo, quæ contra vim mentis productricem idearum a summo *occasionalista* Malebranchio afferuntur.

Opponit itaque Vir Cl., vim producendi ideas, quæ humanæ menti vulgo tribuitur, esse participationem divinæ potentiæ, & quidem hujusmodi, ut mentem ipsam a Deo independentem constituat; ac proinde quæ sit digna, ut pro mero humanæ ignorantiæ, vanitatisque figmento habeatur. *Ista*, inquit Vir doctissimus, *participatio potentiæ divinæ, quam sibi arrogant homines, ut objecta sibi repræsentare, multasque alias actiones speciales patrare possint, participatio est, quæ independentiam aliquatenus inducere videtur, ut saltem illa participatio explicari solet. Verum sincere loquendo, illa participatio chimarica est, merum ignorantiæ & vanitatis humanæ figmentum* (a).

Verum quæro a Viro doctissimo, an etiam vis, facultas, sive potentia, qua humana mens suas volitiones, nolitionesque producit, sit talis divinæ potentiæ participatio, quæ independentiam inducat, an non. Si non: ergo neque potentia producendi ideas est hujuscemodi; cum & ipsa non sit nisi vis, qua mens sese modificat. Si vero sit participatio divinæ potentiæ: ergo vel neque vis hujusmodi in humana mente est, ne scilicet sit aliquo modo a Deo independens, vel etiam vis producendi ideas eidem menti inesse potest, quin aliquatenus a Deo independens hanc ob causam ipsa dicatur. Ceterum sicuti essentia rei cujusque est participatio divinæ essentiæ, quin idcirco creatura, quoad *realitatem* essentiæ, sit a Deo independens, ita vis producendi ideas participatio esse potest divinæ potentiæ, quin propterea ipsa mens a Deo independens censeri legitime possit.

Instat Malebranchius: *nemo est, qui ideas esse entia maxime realia, siquidem proprietates habent reales, alias ab aliis differre, resque plane diversas repræsentare, in dubium vocare possit. Merito etiam dubitari nequit, quin illæ sint spirituales, & a corporibus, quæ repræsentant, longe diversæ. Et vel ex hoc solo non injuria quis forsan ambigeret, an illæ ideæ, quarum ope percipiuntur corpora, non sint nobiliores ipsis corporibus. Revera mundus intelligibilis perfectior esse debet mundo materiali & terrestri, ut infra patebit. Cum itaque quis asserit, homines præditos esse virtute formandi ideas pro lubitu, in id etiam discriminis vocari videtur, ut asserat, ipsos posse formare entia nobiliora & perfectiora mundo, quem Deus condidit. Plerique*

(a) Lib. III. P. II. de inquirenda veritate c. 3.

que tamen, ne ad id attendunt quidem; quippe qui arbitrantur, ideam nihil esse, quia sese sentiendam non præbet; aut si illam tamquam ens quoddam habeant, ens illud ipsis videtur perquam exile & adspernandum, quoniam ipsam, statim atque menti amplius non objicitur, annihilari arbitrantur (a).

Sed contra: etenim neminem fore & ipse puto, qui vocare in dubium possit, appetitiones mentis, perinde atque rerum perceptiones, esse *entia realia*, nempe reales mentis appetentis modificationes. Arbitror quoque, fore neminem, qui dubitet, quin etiam mentis appetitiones sint spirituales; atque propterea a sensibilibus illis rebus plane diversæ, quas mens amore prosequitur. Igitur qui asserit, humanam mentem præditam esse potentia eliciendi appetitiones rerum sensibilium, eo veniat necesse est, ut simul fateatur, *entia* produci ab humana mente posse, quæ sensibilibus rebus sint nobiliora, quemadmodum qui asserit, *homines præditos esse virtute formandi ideas pro lubitu, in id etiam discriminis vocari videtur, ut asserat, ipsos posse formare entia nobiliora, & perfectiora mundo*. Ergo vel id non impedit, quominus mens producere queat ideas, vel etiam prohibet, quominus mens ipsa appetitiones quoque rerum in se producat. Falsum est tamen, quod hic veluti certum assumitur, rerum scilicet ideas esse entia nobiliora, quam ipsæ res. Ideæ enim non sunt *res*, sed *modi*, non *substantia*, sed *accidens*.

Urget Cl. Auctor: *sed demus*, inquit, *ideas nihil esse præter entia tenuissima & adspernanda; entia tamen sunt, imo entia spiritualia. Jam autem cum homines non præditi sint potentia quicquam creandi, hinc sequitur, ipsos non posse producere ideas. Nam productio idearum eo, quo explicatur, modo est vera creatio; & quamquam opinionem adeo duram mitigare, & linire conantur, dum dicunt, productionem idearum supponere aliquid præcedaneum, creationem vero nihil supponere, hoc tamen effugio nodus difficultatis non solvitur. Etenim animadvertendum est, difficilius non esse, rem e nihilo educere, quam illam producere, supponendo aliquid aliud, ex quo confici nequit, quodque ad ipsius productionem nihil conferre possit, e. g. difficilius non est, angelum creare, quam illum ex lapide educere. Cum enim lapis sit ex genere prorsus diverso a genere angeli, nihil plane inservire potest productioni angeli; verum conducere potest productioni panis, auri &c., quia lapis, aurum, panis nihil aliud sunt, præter eandem extensionem varie configuratam, & quia hæc omnia sunt materialia. Imo difficilius est, angelum educere ex lapide, quam ex nihilo, quia ut*

(a) Lib. III. P. II. *de inquirenda veritate* c. 3.

ut angelus ex lapide conficiatur, quantum quidem id fieri poteſt, annihilandus eſt lapis, ac deinde creandus angelus; cum e contra ad creandum dumtaxat angelum nihil ſit annihilandum. Si igitur mens ideas ſuas producat ex impreſſionibus materialibus, quas cerebrum accipit ab objectis, idem ſemper efficit; ac ſi eas crearet, aut aliquid aque difficile, imo difficilius, efficit; cum idea, utpote ſpirituales, non poſſint produci ex imaginibus materialibus, qua ſunt in cerebro, quaque nullam cum iis proportionem habent. Quod ſi quis dicat, ideam non eſſe ſubſtantiam, eſto; ſed tamen eſt aliquid ſpiritale. Jam autem cum fieri nequeat, ut quadratum conficiatur ex ſpiritu, quamvis quadratum non ſit ſubſtantia, ita ex ſubſtantia materiali idea ſpiritualis non poteſt formari, licet idea non eſſet ſubſtantia (a).

At in oppoſitum eſt. Nam, ſi productio idearum eſt creatio, non video, cur etiam productio appetitionum pro vera creatione haberi non poſſit. *Formalis* enim utriuſque actionis *terminus* modificatio mentis eſt. *Terminus* vero utriuſque *totalis* eſt mens modificata, ſcilicet mens cognoſcens, & appetens. Ita ergo conficitur argumentum: vel requiritur potentia creandi, ut mens volitiones, nolitioneſque eliciat, vel non requiritur. Si non requiritur: ergo neque hujuſcemodi potentia opus eſt, ut mens ideas rerum producat. Si vero requiritur: ergo aut hæc ineſt menti, ſi appetitiones ſuas elicit; & ideo non repugnat, ut hac eadem potentia pro idearum productione mens ipſa fruatur: aut neque ſuas ipſa appetitiones producit; & ideo iners omnino ſubſtantia eſt, nulla penitus libertate idcirco donata.

Ceterum non eſt verum, ideas rerum nonniſi per creationem poſſe produci. Cum enim illæ non ſint, niſi modificationes mentis, iſtiuſmodi ipſæ ſunt, ut, non ſecus atque figura, in *fieri*, *eſſe & conſervari*, quemadmodum ajunt Scholæ, ab ipſa mente, tamquam a *ſubjecto*, dependeant. Ad creationem autem neceſſario requiritur, ut res, quæ creari dicitur, non ſolum ex nulla præexiſtente ſui parte fiat, verum etiam ut independenter ab *inhaſionis* ſubjecto producatur (P. I. §. 230.). Ergo productio idearum non eſt creatio.

Fallitur porro Cl. Malebranchius, ſi putat, rerum ideas ita ab humana mente, Peripateticorum ſententia, produci, ut corporeæ impreſſiones, quas cerebrum accipit ab objectis, ad ideas ipſas pertineant, vel tamquam pars, ex qua præexiſtente fiant, vel tamquam ſubjectum, in quo recipiantur. Nullus enim Peripateticorum fuit, qui id vel ſomniaverit quidem. Quamdiu mens corpori unita exiſtit, corporeis illis imaginibus opus habet, ut rerum ideas producat, quia licet

(a) Lib. III. P. II. *de inquirenda veritate* cap. 3.

licet prædita sit vi producendi ideas, nullam tamen producit, nisi ab objecto, ut dicemus, nimirum vel a re, cujus ideam in seipsa efficit, vel ab aliquo, quod ipsius rei vicem gerat, determinetur. Ad rem proinde non facit, quod habet Cl. Auctor, nimirum ex substantia materiali spiritualem ideam formari non posse, sicuti nequit fieri, ut quadratum ex spiritu conficiatur. Rerum quippe ideas producere potest mens, & producit reipsa, quin earum aliqua ex re corporea fiat, quemadmodum ex nulla corporea substantia conficitur appetitio, quam mens ipsa producit.

Addit postremo Cl. Auctor: *quemadmodum pictor, quantumvis peritus, animal, quod nunquam viderit, cujusque nullam habet ideam, repræsentare nequit, itaut imago, quæ ab ipso expostularetur, non posset esse similis huic animali incognito. Sic homo non potest formare ideam objecti cujuspiam, nisi prius illud cognoscat, hoc est, nisi habeat de illo ideam, quæ a voluntate sua nequaquam dependet. Quod si jam habeat istius objecti ideam, certe illud cognoscit, ac proinde inutile est, ut sibi novam illius efformet ideam. Frustra igitur homini tribuitur potentia producendi ideas suas* (a).

Respondeo, inter pictorem conficientem imagines, & mentem ideas producentem ingens esse discrimen. Ad rei imaginem pingendam coloribus requiritur ipsius rei cognitio, quia talis non est pingentis corporis structura, ut illius manus valeant imaginem ipsam efficere, quin ab alio dirigantur. Contra vero ea est humanæ mentis natura, ut quamprimum res aliqua vel in se, vel sua in imagine debite præsens ipsi fuerit, illius similitudinem, ideam scilicet, in se cudere possit, quemadmodum ipsius quoque mentis ea natura est, ut ad præsentiam boni actum volitionis eliciat, atque in illud amore feratur. Hæc porro natura mentis humanæ potest satis apte ignis exemplo illustrari. Sicuti namque ignis nullo indiget principio externo impellente, vel determinante, ut lignum sibi debite præsens comburat, quia ad lignum sibi assimilandum, posita debita approximatione, ipsa sua natura determinatus est; ita mens extrinseco monitore non indiget, ut rei similitudinem, quamprimum sibi debite præsens res ipsa fuerit, in se producat; quia istiusmodi quoque est ipsius mentis natura, ut posita præsentia objecti, ei non assimilari, sive illius imaginem in seipsa, instar speculi, innata sua vi nequaquam cudere minime possit.

(a) Lib. III. P. II. *de inquirenda veritate* cap. 3.

PROPOSITIO II.

Humana mens ita potest rei cujusvis ideam in se producere, ut ad nullam sit per suam essentiam determinata.

320. *Probatur*. Ut enim præclare advertit Tullius, & intimus ipse sensus in unoquoque nostrum aperte confirmat, *natura inest mentibus nostris insatiabilis quadam cupiditas veri videndi* (a); & *omnia, qua volumus, nota nobis esse possunt. Nihil est enim, de quo cogitare nequeamus* (b). Ergo mens nostra ad nullam ideam producendam per suam essentiam determinata est, sed notionem rei cujusque potest, natura sua, ex æquo in se producere. Frustranea quippe in nobis esset illa cujusque veri sciendi innata cupiditas, si ad certam dumtaxat producendam idearum seriem esset mens nostra per suam essentiam determinata.

Confirmatur. Mens ita potest vi sua in quodcunque bonum tendere, ut ad nullum bonum finitum, ipsa sua natura, sit determinata. Ergo ita etiam potest tendere in quodcunque verum, ut nullum habeatur, cujus notionem, sive ideam, in se producere mens ipsa nequaquam possit. Omne quippe verum bonum est, & omne bonum est verum; cumque nihil appetere queat mens, nisi cognitum ab ea fuerit, aut omne verum, sive omne ens, intelligere ipsa potest, ejusque ideam cudere, aut non omne bonum potest ipsa amare. Ceterum huc quoque faciunt omnia, quæ contra *automaticam* mentis nostræ vim § 181. & sequentibus, *harmonistis* objecimus.

COROLLARIUM.

321. *Extrinseco determinante indiget humana mens; ut unius potius, quam alterius rei ideam in se producat*. Si namque mens ad nullam certam ideam producendam intrinsecus determinata est, aliquid necessario debet admitti, quod sit ratio, cur unius potius, quam alterius rei notio ab illa producatur (P. I. §. 130.).

PROPOSITIO III.

Determinativum mentis ad ideas producendas sunt res, quæ per ipsas ideas exprimuntur.

322. *Probatur*. Omnis potentia determinatur ab objecto non solum

(a) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 19. (b) Lib. II. *de Divinatione* cap. 67.

lum ad *simpliciter* operandum, verum etiam ad ita operandum, ut hunc potius, quam alium *in specie* actum eliciat. Vetustissimorum quippe Philosophorum effatum est, omnium deinde consensione probatum, *potentias specificari per actus, & actus per objecta*. Objectum autem potentiæ cognoscitivæ est res, quæ cognoscitur, sive quæ per ideam exprimitur. Ergo res ipsæ, quarum ideas producit mens, sunt id, quod mentem ipsam ad ideas producendas determinat.

Confirmatur. Certum est, ex potentia atque objecto omnem in nobis notitiam fieri. *Liquido tenendum est*, inquit S. Augustinus, *quod omnis res, quamcunque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui. Ab utroque enim notitia paritur, a cognoscente, & cognito* (a). Cum igitur nullius rei notitia produci in nobis possit, nisi ad eam producendam mens nostra determinetur, determinatio mentis ad ideam producendam vel ex ipsius mentis natura derivanda est, vel ex objecto, quod cognoscitur, est desumenda. Nihil enim occurrit aliud, a quo recte queat hæc determinatio desumi. Nequit autem determinatio mentis ex illius natura derivari; cum illa sit ad omnes ideas ex æquo intrinsecus indifferens (§. 320.). Ergo ex objecto sumenda istiusmodi determinatio est; ac proinde mens a re, quam cognoscit, ad illius producendam ideam determinatur.

PROPOSITIO IV.

Mens copulata corpori determinatur a phantasmate ad rei sensibilis ideam producendam.

323. *Probatur*. Cum enim nulla earum rerum sensibilium, quæ extra nos sunt, ita præsens menti nostræ existat, ut in seipsa percipi a nobis possit; sed omnes attingantur in imagine, quæ ex earum appulsu in cerebro efficitur, hujuscemodi imago, sive *phantasma*, vicem gerit ipsius rei, sive objecti. Objectum est autem, quod mentem ad ideam producendam determinat (§. 322.). Ergo mens copulata corpori determinatur a *phantasmate*, ut unius potius, quam alterius rei sensibilis ideam in se producat.

SCHOLION.

324. Quomodo determinetur mens ad producendas ideas rerum, quæ nulla corporea imagine exprimi possunt, demonstrabitur infra, ubi

(a) Lib. IX. *de Trinitate* num. 18., alias cap. ultimo.

ubi oſtendemus, quomodo res inſenſibiles a nobis cognoſcantur.

PROPOSITIO V.

Nulla eſt ſpecies rei impreſſa diſtincta a phantaſmate, per quam mens corpori copulata ad ſenſibilis rei ideam producendam immediate determinetur.

325. *Probatur*. Hæc enim *ſpecies* diſtincta a *phantaſmate* fruſtranea omnino eſt. Sicuti namque *phantaſma* poteſt immediate intellectum determinare ad iſtiuſmodi *ſpeciem* producendam, ita determinare immediate ipſum poteſt ad producendam ideam. Nulla enim diſparitatis apparet ratio; cum illa *ſpecies* non minus ſit affectio ſpiritualis, ac ſit hujuſmodi ipſa cognitio. Accedit, non poſſe animo comprehendi, quomodo ad præſentiam *phantaſmatis* cudere queat mens *ſpeciem* rei *impreſſam*, quin rem ipſam in *phantaſmate* prius attingat. Nulla eſt illa rei *ſpecies*, quam *impreſſam* appellant.

Dicunt, opus eſſe *ſpecie impreſſa* ad rei notionem producendam, propterea quia inter ideam rei, ejuſque corpoream imaginem in cerebro depictam nulla detur proportio.

Contra. Etenim, ſi nulla eſt proportio inter *phantaſma*, & cognitionem, nulla quoque eadem ipſa eſt inter idem *phantaſma*, & *ſpeciem impreſſam*. Hæc enim, æque ac ipſa cognitio, eſt ſpiritualis affectio mentis, ut etiam paulo antea diximus. Ergo vel neque *ſpecies impreſſa* ad præſentiam *phantaſmatis* produci poteſt ab intellectu, & ideo nulla eſt; vel nulla eſt ratio, cur *ſpecies* ipſa ad rei ideam producendam requiratur.

COROLLARIUM.

326. *Humana itaque mens, quamdiu corpori copulata eſt, immediate determinatur a phantaſmate ad unius potius, quam alterius rei ſenſibilis ideam producendam.*

ARTICULUS II.

An dentur ideæ innatæ, num vero omnis noſtra cognitio a ſenſibus dependeat.

327. Conſtans fuit Democriti, & Epicuri opinio, omnem noſtram cognitionem adeo a ſenſibus dependere, ut nulla

ſit,

sit, quæ illis nequeat accepta referri. *Nullam aliam causam cujuslibet cogitationis nostra opinantur isti*, inquit S. Augustinus, *nisi cum ab his corporibus, qua cogitamus, veniunt atque intrant imagines in animos nostros* (a). Ab hisce porro minime dissentire videntur Peripatetici. Habent enim & ipsi pro re comperta, *nihil esse in intellectu, quin prius fuerit in sensu*, sive, ut ait Tullius, *quidquid animo cernimus, id omne a sensibus oriri* (b), Aristotele aperte docente, nihil prorsus sine *phantasmate* ab humano intellectu posse comprehendi (c). Contra vero sentiunt alii, contendentes cum Cartesio, non omnes nostras cognitiones suam ex sensibus originem trahere, sed earum quamplures nullatenus a sensibus dependere. Istiusmodi sunt, si illos audiamus, idea *Dei*, *veritatis*, *unitatis*, *entis*, *substantia*, atque ipsæ etiam *primorum principiorum* notiones. Quæ enim, inquiunt, potest esse corporea imago, per quam Deus exprimatur? Quodnam *phantasma*, ex quo *veritatis*, *bonitatis*, aliorumque id genus attributorum notiones mens nostra derivet? Triplex idcirco idearum genus, ut in Logica etiam monuimus, ipsi distinguunt. Alias quippe ideas *innatas* vocant, *adventitias* alias, & alias *factitias*. Dicunt ideam *innatam*, quæ nobiscum nata est, sive, ut ipsam definit Purchotius, quæ *nobis a primo vita momento ad extremum, quoties attendit animus, semper prasto est, quamque sola prima causa, sine corporis, aut cujuscunque alius causa secunda subsidio, omnibus communiter impertit* (d). Ideam *adventitiam* appellant, quæ advenit animæ occasione motuum, qui ex rerum externarum appulsu in sensoriis corporis organis excitantur. *Factitiam* demum vocant ideam, quæ ab ipsa mente ex aliarum unione efficitur. Expendemus itaque, num aliqua nobis insit idea a sensibus penitus independens; num vero omnis nostra cognitio ex ipsis sensibus aliquo modo proveniat, recteque derivetur.

ANIMADVERSIO.

328. Duplici modo potest intelligi, omnem nostram cognitionem, sive ideam a sensibus dependere. Ita enim intelligi potest *primo*, ut sit sensus, nos ea tantum posse mente complecti, quæ sensibilia sunt, & quidem nonnisi prout sensibilia. *Secundo*, ut velimus, nullam in nobis esse cognitionem, quæ vel *immediate* non versetur circa sensibilia, vel ex sensibilium cognitione non proficiscatur.

LEM-

(a) Epist. CXVIII. num. 27., alias LVI. cap. 19.
(b) Lib. I. *de Finibus* cap. 19.
(c) Lib. III. *de anima* tex. 30.
(d) P. II. *Metaph.* Sect. III. cap. 4. *prop.* 4.

LEMMA I.

Idea innata pro ipſa facultate producendi ideam ſumi non poteſt.

329. *Probatur*. Si namque *idea innata* nihil eſſet aliud, quam ipſa potentia formandi ideam, videlicet ſi *innata* Dei *idea* eſſet facultas producendi ideam Dei, & *idea innata* entis eſſet potentia producendi ideam entis, atque ita de ceteris, omnium rerum ideæ nobis eſſent *innatæ*. Menti quippe non minus ineſt potentia producendi ideas *Dei*, *entis* &c., quam facultas producendi ideas *lapidis*, *ligni*, *colorum*, ceterarumque rerum, quarum ideæ vel *adventitiæ*, vel *factitiæ* vocantur. Hoc autem non videtur dicendum; alioquin nugatoria eſſet idearum in *adventitias*, *factitias*, atque *innatas* diſtributio. Ergo *idea innata* ſumi haud recte poteſt pro ipſa facultate producendi ideas.

Confirmatur. Sumta enim *idea innata* pro potentia cogitandi, quæ menti congenita eſt, nemo poteſt de *innatarum idearum* exiſtentia vel leviſſime dubitare. Ut enim ſilentio prætercam, intimo ſenſu notum cuique eſſe, ſe cogitare, ſive rerum ideas in ſe producere, ipſa etiam dubitatione, potentia cogitandi evincitur; cum ſcilicet dubitare is minime poſſit, qui non cogitat (*). De exiſtentia autem *ideæ innatæ* ambigunt plurimi, neque pauci ſunt, qui exiſtentiam ipſam inficiantur. Ergo aliud eſt *idea innata*, aliud potentia, qua ideæ producuntur.

Præterea *innatæ ideæ* exiſtentia ſuaderi ex eo potiſſimum ſolet, quod plures notiones, quæ in nobis ſunt, derivari ex ſenſibilibus minime poſſint. Facta autem hypotheſi, ut *idea innata* nihil ſit a cogitandi potentia diſtinctum, hæc ratio nulla eſt. Explicandum quippe adhuc remanet, quomodo notiones illæ, quæ ex ſenſibilibus nequeunt deſumi, menti adveniant. Ergo *idea innata* pro facultate, qua rerum notiones in nobis fiunt, ſumi recte non poteſt.

Dices, *ideam innatam* eſſe potentiam producendi ideam, non quidem

(*) Vivere ſe, & meminiſſe, & intelligere, & velle, & cogitare, & ſcire, & judicare quis dubitet? quandoquidem etiam ſi dubitat, vivit; ſi dubitat, unde dubitet, meminit; ſi dubitat, dubitare ſe intelligit: ſi dubitat, certus eſſe vult: ſi dubitat, cogitat; ſi dubitat, ſcit, ſe neſcire: ſi dubitat, judicat, non ſe temere conſentire oportere. Quiſquis igitur aliunde dubitat, de his omnibus dubitare non debet: quæ ſi non eſſent, de ulla re dubitare non poſſet. S. *Auguſtinus* lib. X. *de Trinitate* num. 14., alias cap. 10.

dem nudam, sed speciali lumine a Deo illustratam.

Contra: quia potentia cogitandi, etiam prout speciali lumine a Deo illustrata, adhuc est potentia, & quidem ad omnes ideas ex æquo intrinsecus indeterminata. Ergo semper stat, posse quæri, quomodo ideas, quæ *innata* dicuntur, ipsa producat, sive quomodo sine corporis, alteriusve creatæ causæ subsidio, notiones *Dei*, *entis*, *substantiæ*, aliæque id genus, in illa excitentur. Et sane, speciale illud lumen menti congenitum vel mentem ipsam ad certas ideas producendas *immediate* determinat, vel non determinat. Si non determinat: quæro, a quonam mens determinetur, cum ideas *Dei*, *entis*, *substantiæ* &c. ipsa producit. Si vero determinat: quæro, cur non semper, & quidem a primo vitæ momento, notiones illæ in nobis habeantur. Posita enim *ratione sufficienti*, ponitur id, quod propter eam existit potius, quam non existit. (P.I.§.133.).

COROLLARIUM.

330. Igitur vel nulla est *idea innata*, vel non est nisi *actualis* rei *notio* a primo vitæ momento menti nostræ a Deo impressa. Cum enim istiusmodi idea sit aliud a potentia cogitandi, hæc certe idea vel nulla est, vel, si qua datur, non in alio, quam in ipsa *actuali* rei *notione* videtur jure posse constitui.

ANIMADVERSIO I.

331. Quonam sensu *ideam innatam* sumpserit Cartesius, an scilicet pro cogitandi facultate, num vero pro *actuali* rei *notione* humanæ menti a Deo insculpta, incertum est. Patet ex doctissimo Huetio. Ita enim hac de re Cartesium convenit Cl. Auctor: *statuit hic*, (Cartesius), *triplex esse in nobis idearum genus, ut supra jam dixi, quarum alia adventitia sunt, cujusmodi est idea Solis, quam ex conspecto Sole in se habet unusquisque; alia factitia, cujusmodi est idea Solis qualem ratiocinibus suis inveniunt Astronomi; aliæ demum nobis ingenita, quas naturales appellat, cujusmodi sunt idea Dei, mentis, naturarum, qua essentia vocantur, formarum Geometricarum, axiomatum, quibus utuntur Mathematici, aliarumque rerum consimilium. Has ideas naturales, nonnunquam* (*) *conceptis verbis ait, nihil aliud esse, quam facultatem ipsam cogitandi, qua mens nostra pollet, & quam in Scholis actum primum cogitandi appellare solent. Continuo tamen subiicit, ideas illas esse*

(*) *Epist.* Tom. I. epist. 59.

esse formas cogitationum; cogitationes vero ipsas, sive, ut vulgo loquuntur, actum secundum cogitandi a facultate cogitandi proficisci. Atque hæc sane inter se pugnant. Nam, si cogitatio oritur a facultate cogitandi, differre necesse est, cogitationem a facultate cogitandi, ut id, quod effectum est, a causa. Deinde si idea est forma cogitationis, cum forma sit aliud, ac id, cujus est forma, ut anima hominis aliud est, ac homo, idea profecto aliud est, ac cogitatio. Tria igitur in eo ipso agnoscit Cartesius, quod unum idemque esse dixerat, facultatem scilicet cogitandi, cogitationem, & ideam. At idem tamen, ubi disserit de idea Dei (*), *quam menti impressam gerimus, hanc a mente nostra nec effictam esse, nec effingi potuisse contendit; verum a Deo ipso esse in mente nostra consignatam & impressam, quemadmodum & ideas axiomatum illorum, quæ habentur immutabilia & æterna. At multo etiam magis discrepant ista a superioribus. Nam si ideæ sunt facultas ipsa cogitandi, idea Dei est facultas cogitandi de Deo, & idea rerum cæterarum omnium sunt facultas cogitandi de rebus iis ceteris. Facultas autem illa cogitandi ad quascunque res cogitandas adhibeatur, una tamen & eadem facultas est, ut facultas pingendi sive ad pingendam arborem adhibeatur, sive domum, eadem facultas est. Unde manifeste concluditur, ideam Dei, ac reliquas ideas, quas naturales & innatas appellat, non differre ab ideis adventitiis aut factitiis; ac idcirco cum hæ a nobis effecta sint, & illas quoque. Deinde cum scribit alio loco* (**) *Cartesius, ideas illas æternas, puta axiomata illa Geometrica, in animis nostris consignari a Deo, uti leges a rege in animis eorum, qui parent ipsius imperio, aliud quid fatetur ideas, ac facultatem cogitandi. Gratificemur tamen Cartesio, sicque sententiam ejus commode interpretemur, ideam innatam, puta Dei, esse facultatem menti nostræ ingeneratam certo quodam modo cogitandi; quo modo quotiescunque cogitabit mens, ideam Dei in mente exituram. Verum ne sic quidem se extricabit. Nam quid discrepabit idea ingenita ab idea adventitia, aut factitia? idea enim Alexandri, quæ factitia est, poterit jure dici facultas menti ingenerata certo quodam modo cogitandi, quo modo quotiescunque cogitabit, extabit in ea idea Alexandri. Vacillat ergo tota hæc Cartesii doctrina* (a).

ANIMADVERSIO II.

332. P. Eusebius Amort Lokium reprehendit, propterea quia, dum

(*) P. I. *princip. Philos.* c. 15., 16., 17.
(**) *Epist.* Tom. I. *epist.* 104.

(a) Censura *Philos. Cartesianæ* cap. 3. §. 9.

dum demonstrare nititur, nulla principia animis nostris esse ingenita, sive nullam dari ideam innatam, eorum sententiam Vir ille Cl. non intelligat, quos impugnat. *Illi enim*, inquit, *qui docent, quædam principia lumine naturæ nota ac congenita esse, non docent, ipsam actualem cognitionem, aut ipsas species actuales talium cognitionum a Deo homini infusas esse, sed docent, habitum quemdam aliquorum primorum principiorum homini congenitum esse, sicut apibus congenitus est* habitus melificandi, *araneis* habitus texendi, *& quibusvis aliis animantibus sua artes ad finem suum, sic & homini est congenitus quidam habitus ad operationes fine suo congruas. Porro habitus ille in apibus, araneis, & aliis animantibus nec est actualis cognitio suorum objectorum, nec consistit in actuali idea sui objecti, nec consistit in pura capacitate ad acquirendam cognitionem artis; sed consistit in tali præparatione potentiarum, ut accedente actuali motione potentiarum per objectum, statim resultet actualis idea, & actualis cognitio objecti secundum omnes relationes ad artem .... Ita etiam Deus hominis ingenium sic disposuit circa aliquas veritates, quæ ad directionem humanarum actionum in ordine ad finem suum in primis necessaria sunt, & quę alias aut nullo omnino, aut nonnisi longo ratiocinio inveniri possent* (a). Vides ergo, *ideam innatam*, Lokii judicio, non esse actualem rei notionem menti a Deo impressam, sed facilitatem quandam nobis ab illo communicatam, vi cujus, vel levissima adhibita attentione, ea principia mente complectimur, quæ nobis *innata* dicuntur. Itaque omnes ideæ, quæ sensuum ministerio in nobis excitantur, menti nostræ congenitæ sunt; cum omne ex congenito habitu derivari jure optimo queant. Nullo enim ratiocinio ad eas acquirendas opus est, ut patet. Nulla ergo est idea *adventitia*, sed omnes sunt *innata*. Quæri insuper potest, cur primo vitæ momento eæ non eliciantur ideæ, ad quas producendas nobis insitus est habitus, & facilitas communicata? Si enim extrinseca determinatio requiritur, ut producantur, ejusdem prorsus, atque *idea adventitia*, & ipsæ sunt conditionis. Adde, ad formandas ideas *entis*, *substantia*, aliasque id genus, non eam in omnibus, experientia teste, esse facilitatem, quæ esse deberet, si ex congenito habitu suam illæ originem sumerent.

LEM-

(a) Notitia critica *de Logica Neotericorum* Sect. V.

LEMMA II.

Sumta idea innata pro actuali rei notione menti impressa, nulla in nobis est idea rei innata, nisi actualis rei notio a primo vitæ momento menti insculpta fuerit, eique continuo inexistat.

333. *Probatur*. Notio, quæ a primo vitæ momento non fuit in anima, neque in illa continuo perseverat, sed modo in ea est, modo non est, tum iterum advenit, ejusdem prorsus, quoad suam originem, videtur esse conditionis, ac sit idea quævis *adventitia*. Et hanc enim non semper habuit mens, sed modo ipsam acquirit, modo ea privatur. Ergo, sumta *idea innata* pro actuali rei notione menti impressa, nulla in nobis est *idea innata*, nisi actualis notio rei, cujus congenitam ideam habere dicimur; a primo vitæ momento menti nostræ insculpta fuerit, nobisque ita perpetuo inexistat, ut ea neque privemur unquam, neque naturæ viribus privari possimus. Nulla est enim *idea innata*, si nulla sit, quæ ab *adventitia* distinguatur.

Confirmatur. Quia si *idea innata* carere interdum potest mens, eamque iterum consequi, explicandum est, non secus ac de *adventitiis*, quomodo mens eam iterum obtineat, imo quomodo menti illa primo advenerit. Nullum igitur *innatas* inter, atque *adventitias ideas* relinquitur discrimen; ac proinde nulla est *idea innata*, si pro actuali notione rei ipsa sumatur.

Dices, inter *ideas innatas*, & *adventitias* id esse discriminis, quod illæ a Deo, hæ vero ab ipsa mente producantur.

Contra. Etenim omisso, humanam mentem suis omnibus ideis extrinsecus, a Deo scilicet, Cartesianorum judicio, informari, quæro, an nonnisi posita aliqua conditione, num vero independenter ab omni conditione, *innatæ ideæ* a Deo producantur. Si primum: ergo nullum *innatas* inter, atque *adventitias ideas* discrimen est; quippe etiam *ideæ adventitiæ*, occasione motuum, qui ex rerum externarum appulsu in nobis fiunt, menti a Deo, si Cartesianos audiamus, imprimuntur. Sin alterum: quæro, cur *innatæ* illæ *notiones* menti non continuo inexistant; sive cur Deus eas modo menti imprimat, modo non imprimat. Igitur pro *actuali* rei *notione* sumi nequit *idea innata* quin vel nulla sit istiusmodi idea, vel ipsa sit talis, quæ, secus atque evincit experientia, continuo menti obversetur, eique inexistat.

PRO-

PROPOSITIO I.

Nullius rei notio nobis congenita est, sive nulla est idea innata.

334. *Probatur*. Nulla in nobis est *idea innata*, si nullius rei cognitio nobis a primo vitæ momento impressa fuerit, nullaque in mente nostra continuo perseveret ac vigeat (§. 333.). Nullius autem rei notio ita in nobis est. Ecquis enim dicere veraciter potest, se a primo vitæ suæ momento *Deum*, *ens*, *substantiam*, *veritatem*, *primaque Geometria principia*, aliaque id genus, quorum notiones *innatæ* dicuntur, actu novisse? Ecquis itidem est, qui velit, nos semper adeo de *Deo*, de *ente*, de *substantia* cogitare, ut harum rerum notionibus ne momento quidem temporis nostra careat mens, neque carere possit? Ergo nulla penitus in nobis est *idea innata*.

1 *Dices*, tum Platonis, aliorumque vetustissimornm Philosophorum, tum omnium ferme Patrum apertam esse sententiam, congenitam nobis esse notionem Dei. Ait enim in primis Plato: *quando Deos esse asseris, cognitio quadam forte Divina ad rem tibi conjunctam affirmandam colendamque ducit* (a). Jamblycus: *ante omnem rationis usum inest naturaliter insita Deorum notio* (b). Tullius: *quæ gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam Deorum....... Cum non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensio, intelligi necesse est, esse Deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus* (c). Clemens Alexandrinus: *omnibns simpliciter hominibus, maxime autem iis, qui versantur in doctrina, & literis, instillatus est quidam Divinus influxus, unde vel inviti fatentur, unum esse Deum incorruptibilem, & ingenitum* (d). Origenes: *dicendum est, insitum esse hominibus sensum Dei* (e). Demum S. Augustinus, *hæc est*, inquit, *vis vera divinitatis, ut creaturæ rationali, jam ratione utenti, non omnino ac penitus possit abscondi* (f).

2. Respondeo, notitiam Dei nobis a natura insitam congenitamque nuncupari a Philosophis, atque Patribus, non quia Dei notione mens nostra, primo vitæ suæ momento, fuerit extrinsecus informata; neque propterea quia istiusmodi notio, sine ullo corporis, alteriusve creatæ causæ subsidio, in nobis excitetur, quemadmodum certe opus est,

(a) Lib. I. *de legibus*.
(b) De *mysteriis Ægyptiorum* cap. 1. edit. Lugdun. 1549.
(c) Lib. I. *de natura Deorum* cap. 16. 17.
(d) Admonit. *ad Gentes*.
(e) Lib. I., & IV. *contra Celsum*.
(f) Tract. 106. *in Joannem* num. 4.

est, ut *innata* dicatur; sed quia ea est mentis nostræ natura, atque vis, eaque mundi totius structura, rerumque præstantia, ut nullum creatum *ens* considerare possit mens, quin inferre vel invita cogatur, supremum aliquod extare numen, a quo condita hæc omnia fuerint, atque regantur. *Homo ita creatus est*, inquit S. Augustinus, *ut per id, quod in eo præcellit, adtingat illud, quod cuncta præcellit, id est, unum verum optimum Deum, sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus usus expedit* (a). Cuncta vero, quæ creata sunt, Divinitatis vestigium in se complecti, summus quoque ille novit Trismegistus, Vir scilicet apud Ægyptios ter maximus, quoniam & Philosophus, & Sacerdos, & Rex eximius fuit. Is itaque ait: *cum per Deum cuncta clarescant, per omnia rursus atque in omnibus fulget. Deus sane totius expers invidia, per singulas mundi particulas ubique splendet, atque adeo se notum præstat, ut non intelligere modo, sed & manibus etiam ipsis, ut ita dixerim, liceat attrectare. Nam undique nostris oculis ejus obversatur, seque obiicit, & inculcat imago* (b). Hinc S. Augustinus, *circumeat*, inquit, *animus tuus per universam creaturam; undique tibi clamabit creatura, Deus me fecit. Quidquid te delectarit in arte, artificem commendat; magisque si circumeas universa, consideratio concipit artificis laudem. Vides cælos, magna opera Dei sunt. Vides terram, Deus fecit seminum numeros, diversitates germinum, multitudinem animalium. Circumi adhuc cælos usque ad terram, nihil relinquas; undique tibi omnia resonant Conditorem; & ipsa species creaturarum voces sunt quædam Creatorem laudantium* (c). Patet igitur, quomodo notio Dei, licet nobis congenita nequaquam sit, *innata* dici possit. Ceterum, si verba tum Clementis Alexandrini, tum S. Augustini attento animo expendantur, perspicuum fiet, Dei notitiam, horum Patrum sententia, non ita nobis esse impressam, ut a nulla rerum consideratione plane dependeat. Ille siquidem ait, omnibus quidem instillatum esse divinum influxum, quo Deus attingitur, sed maxime iis, qui in *doctrinis literisque* versantur. Is vero docet, ignorari non posse Deum a creatura rationali, quæ jam *ratione* utatur: quod perinde est, ac si dixissent, non posse fieri, ut creatas res, rationis ope, ullus consideret, quin Deum agnoscat.

Co-

(a) Lib. VIII. *de Civitate Dei* cap. 4.
(b) Lib. *de potestate, & sapientia Dei*, cui titulus: *Pimander*.
(c) *Enar.* II. in *psal.* 26. num. 12.

COROLLARIUM.

335. *Rerum omnium notiones, quas successive habet mens copulata corpori, naturali sua vi ab ipsa acquiruntur*. Omnis enim notio, quam habet mens, aut illi congenita est, eique a Deo impressa, aut suis ab ipsa viribus acquisita. Nulla est autem notio nobis ingenita, ut modo demonstravimus. Ergo rei cujusvis notio est acquisita.

PROPOSITIO II.

Omnis nostra cognitio non ita a sensibus dependet, ut nonnisi quæ sensibilia sunt, & quidem nonnisi prout sensibilia, a nobis cognoscantur.

336. *Probatur*. Si namque omnis nostra cognitio ita a sensibus dependeret, ut sensibilia dumtaxat, & quidem nonnisi prout sensibila, percipere valeremus, ea tantummodo cognosci a nobis possent, & perciperentur reipsa, quæ sensoria corporis organa immutant, atque afficiunt. Sensibilia quippe dicimus, quæ ex motione in organo sensorio ab illis facta percipiuntur. Falsum est autem, ea tantum a nobis cognosci, quæ nerveas organorum fibrillas movere possunt, moventque reipsa. Ut enim plura id genus alia, compendii gratia, omittam, evidens est, *veritatem*, *bonitatem*, *justitiam*, omnesque *virtutes* a nobis definiri, adeoque intelligi, non utique intuendo *lineamenta earum, vel colores, aut quomodo sonent, aut quid oleant, aut quid in ore sapiant, aut quid contrectantibus de calore, seu frigore, mollitudine, seu duritie, lenitate, seu asperitate renuntient; sed alia quadam visione, alia luce, alia rerum evidentia, & a longe ceteris præstantiore atque certiore* (a). Ergo falsum est, omnem nostram cognitionem ita a sensibus dependere, ut nonnisi quæ sensibilia sunt, percipiamus.

Confirmatur. Si enim tantum sensibilia, & quidem nonnisi prout *sensibilia*, cognosci a nobis possent, nulla in nobis esset, nec posset esse idea, cui corporea imago in cerebro depicta non responderet. Percipiuntur quippe sensibilia, quatenus ex immutatione in organis sensoriis ab illis facta, corporea quædam ipsorum imago in cerebro depingitur, mentique obversatur. Igitur vel nulla prorsus Dei notio in nobis est, quippe quæ per corpoream imaginem exprimi nequit; vel nonnisi instar corporum concipi Deus a nobis potest; ac

 prop-

(a) S. Augustinus Lib. XII. *super Genesim* num. 6., alias cap. 3.

propterea non eſt, cur *antropomorphitæ*, ii nimirum, qui hominis membra paſſioneſque Deo tribuunt, reprehendantur. Nullum eſt enim principium, quo convinci erroris poſſint, ſi nulla ſit idea, quæ incorpoream naturam menti valeat exhibere, ac proinde qua Deus materialitatis expers exprimatur. Veritati autem plane contrarium eſt, nos aut nullam Dei ideam habere, aut nonniſi talem, quæ Deum ipſum corporeum referat. Ergo conſonum quoque non eſt veritati, ea tantum, quæ ſenſibilia ſunt, poſſe a nobis animo comprehendi.

COROLLARIUM.

337. Falſum itaque eſt, *nihil eſſe in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu*, ſi ita intelligatur, ut ſit ſenſus, *nihil intelligi a nobis poſſe, niſi ſit hujuſmodi, ut ſenſoria noſtri corporis organa afficere valeat & immutare*.

PROPOSITIO III.

Notiones rerum incorporearum, & inſenſibilium, quas habet mens copulata corpori, ex cognitione, ſive ex ideis rerum ſenſibilium, innata ſua vi, ab illa eruuntur.

338. *Probatur*. Cum enim nullius ſive *ſenſibilis*, ſive *inſenſibilis* rei notio nobis congenita ſit, ſed omnes, innata ſua vi, mens noſtra in ſe producat (§. 335.), ſitque ipſa mens ad eas producendas indifferens prorſus atque indeterminata (§. 320.), aliquid dandum neceſſario eſt, quod ad rerum inſenſibilium ideas producendas menti inſerviat, certoque modo ipſam determinet. Nihil autem eſt aliud, quod ad inſenſibilium rerum producendas notiones inſervire poſſit menti, ipſamque veluti determinare, niſi res ſenſibiles; quippe quæ tantum menti præſto ſunt, eique objecti inſtar obverſantur. Ergo ex rebus ſenſibilibus notiones rerum inſenſibilium mens noſtra derivat.

Confirmatur. Nulla res inſenſibilis *immediate* obverſatur menti inſtar objecti. Ergo vel nulla res iſtiuſmodi a nobis cognoſcitur; vel poteſt mens cognitionem aliquam in ſe producere, quin illius detur objectum; vel ex ſenſibilium rerum ideis notiones rerum inſenſibilium mens ipſa excerpit. Falſum eſt autem, nos nullam rei inſenſibilis notionem habere, ut patet. Falſum quoque eſt, poſſe ſine objecto notionem aliquam a nobis produci. Ergo omnis notio rei inſenſibilis ex ſenſibilium cognitione eruitur.

Ce-

Ceterum, si ad ipsas, quas habemus, insensibilium rerum notiones animum attendamus, perspicuum plane fiet, eas omnes esse istiusmodi, ut ex sensibilium rerum ideis excerptæ quodammodo fuerint, ac veluti avulsæ.

I.

339. Et quidem in primis ad universales *entis*, *substantiæ*, *causæ* &c. notiones quod spectat, evidens est, solam præcisionem requiri, ut ex rebus sensibilibus mens eas deducat. Notio *entis* est notio rei, quatenus præcise est aliquod, cui non repugnat esse. Hanc autem non repugnantiam in quavis re sensibili nobis occurrere, res est perspicua. Igitur, si plura sensibilia ita consideret mens, ut omnes negligat affectiones, quibus inter se mutuo discriminantur, atque ad hanc tantummodo repugnantiæ negationem attendat, universalem *entis* notionem dubio procul habebit. Non secus de notione *substantiæ* ratiocinandum est. Sensuum quippe ministerio attingimus, res plures existere, quin sint in alio receptæ; atque in hujuscemodi existendi modo eas convenire, quamvis sint natura dissimiles. Notio autem *substantiæ* est notio rei, quatenus ita existit, ut in nullo sit, a quo dependeat. Ergo ex sensibilibus & ipsa eruitur, si, ceteris non consideratis, solus spectetur modus, quo reapse existunt. Postremo notionem *causæ* sibi format mens, quatenus in rebus sensibilibus deprehendit, extare aliquas ita cum quibusdam aliis connexas, ut, una posita, ponatur & altera; illa vero sublata, hæc quoque tollatur. Omnibus ergo circumstantiis, præcisionis ope, neglectis, rei quoque sensibilitate præcisa, talem sibi notionem format mens, in qua duo occurrunt, quatenus præcise eorum unum ideo est, quia alterum existit. Universaliter itaque ideæ communes excipiuntur ex singularibus; quia, ut egregie explicat Cl. Huetius, *animus in rebus multis idem quippiam animadvertens, excerpit illud e multis, in quibus fuerat dispersum, & in unum colligit, atque inde ideam universalem conflat. Velut in Petro, & Joanne, aliisque hominibus singulis deprehendens, eos esse animalia ratione prædita, jam neque Petrum, neque Joannem, neque ullum singularem hominem spectans, educit illud, & componit in unum, quod multiplex fuerat, ac generalem illam & universalem conflat & confingit ideam, sibique commendat, omnem hominem esse animal rationale* (a).

(a) Censura *Philos. Cartesianæ* cap. III. §. 9.

II.

340. Quemadmodum, præcifionis ope, ideas univerfales ex fingularibus excerpit mens, ita ex particularibus generales illas propofitiones deducit, quæ *axiomata* nuncupantur. Nimirum cum videat, totum *A* excedere unam fui partem *a*, totum *B* unam fui partem *b*, atque ita de aliis pluribus, agnofcit, omnibus totis, licet natura diffimilibus, id effe commune, ut unam fui partem magnitudine fuperent. Infert propterea, proprium effe *totius*, qua *totum* eft, unam fui partem excedere; atque hinc *omne totum effe majus una fui parte*, & viciffim *quamlibet partem*, fi feorfim ab aliis fumatur, *minorem effe toto*. Hac itaque methodo & cetera quæque *axiomata* inventa primo fuere, ficuti etiam nunc, fi opus fuerit, *inductione* confirmantur.

III.

341. Notiones *veritatis*, *unitatis*, aliorumque id genus attributorum ex fenfibilium cognitione defumi, videtur perfpicuum. Dicitur *verum*, quod tale eft, quale effe debet, videlicet, quod fuo exemplari confentit. *Veritas* igitur in conformitate pofita eft. Unam autem rem fenfibilem poffe alteri ita refpondere, ut fibi mutuo confentiant, atque adeo conformitatem etiam in fenfibilibus a nobis deprehendi, nemo ibit inficias. Ergo ex fenfibilibus poteft, præcifionis ope, talis notio defumi, quæ *veritatem* generatim fumtam menti exhibeat. Adde, quod Cartefio hac fuper re objecit olim Gaffendus. *Si veritas*, inquit Vir fummus, *nihil aliud eft, quam conformitas judicii cum re, de qua fertur judicium, veritas eft quædam relatio, ac proinde nihil diftinctum ab ipfis re, ideaque ad fe relatis, feu quod idem eft, ab ipfa rei idea, quippe quæ & fe, & rem, qualis eft, repræfentat. Quare & non alia eft veritatis idea, quam idea rei, quatenus rei conformis eft, feu quatenus ideam repræfentat, cujufmodi eft, adeo proinde ut, fi idea rei non innata, fed adventitia fit, idea quoque veritatis adventitia fit, non innata. Et cum id de qualibet veritate fingulari intelligatur, intelligi etiam poteft univerfaliter de veritate, cujus notio, feu idea, ut jam dictum eft de idea rei, ex notionibus, feu ideis fingularium eruitur* (a). Eodem modo ratiocinare de *unitate*. Cum enim dicatur *unum*, quod in fe indivifum deprehenditur; atque hæc indivifio etiam in fenfibilibus attingatur, fit generica notio *unitatis*, fi res fenfibilis a nobis

(a) Dubit. II. in *Meditation:m* 3.

nobis spectetur, quatenus dumtaxat indivisa in se est, ceteris scilicet omnibus, quæ nobis in illa occurrunt, plane neglectis. Quæ porro de notionibus *veritatis*, atque *unitatis* diximus, intelligi etiam facile possunt de *virtutum*, *vitiorumque* ideis. *Idea virtutis, ac vitii*, inquit Clericus, *nequaquam innatas esse hinc liquet, quod exemplis & institutione eas a parentibus, magistris, iisque, quibuscum vivimus, habeamus. Hinc fit, ut apud cultiores gentes sint magis perspicuæ, quam apud barbaras, utque tanta sit in humano genere circa virtutes & vitia dissensio. Ad disciplinam quidem & exempla aliorum accedat nostra meditatio necesse est, nisi velimus sæpissime falli; sed hoc ipsum judicium est, nullas neque nobis, neque aliis innatas de hisce esse ideas* (a).

I V.

342. Ad Dei postremo ideam quod spectat, considerandum est, duplici modo Deum a nobis cognosci, per *positionem*, & per *negationem*. Concipitur per *positionem*, cum Deo illa tribuuntur *prædicata*, quæ in nobis, ceterisque rebus perfectionem præseferunt: ut cum dicimus, Deum esse substantiam intelligentem atque volentem, præditam sapientia, omnique virtute ornatam. Concipitur vero per *negationem*, cum eas omnes imperfectiones ab illo removemus, quas in creaturis deprehendimus: ut cum Deus dicitur *ens a se*, hoc est, a nullo productum, independens prorsus, nulloque termino circumscriptum. Igitur nulla Dei notio in nobis est, quæ aliquo modo non sit ex creaturis derivata. Dei quippe notionem ex creaturis, ab eaque Deum nobis non exhiberi, nisi secundum rationes, quæ præcisionis ope ex creaturis excerptæ sunt, & per ratiocinationem ex illis deductæ, citra dubium est. Habemus, inquit Cl. Huetius, Dei notitiam, & manifestam quidem; *at non ex idea Dei haustam, sed ratiocinando collectam, & ex gentium omnium consensu, & ex præclaro mundi ornatu, & ordine, & ex rerum, uti, vocant, existentia, earumdemque motu, aliisque argumentis, quæ & a veteribus Philosophis, & a SS. Ecclesiæ Patribus feliciter sunt usurpata. Nam de ea, quam per fidem accepimus, Dei cognitione nunc quidem non agimus* (b). Verum hac de re plura suo loco. Nunc enim paucis ostendisse sufficit, & ipsam Dei, quam habemus, ideam suum ex sensibus ortum duxisse; atque hinc nullius insensibilis rei nos habere notionem, quæ suam ex sensibilium notitia originem non habuerit.

(a) *Pneumatol.* Sect. I. cap. 5. §. 23.

(b) Censura *Philos. Cartesianæ* cap. IV. 6.

Corollariuc I.

343. *Nulla insensibilis sive rei, sive attributi idea haberetur in anima, si nulla res sensibilis ab ea cognosceretur.* Si nullam quippe rem sensibilem perciperet mens, id ei deesset, ex quo sensibilium rerum notiones ab ea, dum corpori copulata est, derivantur.

Corollarium II.

344. Quoniam notiones rerum in sensibilium ex sensibilium ideis, præcisionis ope, mens ita desumit, ut illas ex his, veluti partes ex toto, vi sua excerpat, *nulla insensibilis rei notio potest modo ab anima corpori copulata produci, nisi primo ea sensibilium rerum idea in ipsa excitentur, ex quibus illa eruitur.* Hinc

Corollarium III.

345. *Omnis sensibilis rei notio, quam habet mens copulata corpori, a sensibilium cognitione necessario dependet.* Unumquodque enim ab ea necessario dependet, quo sublato, nequaquam existeret. Quamobrem,

Corollarium IV.

346. Cum certa res sit, omnem nostram sensibilium rerum cognitionem a sensibus dependere, (cognoscuntur enim sensibilia, quatenus sensoria nostri corporis organa ab illis immutantur), relinquitur, *insensibilium quoque rerum notiones a sensibus dependere.* Igitur

Corollarium V.

347. *Omnis nostra cognitio dependet a sensibus vel immediate, vel mediate.* Quidquid enim cognoscimus, vel sensibile est, vel insensibile. Cognitionem sensibilium a sensibus *immediate* dependere, nemini dubium est. Ergo, cum notio rei cujusvis insensibilis a cognitione sensibilium dependeat, perspicuum remanet, illam a sensibus *mediate* dependere.

Co-

COROLLARIUM VI.

348. *Ea etiam cognitio a sensibus certo quodam modo dependet, qua mens corpori unita scit se cogitare.* Cum enim sciat mens, se cogitare, quatenus noscit, se aliquid cognoscere, relinquitur constare menti, se cogitare, quatenus supra rerum ideas, quas habet, se convertit, & circa illas, veluti circa objectum, ipsa versatur. A rerum ergo ideis ea itidem cognitio dependet, qua, se cogitare, noscit mens. Omnis autem rei idea a sensibus aliquo modo dependet (§. 347.). Ergo illa quoque cognitio dependet aliquo modo a sensibus, qua, se cogitare, mens nostra cognoscit.

COROLLARIUM VII.

349. Igitur *etiam a sensibus aliquo modo dependet mens copulata corpori, ut seipsam cognoscat.* Mens quippe, dum corpori unita est, non cognoscit seipsam, nisi quatenus scit, se cogitare. *Dico*, inquit Doctor Subtilis, *quod anima (si loquamur de notitia, quam habet anima de se quoad hujuscemodi notitia inceptionem) notitia de se a notitia actuum suorum incipit, & notitia, quam habet de habitibus suis, a notitia actuum illorum habituum; & sic cognoscendo actum, utpote* velle, *cognoscit arguitive aliquid, discernendo ea esse; & postea cognoscendo naturam, & modum actuum, utpote quod actio intelligendi est immaterialis, reflexiva, & similia, arguit, potentias tales esse, & per potentias, quid sit substantia. Dum autem intellectus, quid sit, apprehendit, determinatur ad intuitionem, qua mens ab exterioribus sequestrata, & super se reflexa, se & suos habitus intuetur per speculum intellectuale, per actum fixum super essentiam animæ, & habitum* (a).

COROLLARIUM VIII.

350. Ex hisce apparet, *eam esse humanæ mentis ingenitam vim, atque potentiam, ut ex visibilibus invisibilia cernere ipsa possit, ex singularibus universalia excerpere, futura ex præsentibus, & ea, quæ non sunt, ex iis, quæ sunt, colligere;* ac propterea *excellentioris, quam corporea quævis substantia, eam esse naturæ*, uno verbo: *ipsam esse substantiam spiritualem.* In corporeis namque naturis, ut egregie observat Tullius, & fuse diximus suo loco, *nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat; quod & præterita teneat, & fu-*

(a) De *rerum principio* q. XV. num. 14.

futura prævideat; & complecti poſſit præſentia .... Singularis eſt igitur quædam natura atque vis animi, ſejuncta ab his uſitatis notiſque naturis (a).

ARTICULUS III.

An humana mens ſemper cogitet.

351. HUmanam mentem ſemper cogitare, Carteſii opinio eſt, eorumque omnium, qui, ſicuti eſſentiam corporis in *actuali extenſione*, ita mentis naturam in *actuali cogitatione* poſitam eſſe, contendunt. Primus tamen minime fuiſſe videtur Carteſius, qui de mente humana ita fuerit opinatus. Idipſum etiam ſenſerat Tullius; quippe qui ait: *animorum eſt ea vis, eaque natura, ut vigeant vigilantes, nullo adventitio pulſu, ſed ſuo motu, incredibili quadam celeritate. Hi cum ſuſtinentur membris, & corpore, & ſenſibus, omnia certiora cernunt, cogitant, ſentiunt; cum autem hæc ſubtracta ſunt, deſertuſque eſt animus languore corporis, tum agitatur ipſe per ſeſe. Itaque in eo & formæ verſantur, & actiones, & multa audiri, multa dici videntur. Hæc ſcilicet in imbecillo, remiſſoque animo, multa omnibus modis confuſa & variata verſantur, maximeque reliquiæ earum rerum moventur in animis, & agitantur, de quibus vigilantes aut cogitavimus, aut egimus* (b). Auctor quoque libri *de ſpiritu & anima* videtur ab hac ſententia neutiquam abhorruiſſe. Dixit enim, animam rationalem ſemper vivere, ſemperque eſſe in motu (c), hoc eſt, nunquam a cogitatione ceſſare. Videtur quippe non poſſe fieri, ut mens ſemper moveatur, niſi ſemper cogitet. Quid igitur hac ſuper re ipſe dicendum putem, unica propoſitione palam efficiam.

PROPOSITIO UNICA.

Incertum omnino eſt, num humana mens corpori copulata ſemper cogitet.

352. *Probatur*. Res eſt incerta, num humana mens corpori copulata ſemper cogitet, ſi neque ſatis evinci poſſit, eam nunquam a cogitatione ceſſare, neque ſatis poſſit oſtendi, interdum fieri, ut plane otioſa conſiſtat. Nulla autem adhuc habetur ratio, quæ vel ſatis evincat, nunquam, ne in alto quidem ſopore oppreſſis, otiari mentem

(a) De *conſolatione*.
(b) Lib. II. *de Divinatione* cap. 67.
(c) Cap. XIII.

tem posse, vel satis demonstret, ipsam omni quandoque cogitatióne carere, ac prorsus quiescere. Ergo reliquum est, ut inter plane dubia statuatur, mentem nostram corpori junctam semper cogitare. *Prob. minor*, videlicet neque ostensum adhuc satis esse, nunquam otiari mentem, neque satis adhuc esse demonstratum, eam in somno ab omni prorsus cogitatione cessare.

I.

353. Ad priorem itaque partem quod attinet, contendunt, qui mentem semper cogitare putant, ex ipsa, quam habemus, mentis idea id aperte colligi. Est enim mens, inquiunt illi, substantia cogitans, quemadmodum corpus est substantia extensa. Ergo sicuti, sublata extensione, nulla corporis idea relinquitur, ita nulla est idea mentis, si illi cogitatio auferatur. Verum quam exigui momenti sit hæc ratio, ignorat nemo. Humana mens dicitur quidem, & vere est substantia cogitans; at non ita, ut sit sensus, actualem cogitationem ad illius essentiam pertinere. Assumitur enim, tamquam certum, quod in quæstione est, quodque propterea debet ostendi, si nomine *cogitantis substantiæ* ea veniat hoc loco, quæ *actu* cogitat. Mens itaque est substantia cogitans, hoc est, substantia potens natura sua cogitare. Hinc tantum abest, ut ex ipsa mentis notione evincatur, eam continuo cogitare, quin contrarium potius ex hoc capite vel manifeste appareat. Cum enim natura activæ potentiæ minime requirat, ut continuo operetur, actuali cogitatione carere potest mens, quin cogitans substantia esse tunc ipsa desinat. Profecto illa perpetuo non memorat, neque semper admiratione afficitur, & tamen memoratrix substantia est, admirandique potentia ita pollet intrinsecus, ut homo per eam, non secus ac per rationis vim, plerumque definiatur. Neque valet, corpus per extensionem definiri. Etenim non actualis extensio, sed naturalis exigentia extensionis illud est, quod *essentialem* corporis *rationem* constituit. Hinc, sicuti actuali extensione privari corpus potest, quin desinat esse corpus, ita actuali cogitatione carere interdum potest mens, quin id prohibeat, quominus cogitans substantia adhuc ipsa dicatur.

II.

354. Non dissimile judicium de ea ratione ferendum est, qua demonstrare nititur Volfius, *animam etiam in somno producere ideam totius universi, qualem vigilans producit, sed obscuram, seu totaliter confusam*

fuſum (a). Qui enim negat, animam rationalem in ſomno ſemper cogitare, dabit quidem, animam ipſam præditam eſſe vi ſibi repræſentandi hoc univerſum, hoc eſt, producendi rerum omnium ideas; verum negabit, mentem ipſam per hanc vim ita ad idearum productionem determinari, ut fieri nequeat, quin ideas ſemper producat. Nulla quippe ratione oſtendit Cl. Auctor, mutationes organorum ſenſoriorum corporis nihil protſus ad rerum ideas producendas menti conferre. Patet ex iis, quæ diximus, ubi de *præſtabilita harmonia* ſyſtemate. Demonſtravimus enim, neque rationi, neque experientiæ eſſe conſentaneum, humanam mentem adeo vi propria producere rerum ideas, ut nullo prorſus modo a corpore, cui copulatur, in hoc negotio dependeat; quinimo ne quidem ab ipſo ſummo *harmoniſta* Volfio, quin ſibimet non uno in loco contradicat, *automaticam* hanc humanæ mentis vim poſſe defendi. Vim itaque cogitandi habet mens, eſtque iſtiuſmodi potentia ipſi eſſentialis. Verum, cum hæc mentis facultas ſit ad ideas omnes producendas ex æquo indifferens, extrinſeco determinante indiget, nempe *phantaſmate*, ut unius potius, quam alterius rei ideam reapſe producat. Quoniam igitur in ſomno ita otiari queunt ſpiritus animales, ut nullum ab illis in cerebro *phantaſma* excitetur, contingere poteſt, ut nullius rei ideam tunc producat mens; & ſi nullam ideam, nullam quoque appetitionem, averſationemque nullam; ac proinde poteſt fieri, ut in ſomno mens noſtra non cogitet. Miror porro, *vi corpori determinari vim animæ ad hunc ſtatum univerſi producendum, qui momento evigilantis reſpondet, eadem facilitate reiici*, judicio Volfii, *qua dicitur* (b): miror, inquam; cum & ipſe doceat Vir Cl., *rationem perceptionum rerum materialium in mutationibus, quæ in corpore iſto contingunt, contineri*; ac propterea *perceptiones rerum materialium in mundo adſpectabili a mutationibus in corpore iſto contingentibus dependere* (c). Videtur quippe, & hanc ſuam doctrinam reiiciendam penitus a nobis eſſe, ſi illa refellatur. Perinde enim mihi eſt, *vi corporis determinari vim animæ ad hanc ſtatum univerſi producendum, qui momento evigilantis reſpondet*, atque *rationem perceptionum rerum materialium in mutationibus corporis contineri*; ipſamque mentem propterea *in rerum ideis producendis a corpore dependere*. Quia autem quærit Cl. Auctor, quomodo probetur, *motui, qui ex organo ſenſorio ad cerebrum propagatur, ineſſe ea, per quæ intelligi poſſit, cur anima producat ideam univerſi, qualem poſcit momentum temporis, quo quis evigilat* (d): reſpon-

(a) Pſychol. *ration.* §. 191.
(b) ibidem in *not.* ad §. 191.
(c) Pſychol. *empir.* §. 57.
(d) Pſychol. *ration.* in *not.* ad §. 191.

ſpondeo, id eodem modo, eademque ratione oſtendi, qua ab ipſo demonſtratur, *rationem perceptionum rerum materialium in mutationibus, quæ in corpore contingunt, contineri* (a).

III.

355. Si a producendis ideis rerum ſenſibilium ceſſare in ſomno poteſt mens, videtur citra dubium, eam neque circa inſenſibilia, neque circa ſeipſam ſua tunc poſſe cogitatione verſari. Ut enim ſatis demonſtravimus ſuo loco, inſenſibilium rerum ideæ ex ſenſibilium notionibus eruuntur (§. 338.): utque omnibus notum aperte eſt, non aliter ſeipſam cognoſcit mens, niſi quatenus intimo ſenſu ſcit ſe cogitare. Patet igitur, rem non eſſe perſpicuam, fieri non poſſe, ut a cogitando mens noſtra interdum ceſſet, quamvis perſpicua res ſit, mentem ipſam nunquam poſſe cogitandi facultate privari. Adde, quod hac ſuper re egregie obſervat Clericus. *Videtur*, inquit, *ſubjectum illud*, ſubſtantia ſcilicet mentis, *ſine cogitatione, ut corpus ſine motu, eſſe poſſe: quod eſt experientiæ conſentaneum, ut rationes a noctibus, ſive in ſomnio tranſactis petitæ oſtendunt. Ut melius hoc intelligatur, comparatione corporis, & mentis utemur, non ut argumento, ſed doctrinæ cauſa. Videmus, rapidiſſimum motum paulatim minui per gradus varios, itaut tandem plane deſinat, corpuſque in perfecta quiete remaneat. Sic quoque mentem ſentimus, vividiſſimis ideis occupatam, attentiſſimam, & omnes earum partes diſtinctiſſime pervidere; paulo poſt minuitur vividitas idearum, attentio veluti ſubſidit, & confuſius a mente conſiderantur. Jam uni ideæ non magis attenta, quam aliis, tranſeuntes coram ſe perfunctorie ſpectat, neque amplius uni immoratur, quam alteri, quo tempore dicimur* cogitare de nihilo. *Inde mens ideas prætervolantes fere negligit, ac ſpectare dedignatur, tum confuſa omnia apparent, & adeo leviter iis afficitur, ut vix percipiat, donec tandem torpedine quadam veluti oppreſſa, ne leviter quidquam animadvertat. Tunc demum producta ſomni cortina ſpectacula omnia idearum menti intercipit. Unuſquiſque poteſt in ſe obſervare, ubi a vigilia in ſomnum paulatim delabitur, an non ſimile quiddam in ſe fiat. Hoc probe expenſo, viderit, an malit ſibi credere, quam hypotheſi pro arbitrio adrepta, neque ullo certo argumento ſuffultæ. Hoc tamen poſſit in gratiam Carteſii dici, ſi mens ſit ſæpe ſine ratiocinatione, at non eſſe ſine ſenſu quopiam corporis ſui; ac proinde ſine cogitatione etiam in arctiſſimo ſomno. Sed quamvis*

(a) Pſychol. *empyr.* §. 57.

vis perpetuus ferme sit is sensus, attamen potest forte fieri, ut interdum eo, non minus quam ratiocinatione, careamus. Certe semper eum nobis adesse, nemo invicte probarit (a).

IV.

356. Demonstrandum modo est, eos quoque sufficienti ratione destitui, qui ajunt, mentem nostram actuali quandoque cognitione plane carere. Ad experientiam itaque provocant. Contendunt nempe, mentem non cogitare in somno, propterea quod nulla eorum, quæ tunc cogitaverimus, nobis memoria insit. Jam vero quam leve hoc itidem sit argumentum, ex eo vel maxime patet, quod, hoc si detur, dandum quoque necessario videatur, nos neque in matris utero, neque cum infantes eramus, quidquam cogitasse. Ecquis est enim, qui ea omnia, quæ sua tunc gessit mens, memoria teneat? Mentem autem nostram tum in matris utero, tum in infantili corpore existentem, adeo fuisse otiosam, ut nihil plane cognoverit, rationi consonum non est. Igitur cogitare possumus, quin eorum, in quibus sumus cogitatione versari, vel levissime recordemur; ac proinde potest fieri, ut mens etiam in somnis cogitet, licet somno excussa, nequeat ne unum quidem ex iis, quæ tunc cognovit, in memoriam revocare. Adde, hanc si demus sententiam, necessario fore, ut dicamus, neque cum vigiles sumus, nos perpetuo cogitare. Non cogitamus enim arcto somno devincti, quia eo expergefacti, minime nos cogitasse recordamur: ergo neque vigilantes semper cogitamus, quia eorum, quæ complexi tunc animo fuimus, tanta plerumque in nobis oblivio est, ut ne confuse quidem in memoriam ea revocare possimus. *Constat, homines*, inquit Cl. Gravesandus, *sæpe ad illum statum reduci, & hunc aliquando per tempus satis longum durare, qui ubi cessarit, nullum omnino in mente vestigium relinquit cogitationum, quas, durante hoc statu, mens præsentes habuit, si quasdam habuerit, ita ut primum & ultimum momentum hujus status, respectu mentis, confundantur. In somno profundiore aliquando, & cerebro certo modo compresso, aut vulnerato, semper hæc contingunt. Sed non inde sequitur, mentem non cogitasse; nam sæpe ex signis indubitatis constat, mentem ideas præsentes habuisse, durante somno, in iis ipsis occasionibus, in quibus, finito somno, nihil omnino de hisce cogitationibus superest, ita ut quis facile credat, se in hisce circumstantiis non cogitasse.* (b). Nulla ergo habetur ratio, quæ satis evincat, mentem nostram ab omni interdum cogi-

(a) *Pneumatol.* Sect. I. cap. 2. num. 11.

(b) Introduct. *ad Philos.* lib. 1. p. 2. cap. 15. §. 205.

cogitatione cessare; cumque nulla itidem sit, quæ, eam nunquam otiari, satis demonstret, dicendum superest, rem esse omnino dubiam, num humana mens corpori copulata semper cogitet.

COROLLARIUM.

357. *Humanæ mentis essentia in actuali cogitatione collocari nullatenus potest.* In eo quippe statui nequit rei cujusque essentia, de quo certi non sumus, illud esse istiusmodi, ut ipsi rei semper conveniat.

ARTICULUS IV.

De objecto intellectus.

DEFINITIO I.

358. OBjectum activæ potentiæ, generatim loquendo, dicitur id, *circa quod ipsa potentia, operando, versatur*. Sic lux, atque color dicuntur *objectum* visus, sonus *objectum* auditus &c. Dividitur autem *objectum* in *materiale*, & *formale*.

DEFINITIO II.

359. *Objectum materiale* potentiæ est res, *quæ a potentia respicitur*. *Formale* vero est illa *ratio* in re, *penes quam a potentia res ipsa respicitur*. Sic corpus coloratum est *objectum materiale*; color est *objectum formale* potentiæ visivæ. Ab hac enim non respicitur corpus coloratum, nisi quatenus coloratum.

LEMMA.

Nullum est ens, quod ab humano intellectu nequeat aliquo modo cognosci.

360. *Probatur*. Omnia scire ita appetit appetitu innato humana mens, ut, si hujusce appetitus habeatur ratio, nihil prorsus ab se ignorari, ipsa patiatur. Certum est autem, hunc appetitum frustra nobis a natura non esse collatum. Ergo dicendum, nullum esse *ens*, quod a mente nostra nequeat aliquo modo cognosci.

PRO-

PROPOSITIO UNICA.

Ens reale generatim ſumtum, quatenus tale eſt, ut poſſit per ideam exprimi, eſt objectum intellectus.

361. *Probatur*. Nullum eſt *ens*, quod certo modo a nobis attingi nequaquam poſſit (§. 360.). Ergo verſari poteſt mens noſtra circa quodcunque *ens*; ac proinde *ens reale* generatim ſumtum, eſt objectum intellectus (§. 358.).

Quod autem *ens* non ſit objectum intellectus, niſi quatenus tale ipſum eſt, ut queat per ideam exprimi, patet. Quod enim reſpicitur ab intellectu, ideo ab illo reſpicitur, ut ejus notionem in ſe cudat. Ergo &c.

COROLLARIUM.

362. Cum *ens* non ſit tale, ut exprimi per ideam poſſit, niſi quatenus eſt ſuo exemplari conforme, & ideo verum (P. I. §. 24.), *ens reale generatim ſumtum, prout verum, eſt objectum intellectus.*

SECTIO SECUNDA.

De voluntate.

363. POſt *intellectum* occurrit *voluntas*, ceterarum potentiarum animæ proculdubio domina atque regina. Nulla eſt enim, quæ aliquo modo non ſubſit illius imperio, quemadmodum nulla eſt hominis actio, quæ niſi ab ea dependeat, *humana* dicatur. Itaque

DEFINITIO.

364. *Voluntas* eſt illa facultas animæ, *qua aliquid appetimus, vel averſamur*; ſive eſt ipſa anima, *quatenus unam appetit rem, & alteram fugit*.

COROLLARIUM.

365. Duo igitur ſunt actus voluntatis, *velle*, & *nolle*: videlicet, ſicuti *perceptio*, & *judicium*, atque *diſcurſus* ad intellectum, ita *volitio*, & *nolitio* ad voluntatem ſpectant.

SCHO-

SCHOLION.

366. Voluntas solet etiam *appetitus rtionalis* nuncupari. Dicitur *appetitus*, quia per eam in bonum tendimus; *rationalis*, quia non trahitur motibus corporis, sed ratione dirigitur.

ARTICULUS I.

Voluntatis objectum determinatur.

DEFINITIO I.

367. Bonum dicitur hoc loco *quidquid humana natura consentaneum est, ipsamque perficit*. Ut enim advertit Tullius, *quicquam ne bonum est, quod non eum, qui possidet, maliorem faciat* (a). Sic sapientia est *bonum*. Humana quippe natura adeo sapientia perficitur, ut homo, qui sapiens est, perfectissimus censeatur. Dividitur autem *bonum* in *honestum*, *jucundum*, & *utile*, sive *commodum*.

DEFINITIO II.

368. *Bonum honestum* vocatur illud, *quod recte rationi consentaneum est*; *jucundum*, *quod delectationem parit*; *utile*, *quod ad bonum honestum, vel delectabile acquirendum inservit*. Sic sapientia est *bonum honestum*, simulque *jucundum*, atque *utile*. *Quid est enim per Deos*, inquit Tullius, *optabilius sapientia? quid praestantius? quid homini melius? quid homine dignius?* Hujus studium *qui vituperat, haud sane intelligo, quidnam sit, quod laudandum putet. Nam sive oblectatio queritur animi, requiesque curarum, quae conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid acquirunt, quod spectet, & valeat ad bene beateque vivendum; sive ratio constantiae virtutisque quaeritur, aut haec ars est, aut nulla omnino, per quam eas assequamur* (b). Porro dividitur bonum tam *honestum*, quam *jucundum*, & *utile* in *verum*, & *apparent*.

DEFINITIO III.

369. *Bonum verum* est, *quod tale est reipsa, quale nobis esse videtur*; contra vero *apparens*, *quod reipsa nobis non est bonum, licet esse vi-*

(a) Paradoxon I.

(b) Lib. II. de Officiis cap. 1.

deatur. Sic vindicta non eſt, niſi *bonum apparens*. Tantum enim abeſt, ut perficiat naturam, quin potius ei plurimum noceat. At virtus eſt *verum bonum*; quippe quæ non apparenter, ſed re perfectionem nobis confert.

DEFINITIO IV.

370. Sicuti *bonum* eſt, quod perfectionem aliquam humanæ confert naturæ, ita ex adverſo dicitur *malum*, quod eidem nocet. Cum enim *bonum*, & *malum* contraria ſibi mutuo ſint, ſi *bonum* eſt, quod nobis perfectionem affert, erit malum, quod nobis officit. Unde S. Auguſtinus, *quis*, inquit, *dubitet*, *totum illud*, *quod dicitur malum*, *nihil eſſe aliud*, *quam corruptionem* (a)? Porro *malum* vel *inhoneſtum* eſt, ſive *turpe*, vel *moleſtum*, vel *incommodum*. Dicitur *turpe*, quod rectæ adverſatur rationi, ut libido; *moleſtum*, quod dolorem affert, aut tędium, ut febres, diſſoni clamores, atque tumultus; *incommodum*, quod impedit, ne quod appetimus, conſequamur. Horum itidem quodlibet aut vere aliquo bono nos privat, & dicitur *malum verum*; aut tantum videtur, nobis poſſe nocere, & *malum apparens*, ut de *bono* diximus, nuncupatur.

PROPOSITIO I.

Humana voluntas ita vult bonum, ut ipſum averſari, quatenus bonum eſt, nullatenus poſſit.

371. *Probatur*. Etenim, ſi noſtram ipſi conſulamus naturam, fateri neceſſario cogimur, nos ita in bonum tendere, ut nihil ſub ratione *boni* ſe prodere nobis poſſit, quin naturali veluti pondere in illud abripiamur. *Beati omnes eſſe volumus*, inquit S. Auguſtinus, *quod ipſe quoque Philoſophi hujus ſæculi, & Academici de rebus omnibus dubitantes, teſte patrono ſuo Tullio, coacti ſunt confiteri; idque unum eſſe dixerunt, quod diſputatione non egeat, quod nemo eſt, qui non expetat* (b); atque, ut optime advertit Doctor Subtilis, *natura non poteſt remanere natura, quin inclinetur ad ſuam perfectionem; quia, ſi tollas illam inclinationem, tollis naturam* (c). Ergo volantas noſtra ita vult bonum, ut illud nequeat, quatenus bonum eſt, averſari. Fieri quippe neutiquam poſſe videtur, ut ſibimetipſi contraria illa ſit, ſeque ipſam deſtruat.

PRO-

(a) Contra *Epiſtolam Manichæi* n. 39. alias cap. 35.

(b) Lib. VI. *Operis imperfecti contra Julianum*.

(c) Super IV. *Sententiarum* Diſtin. 49. q. 10. §. *præterea*.

PROPOSITIO II.

Humana voluntas ita aversatur malum, ut ipsum velle, quatenus malum est, minime queat.

372. *Probatur*. Eodem intimo sensu, quo experimur, nos innato quasi pondere in bonum ferri, constat quoque, nos ita aversari malum, ut, quamprimum sub ratione *mali* aliquid nobis apparet, congenito quodam veluti impulsu natura ipsa ab illo retrahatur. *Principio*, ut ait Tullius, *generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur* (a). Unde S. Augustinus dicere non dubitavit, nos ita velle esse beatos, *ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus* (b). Ergo voluntas nostra ita aversatur malum, ut ipsum, quatenus *malum* est, optare atque amplecti nequaquam possit.

COROLLARIUM.

373. *Voluntas igitur nihil appetit, nisi quatenus illud sibi videtur bonum; nihilque fugit, nisi quatenus illud sibi malum apparet*. Ostensum est enim, voluntatem neque posse appetere malum sub ratione *mali*; neque bonum, quatenus sibi *bonum* est, posse aversari. Hinc Doctor Subtilis, *dico*, inquit, *quod voluntas sic determinatur ad volendam beatitudinem, & ad nolendam miseriam, quod si eliciat aliquem actum circa ista objecta, necessario & determinate elicit actum volendi respectu beatitudinis, & nolendi respectu miseriæ* (c).

PROPOSITIO III.

Voluntas non aversatur malum directe, sed indirecte tantum, quatenus scilicet innato pondere in bonum fertur, cui malum contrarium est.

374. *Probatur*. Quia voluntas hoc ipso, quod innato veluti pondere in bonum tendit, a malo recedit. Cum enim bonum, & malum sibi mutuo contraria sint, appetere bonum minime potest voluntas, quin recedere a malo simul ipsa nitatur; quemadmodum grave nequit suo pondere deorsum tendere, quin, ejusdem causa, ascensui ad-

(a) Lib. I *de Officis* cap. 4.
(b) In *Enchirid.* num. 28., alias cap. 105.
(c) Super IV. *Sentent.* Distinct. 49. q. 10. §. *respondeo ergo*.

adversetur. Ergo voluntas non fugit malum, nisi quatenus tendit in bonum; ac proinde nonnisi *indirecte* malum aversatur.

Confirmatur. Malum, quatenus *malum*, est mera negatio, Nihil quippe nobis nocet, nisi quatenus aliquo bono nos privat. *Mali nulla natura est*, inquit S. Augustinus, *sed amissio boni mali nomen accepit* (a). *Directe* autem non respicitur ab operante natura, quod est purum nihil. Ergo voluntas non aversatur malum *directe*, sed tantum *indirecte*.

COROLLARIUM.

375. *Bonum, generatim sumtum, est objectum voluntatis*. Nihil enim sub ratione *boni* occurrere potest voluntati, in quod illa, veluti innato pondere, non abripiatur; & solum bonum est, quod ab ea *directe* respicitur.

Objecta diluuntur.

Contra secundam propositionem, quæ sola videtur posse aliquid negotii facessere, arguitur *primo*. Docet Scriptura, Deum ea lege apposuisse homini bonum, & malum, ut utriusque electionem in illius libertate reliquerit. *Ante hominem vita, & mors*, inquit Ecclesiasticus, *bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi* (b). Ergo potest homo velle malum.

℞. *disting. cons.* potest homo velle malum sub ratione mali, *nego conseq.*; sub ratione boni, *concedo conseq.* Malum, quod una cum bono Deus apposuit homini, non est ita malum, ut nullam prorsus boni speciem illud præseferat. Delectabile siquidem est; sed dicitur, & est malum, quia animæ nocet, impediens scilicet, ne æterna præmia consequatur. Hinc S. Basilius *homil.* in psal. LXI. ad illud: *verumtamen vani filii hominum, mendaces in stateris*, hæc habet: *Quid igitur est, quod dicit? Quoniam cuilibet nostrum intus statera quadam est a Conditore omnium apparata, per quam rerum naturam possis probe discernere. Posuit, inquit, ante faciem tuam vitam, & mortem, bonum, & malum, duas inter se contrarias naturas. Has tu apud tuum tribunal, & judicium examina, ac diligenter expende, quid utilius tibi sit. An momentaneam, parumque duraturam eligere voluptatem, per quam mortem apprehendas aternam; an in virtutis exercitatione afflictionem malle, qua perpetuas consequaris delicias? Mendaces ergo homines, corrupta habentes anima judicia. Quos & Propheta miseros prædicat, dicens: Va di-*

(a) Lib. XI. *de civitate Dei* cap. 9. (b) Cap. XIV. v. 18.

dicentibus tenebras lucem, & lucem tenebras; amarum dulce, & dulce amarum.

Dices: voluntas est potentia libera. Ergo potest appetere malum sub ratione mali.

℞. *neg. conseq.* Libertas enim voluntatis in eo, quemadmodum infra dicemus, posita est, ut circa bonum quodcunque finitum possit agere, & non agere, non autem in eo, ut possit vel odio habere bonum sub ratione *boni*, vel malum sub ratione *mali* ipsa appetere.

Instabis: potest voluntas appetere minus bonum, relicto majori bono. Sed minus bonum, si cum majori conferatur, malum est, ut patet. Ergo &c.

℞. *disting. ma.* potest voluntas appetere minus bonum, quatenus minus bonum est, *nego ma.* qaatenus sibi *absolute* bonum, *concedo ma.*, & *præmissa minori*, *nego conseq.* Potest itaque voluntas appetere minus bonum, illudque majori bono præferre, non quidem *reduplicative* ut minus bonum, sed *absolute* ut sibi bonum, utque sua utatur libertate, quod plerumque tanti a nobis fit, ut cuilibet finito bono præferatur.

Arguitur 2. Damnati appetunt non esse. Sed non esse est malum. Ergo &c.

℞. *disting. ma.* damnati appetunt non esse, quatenus destructivum naturæ, *nego ma.*, quatenus terminativum penæ, *concedo ma.*, & *distinguo min.* non esse est malum, si spectetur, ut destructivum naturæ, *concedo min.*, si consideretur, ut terminativum penæ, *nego min.*, & *conseq.* Responsio est manifesta. Melius est enim non esse, quam inferni flamma sine fine torqueri; unde Christus Dominus loquens de Juda proditore, *bonum*, inquit, *erat ei, si natus non fuisset homo ille* (a).

Arguitur 3. Qui peccat ex malitia, per hoc distinguitur ab eo, qui peccat ex ignorantia, quod ille vult malum, cognitum ut malum, hic vero nequaquam. Ergo &c.

℞. *nego conseq.* Aliud est enim velle malum, cognitum ut malum, aliud velle malum sub ratione *mali*. Vult malum, cognitum ut malum, qui in eo, quod appetit, præter rationem *boni*, a qua allicitur, rationem *mali* deprehendit. Vult autem malum sub ratione *mali*, qui ita malum appetit, ut ab ipsa ratione *mali* ad amorem alliciatur. Qui ergo peccat ex malitia, vult malum cognitum ut malum, at non vult malum sub ratione *mali*. Vult malum, cognitum ut malum, quia scit, sua ipsum actione peccare, Deumque offendere; sed non

(a) Matthæus cap. XXVI. v. 24.

non vult malum fub ratione *mali*; quia non vult actionem illam peccaminofam, quatenus peccaminofa eft, feu mala; fed quatenus eft fibi bona, five appetitui fenfitivo confentanea. Qui autem peccat ex ignorantia, putat actione fua divinam ab fe non violari legem; & ideo vult malum, quod credit non effe malum, nempe aliquid appetit, in quo rationem *mali* neutiquam deprehendit. Pro ftabiliendo itaque difcrimine peccantis ex malitia ab eo, qui peccat ex ignorantia, minime requiritur, ut in malum, quatenus malum eft, ille amore feratur.

ARTICULUS II.

An humana voluntas fit potentia libera.

376. Duplex potiffimum libertas diftinguenda hoc loco eft, altera fcilicet *a coactione*, altera *a neceffitate*.

DEFINITIO I.

377. *Cogi* dicitur agens, *cum externa vi, contra atque illius natura poftulat, ad operandum adigitur*. Sic cogitur lapis ad motum, cum ab externo agente furfum impellitur. Nititur fiquidem lapis, ut notum eft, deorfum tendere.

SCHOLION.

378. *Coactum* folet etiam *violentum* nuncupari. Eft enim *violentum*, quod fit ab agente extrinfeco, paffo non folum nullam conferente vim, verum etiam contra nitente. Talis eft afcenfus lapidis; quippe qui totus adeo ab extrinfeco provenit, ut illi lapis refiftat. Proprie tamen loquendo, *coactum* dicitur de animatis, *violentum* de inanimatis.

DEFINITIO II.

379. Libere *libertate a coactione* operari dicitur agens, *cum, omni penitus fublata extrinfeca vi ipfum impellente, fecundum naturalem propenfionem inclinationemque fuam operatur, fuumque effectum producit*. Sic libere *libertate a coactione* agunt belluæ, cum parant, quæ victui neceffaria funt, quæque nocere eis poffunt pro viribus fugiunt atque devitant. Agunt enim tunc non invitæ, fed prout ipfarum natu-

natura requirit. *Principio*, ut præclare advertit Tullius, *generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, qua nocitura videantur; omniaque, quæcunque ad vivendum sint necessaria, acquirat, & paret, ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis* (a).

SCHOLION.

380. Actio libera *libertate a coactione* dicitur etiam *spontanea*. Sponte quippe fit, quod ab non coacto efficitur.

DEFINITIO III.

381. *Agens necessarium* vocatur illud, *quod ad unum adeo determinatum est, ut agere oppositum nequaquam possit*. Sic ignis necessario calefacit corpora, quæ sibi debite proxima sunt. Ita enim ad hanc actionem determinatus est ignis, ut otiari minime queat. Dividitur porro agens *necessarium* tum ratione *determinationis*, quam habet ad unum, tum ratione *oppositionis*, quæ inter terminos posita est. Ratione *determinationis* dividitur agens in necessarium *intrinsecus*, & in necessarium *extrinsecus*. Ratione vero *oppositionis* terminorum dividitur in necessarium necessitate *contrarietatis*, sive *specificationis*, & in necessarium necessitate *contradictionis*, sive *exercitii*.

DEFINITIO IV.

382. Agens *intrinsecus necessarium* est illud, *quod ad unum, ipsa sua natura, determinatum est*. Agens vero *necessarium* tantum *extrinsecus* vocatur illud, *quod nonnisi ab extrinseca causa habet, ut ad unum sit determinatum*. Sic ignis quoad combustionem est agens *intrinsecus necessarium*. Determinatio enim ad combustionem oritur ex illius natura. Homo vero ligatus necessario quidem sedet, sed necessitate tantum extrinseca; cum externa sit causa, quæ ipsum ad sessionem determinat.

SCHOLION.

383. Agens, quod est ad unum per suam naturam determinatum, *naturale* etiam dicitur; unde *naturalis* vocari solet actio, quæ determinata est per ipsam agentis naturam.

(a) Lib. I. *de Officiis* cap. 4.

DEFINITIO V.

384. Agens necessarium *necessitate specificationis*, sive *contrarietatis*, dicitur illud, *quod ad unum contrariorum determinatum est*. Sic quoniam ignis ita est determinatus ad producendum calorem, ut frigus, quod calori *contrarie* opponitur, ab illo produci nequaquam possit, dicitur calorem necessario producere *necessitate specificationis*.

DEFINITIO VI.

385. Agens necessarium *necessitate contradictionis*, sive *exercitii*, vocatur illud, *quod est ita ad operandum determinatum, ut, positis omnibus ad actionem prærequisitis, nequeat non operari*. Sic ignis necessario *necessitate exercitii* calefacit corpora sibi debite proxima, eaque dissolvit. Non enim fieri potest, naturæ viribus, ut actione tunc careat ignis, ipsaque corpora illæsa prorsus relinquat.

DEFINITIO VII.

386. Agenti *naturali*, sive *necessario* opponitur *liberum*. Sicuti ergo agens *necessarium* est illud, quod natura sua ad unum determinatum est, ita ex adverso agens liberum *libertate a necessitate* est illud, *quod natura sua adeo est ad opposita indeterminatum, ut utrumque oppositorum in illius ex æquo sit potestate*. Porro *libertas a necessitate* duplex est, altera scilicet *contrarietatis*, sive *specificationis*, altera *contradictionis*, seu *exercitii*.

DEFINITIO VIII.

387. *Libertas contrarietatis* ea est, *per quam agens potest contrarios actus producere, ad neutrum per suam naturam determinatum*. Sic homo dicitur liber *libertate contrarietatis*, quatenus circa idem objectum potest contrarios actus elicere.

DEFINITIO IX.

388. *Libertas contradictionis*, sive *exercitii*, est illa, *per quam agens, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere, & non agere, adeo nempe ut tam actio, quam illius negatio in ipsis agentis potestate*

ex

ex æquo habeatur. Sic Deus libere creavit mundum *libertate contradictionis*; quia ita mundum condidit, ut illum non creare ex æquo potuerit.

SCHOLION I.

389. Dixi: *positis omnibus ad agendum prærequisitis*, videlicet iis, quibus necessario est opus, ut agens operari possit. Si quidenim eorum desit, negatio actionis non libertati agentis imputanda est, sed potentiæ defectui est tribuenda.

SCHOLION II.

390. Agens liberum *libertate contradictionis* dicitur absolute, sive sine addito, liberum *libertate a necessitate*.

DEFINITIO X.

391. Actus voluntatis *eliciti* dicuntur illi, *qui ab ipsa voluntate, ut ab activo principio, immediate proveniunt*. Tales sunt volitio, nolitio, amor &c. Illi vero *imperati* vocantur, *qui ad nutum quidem voluntatis, sed a potentiis ab ea distinctis peraguntur*, ut loquutio, deambulatio, atque id genus alii.

COROLLARIUM.

392. *Omnis actus imperatus voluntatis necessario dependet ab actu ejusdem elicito*. Actus enim *elicitus* est ratio, cur habeatur *imperatus*.

DEFINITIO XI.

393. *Voluntaria* dicitur actio, *quæ a voluntate dependet*. Sic deambulatio peracta, recreationis causa, est actio voluntaria. A voluntate siquidem est, ut ab homine perficiatur.

COROLLARIUM.

394. *Omnes actus voluntatis tam eliciti, quam imperati, sunt voluntarii*. Dependent enim omnes a voluntate.

DE-

DEFINITIO XII.

395. *Involuntarium est, quidquid a voluntate non dependet*. Dupliciter autem potest aliquod esse *involuntarium*, scilicet *positive*, & *negative*. *Involuntarium positive* dicitur illud, *quod peragitur contranitente voluntate*, ut cum homo per vim ad carcerem trahitur. *Involuntarium* vero *negative* id omne vocatur, *cui neque adversatur voluntas, neque consentit*. Tales sunt motus, qui in dormientibus contingunt.

LEMMA I.

Potest aliqua actio esse libera libertate a coactione, quin sit libera libertate a necessitate.

396. *Probatur*. Actiones naturales agentis cujusque sunt liberæ *libertate a coactione*. Non enim est contra naturalem agentis inclinationem id agere, ad quod per suam naturam agens ipsum determinatum est. Omnes autem actiones naturales sunt necessariæ (§.383.). Ergo potest aliqua actio esse libera *libertate a coactione*, quin sit libera *libertate a necessitate*.

COROLLARIUM I.

397. Igitur *ex eo, quod aliqua actio sit libera libertate a coactione, non sequitur, liberam quoque ipsam esse libertate a necessitate*.

COROLLARIUM II.

398. *Naturalis operandi necessitas optime stat cum libertate a coactione*. Naturalis est enim necessitas illarum actionum, quæ per agentis naturam determinantur. Hinc

COROLLARIUM III.

399. Absolute loquendo, *necessarium*, & *liberum non ita opponuntur, ut, quod necessarium aliquo modo est, nullo modo liberum esse possit*.

LEM-

LEMMA II.

Omnis actio libera libertate a necessitate est etiam libera libertate a coactione.

400. *Probatur*. Id namque nec est, nec esse potest contra naturalem inclinationem causæ, quod libere *libertate a necessitate* ab illa efficitur. Nullum enim est agens, quod ad operandum contra seipsum libere sese determinet. Igitur coactum esse nequit, quod liberum *libertate a necessitate* sua in actione est.

Corollarium.

401. *Libertas a coactione latius patet libertate a necessitate*. Actio namque libera *libertate a nessitate* est etiam libera *libertate a coactione*. Sed non vicissim (§. 396.).

PROPOSITIO I.

Humana voluntas ad nullum actum eliciendum potest cogi.

402. *Probatur*. Si namque ad volitionem eliciendam voluntas cogi posset, esset simul volens, & nolens. Esset enim volens per volitionem, quam elicit. Esset vero nolens; quia volitio coacta nolita est, utpote contra volitionem ipsius voluntatis. Hæc autem pugnant inter se, ut patet. Ergo repugnat prorsus, ut ad aliquem eliciendum actum voluntas humana cogatur.

Dices: lapis cogi potest ad ascensum, ergo etiam voluntas ad volendum, quod non vult, & ad nolendum, quod vult.

℞. *disting. añs:* lapis potest cogi ad scensum, ita ut lapis sese ad ascensum determinet, *nego añs*; ita ut ab extrinseco determinetur, *concedo añs*, & *nego conseq.* Ad ascensum itaque cogitur lapis, quatenus ab extrinseco agente vis illi communicatur, qua ascensus perficitur; ut proinde lapis mere *passive* ad ascensum se habeat. Cum autem dicimus, voluntatem non posse cogi, neutiquam inficiamur, aliquid communicari illi a Deo posse, quod sit contra illius inclinationem, sed tantum dicimus, non posse fieri, ut actus aliquis, contra ac ipsa velit, ab illa eliciatur.

Co-

COROLLARIUM I.

403. *Omnes igitur actus eliciti voluntatis sunt liberi libertate a coactione*. Nullus enim illorum coactus est, si ad nullum cogi voluntas possit. Hinc

COROLLARIUM II.

404. *Etiam actus imperati voluntatis sunt liberi libertate a coactione*. Cum enim actus *imperati* ita ab *elicitis* dependeant, ut nullus sit actus *imperatus*, si nullus sit actus *elicitus* (§. 392.), nullus actus *imperatus* potest esse *coactus*, si istiusmodi nequeat esse ullus actus *elicitus*.

SCHOLION.

405. Non inficiamur, plures exteriores motus posse in nobis esse coactos. Externa siquidem vi ita urgeri ad operandum possumus, ut illi resistere nequeamus. Nullus tamen horum motuum *imperatus* est, ut patet. Porro neque illi motus sunt vere & proprie *coacti*, qui ob metum eliciuntur. Non enim eliciuntur a voluntate contra nitente. Dicuntur autem *coacti*; quia ad eos eliciendos non se determinaret voluntas, si nullus metus in eam caderet. Se autem determinat, & quidem libere, posito metu; quia imminens sibi malum, quod vehementer apprehendit, vult declinare.

COROLLARIUM III.

406. *Humana voluntas, quoad omnes suos actus tam interiores, quam exteriores, adeo libera est libertate* a coactione, *ut ea privari nullatenus possit*. Ostensum est enim, non posse fieri, ut ad actum aliquem eliciendum, atque adeo & imperandum, voluntas humana cogatur.

COROLLARIUM IV.

407. *Omnes actus voluntarii sunt liberi libertate a coactione*. Omnes enim actus *voluntarii* ita a voluntate dependent, ut vel *eliciti* ab ea sint, vel *imperati* (§. 394.)

PRO-

PROPOSITIO II.

Voluntas humana libera est libertate contrarietatis;

408. *Probatur.* Humana voluntas ita se gerere potest circa idem objectum, ut contrarios actus queat, si velit, circa illud elicere. Constat enim, eam aversari potuisse id, quod modo amat, quemadmodum haud raro contingit, ut illud ipsum odio habeat, quod antea amore prosequebatur. Ergo &c.

PROPOSITIO III.

Datur in nobis libertas contradictionis, sive exercitii.

409. Quanti momenti sit hæc propositio, nescius nemo est. *Sentiunt, religionem, quicunque eam impatienter ferunt,* inquit Cl., *radicitus ab eo evelli, qui libertatem sustulerit, utpote, qua sublata, inanes sint leges, pœnæ iniqua, præmia nulla. Vident simul, libertate concessa, concedi quoque debere menti naturam ab extensione plane diversam; quandoquidem extensio se ipsam agere, impellere, se excitare, sibi moderari, sese denique ullo pacto fingere impar sit, sed quascunque mutationes subit, eas omnes a caussis sibi externis teneat, & accipiat* (a). Mirum idcirco ne videatur, si hæc in homine libertas tot semper oppugnatores habuerit. Eam itaque evertere conati olim fuere Astrologi judiciarii, docentes, omnia fato regi, sive inimpedibili, ex stellarum influxu, necessitati suis in actionibus hominem esse subjectum: quæ etiam fuit Priscillianistarum opinio, ut patet ex *cap.* 3. Concilii II. Bracarensis, ubi legitur: *si quis animas, & corpora fatalibus stellis credit adstringi, sicut Pagani, & Priscillianus, anathema sit.* Non secus quoque hac super re senserunt Manichæi, licet non ex eodem principio. Cum enim duas in homine esse animas dicerent, unam natura sua malam, alteram bonam, solemne illis consequenter fuit, hominem ejus esse naturæ, ut tam bene, quam male, quidquid ageret, necessario operaretur. Humanæ libertati bellum postremo indixerunt Calviniani, Lutherani, & Jansenistæ, iique demum omnes, quibus cum Spinosa nulla prorsus fides pietasque est, nulla religio. Rejecta siquidem libertate *exercitii*, quæ *arbitrii* etiam vocatur, non aliam,

(a) Petrus de Crosa P. I. Logicæ Sect. I. cap. 13. num. 4.

aliam, nisi *a coactione*, libertatem esse modo in homine, impii Novatores dixere. *Liberi arbitrii hoc modo dicetur homo*, inquit Calvinus, *non quia liberam habeat boni aeque ac mali electionem, sed quia male voluntate agit, non coactione* (a). Idipsum docuit Lutherus, cum ait: *sequitur, nos necessario operari...... Necessario vero dico, non coacte, necessitate immutabilitatis, non coactionis* (b); unde *figmentum in rebus*, sive *titulum sine re*, liberum arbitrium ipse appellat (c). Jansenius quoque satis esse docuit ad peccatum, quod *plena voluntate feratur homo in malum, sive ab ista diligendi mali necessitate se expedire possit, sive non possit* (d). Impius demum Spinosa, *concipe jam*, inquit, *si placet, lapidem, dum moveri pergit, cogitare & scire, se quantum potest, conari, ut moveri pergat. Hic sane lapis, quandoquidem sui tantum conatus est conscius, & minime indifferens, se liberrimum esse, & nulla alia de causa in motu perseverare credet, quam quia vult. Atque hac humana illa libertas est, quam omnes se habere jactant, & qua in hoc solo consistit, quod homines sui appetitus sint conscii, & causarum, a quibus determinantur, ignari* (e). Contra hos itaque dicimus, hominem non *a coactione* tantum, verum etiam ea, quae dicitur *exercitii*, libertate pollere.

I.

410. Momentum primum sumitur ex Scriptura, & Patribus. Non enim omnes, qui hanc in homine libertatem inficiantur, sacrarum Literarum oraculis, Patrumque auctoritati refragari se, putant. Haec igitur habet Scriptura: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata & praecepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere* (f). Porro *exercitii* libertatem significari hoc loco, aperte docet S. Augustinus, nec ipse negare potuit Calvinus. Haec enim habet S. Doctor post modo laudatum Ecclesiastici locum: *Ecce apertissime videmus expressum liberum humanae voluntatis arbitrium. Quid illud, quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri, & fieri jubet Deus? Quomodo jubet, si non est liberum arbitrium* (g)? Vim proinde argumenti ut Calvinus eluderet, ait, de solo Adam ante lapsum, non vero de omnibus hominibus originali peccato obnoxiis, tunc loqui Scripturam. At perperam. Cain siquidem irato dixerat Dominus: *nonne si bene egeris, recipies. Sin autem male, statim in foribus pec-*

(a) Lib. II. *Instit.* cap. 2. num. 7.
(b) Lib. *de servo arbitrio*.
(c) Assert. *articulorum*.
(d) Lib. IV. *de statu naturae lapsae* c. 24.
(e) In Epist. pag. 584., 585.
(f) *Ecclesiastici* cap. XV. v. 14.
(g) Lib. *de gratia, & libero arbitrio* n. 3. alias cap. 2.

peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius (a). Quomodo autem dominari appetitui suo poterat Cain jam obnoxius peccato, si arbitrii tunc ei non erat libertas? Adde, ex divina promissione æternam illi futuram modo esse gloriam, *qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit* (b). Igitur agere, & non agere, & quidem tam bene, quam male, ita etiam modo in hominis potestate est, ut ab illius voluntate omnino pendeat alterutrius partis electio. Hinc S. Cyprianus, *homo*, inquit, *libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimetipsi vel mortem appetit, vel salutem* (c); utque habet S. Ambrosius, *homini dedit* (Deus) *eligendi arbitrium, quid sequatur* (d). Relinquitur ergo libertatem *exercitii* negare in homine, neminem posse, quin Divinæ auctoritati palam adversetur, aperteque resistat. Plura porro ex Patribus si quis cupiat, doctissimum Petavium adeat (e). Is enim luculenter adeo rem hanc persequutus est, ut nemo in hoc negotio præripere ei palmam posse, jure optimo videatur.

I I.

411. Post divina in favorem humanæ libertatis oracula, Patrumque testimonia, omnium ferme veterum Philosophorum occurrit auctoritas. Inter præstantiores quippe nullus ferme est, qui illam in homine apertissime fassus non fuerit. Dixerant quidem Stoici, fatali necessitate fieri cuncta, quæ in mundo contingunt. Verum unam ab hac lege, teste S. Augustino, excipiebant humanam voluntatem. *Nec illa necessitas formidanda est*, scribit S. Doctor, *quam formidando Stoici, laboraverunt, causas rerum ita distinguere, ut quasdam subtraherent necessitati, quasdam subderent; atque in his, quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet non essent liberæ, si subderentur necessitati* (f). Profecto nec ipse Calvinus (g) negare ausus est, constantem vetustissimorum Philosophorum fuisse sententiam, hominem ea libertate præditum esse, qua agere, & non agere, si velit, ex æquo possit. Illorum autem testimoniis, ne longior sim, prætermissis, unum dumtaxat afferam Tullium, Ethnicorum omnium merito optimoque jure præstantissimum. Ergo contra Chrysippum arguens Vir ille summus, *non si alii*, inquit, *ad alia propensiores sint propter causas naturales & antecedentes, idcirco etiam nostrarum*

(a) *Geneseos* cap. IV. v. 7.
(b) *Ecclesiastici* cap. XXXI. v. 10.
(c) Lib. I. Epist. 3. *ad Cornelium*.
(d) Comment. *in Psalm.* 40.
(e) *Theol. Dogm.* Tom. III. lib. 3.
(f) Lib. V. *de civit. Dei* cap. 10.
(g) Lib. II. *Institut.* cap. 2. §. 2.

rum voluntatum atque appetitionum sunt causa naturales & antecedentes. Nam nihil esset in nostra potestate, si res ita se haberet. Nunc vero fatemur, acuti, hebetesne ; valentes, imbecilline simus, non esse id in nobis. Qui autem ex eo cogi putat, ne ut sedeamus quidem, aut ambulemus, voluntatis esse, is non videt, quæ quamque rem res consequatur. Ut enim & ingeniosi, & tardi ita nascantur, antecedentibus causis, itemque valentes & imbecilli, non sequitur tamen, ut etiam sedere & ambulare, & rem agere aliquam, principalibus causis definitum, & constitutum sit. Stilponem, Megareum Philosophum, *acutum sane hominem & probatum temporibus illis accepimus.* Hunc *scribunt ipsius familiares, & ebriosum & mulierosum fuisse, neque hoc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem. Vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam & compressam esse doctrina, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. Quid? Socratem nonne legimus, quemadmodum notavit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores, naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? stupidum esse Socratem dixit & bardum, quod jugula concava non haberet; obstructas eas partes & obturatas esse dicebat, addidit etiam, mulierosum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. Sed hæc ex naturalibus causis vitia nasci possunt; estirpari autem & funditus tolli, ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non est id positum in naturalibus causis, sed in voluntate, studio, disciplina* (a). Concludit propterea, ad animorum motus voluntarios non esse requirendam externam causam. *Motus enim voluntarius eam*, inquit, *naturam in se ipse continet, ut sit in nostra potestate, nobisque pareat; nec id sine causa: ejus enim rei causa, ipsa natura est* (b). Adde, rarum adeo fixumque fuisse Tullio, humanas actiones imperio subjici voluntatis, ut, ignorans quomodo cum humana libertate conciliare divinam præscientiam posset, maluerit, hanc Deo subtrahere, quam homini libertatem denegare. *In has angustias*, ut de eo scribit S. Augustinus, *coarctat animum religiosum, ut unum eligat e duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse præscientiam futurorum; quoniam utrumque arbitratur esse non posse, sed si alterum confirmabitur, alterum tolli; si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium; si elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum. Ipse itaque ut vir magnus & doctus, & vitæ humanæ plurimum ac peritissime consulens, ex his duobus eligit liberum voluntatis arbitrium, quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum; atque ita dum vult face-*

re

(a) Lib. *de Fato* cap. 5. (b) Ibidem cap. 11.

re liberos, fecit sacrilegos. Religiosus autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur, & fides pietatis utrumque confirmat (a).

III.

412. Homini libertate sublata, *omnis humana vita subvertitur, frustra leges dantur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur; neque ulla justitia bonis præmia, & malis supplicia constituta sunt* (b). Frustra namque præcipitur, quod necessario faciendum est; ac prorsus injuste prohibetur, quod vitari non potest. Si necessitate facimus, quidquid facimus, fieri certe nequit, ut honeste vivat, qui turpiter vivit, quemadmodum haud potest fieri, ut cœcus lumen videat, & qui claudus est, recte incedat. *Quis non clamet*, inquit auctor libri *de fide contra manichæos*, S. Augustino olim adscripti, cap. 10., *stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere; & iniquum esse, eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere?* Nulla igitur, *exercitii* sublata libertate, vitia in homine sunt, nullæ virtutes. *Peccati reum tenere quamquam*, ait S. Augustinus, *quia non fecit, quod facere non potuit, summa inquitatis est & insania* (c). Exhortationibus quoque, atque minis, ut bene agant homines, nullus est locus. Virtuosam quippe suadenti vitam merito optimoque jure, si omnia fatali necessitate a nobis fiunt, respondere posset iniquus: *non sunt potestatis hac mea, o Doctor; & ideo quid oportet, sollicitum esse, nisi hac etiam sollicitudo mihi fatis destinata sit? Quod si docendi, præcipiendique tibi necessitas instat, frustra tamen doces, ac præcipis. Faciam enim, si fata volunt; imo vero laborandum mihi non est. Aderit enim necessario, quod fatatum est* (d).

IV.

413. Porro cum nulla sit gens, nullumque genus hominum, quod publicum Magistratum non habeat, certasque leges, *qua supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos* (e), dubium esse nequit, quin sit vox naturæ, ea nos libertate esse donatos, qua ita agamus, quæcunque bene, vel male facimus, ut in nostra sit potestate prorsus otiari. *Etiamne libri obscuri mihi scrutandi erant*, inquit S. Augu-

 sti-

(b) Lib. V. *de civit.* Dei cap. 9.
(b) S. Augustinus *ibidem*.
(c) Lib. *de duabus animabus* num. 17. alias cap. 12.
(d) Eusebius lib. VI. *de præp. Evangel.* cap. 6.
(e) Tullius Lib. II. *de legibus* cap. 5.

ſtinus contra Manichæos, *unde diſcerem, neminem vituperatione ſupplicioque dignum, qui aut id velit, quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt? Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & in orbe terrarum genus humanum* (a)? Si ergo *omnium conſenſus*, quemadmodum præclare advertit Tullius, *natura vox eſt* (b); ſique, teſte S. Auguſtino, *ſine voluntate peccatum eſſe non poſſe, omnis mens apud ſe divinitus conſcriptum legit* (c), ecquis erit, qui dubitet, *tunc eſſe peccatum, cum & velle injuſtum eſt, & liberum nolle* (d)?

V.

414. Verum ne ipſi quidem humanæ libertatis hoſtes negare illam in homine poſſunt, quin facto ſibimetipſis apertiſſime contradicant. Hortantur enim, ut honeſte vivant, & ipſi ſuos; puniuntur, qui vim inferunt legibus, quique publicam perturbant pacem, ſummo cruciatu, ſuppliciòque perire cogunt. Præterea, cordi illis eſſe plurimum, ne quid agant, cujus cauſa vel eorum lædatur fama, vel aliud quodcunque damnum ipſis ab aliquo inferatur. Sollicit idcirco ſunt in periculis, dubiiſque in rebus apprime cauti: uno verbo, ita ſe gerunt, ut ambigere nemo queat, quin intus & ipſi ſentiant, dignos eſſe riſu, qui fidem illis præbent, cum ajunt, nihil libere a nobis fieri, ſed omnia inimpedibili prorſus neceſſitati eſſe ſubjecta. *Quod opinio, quæ de fato habetur*, inquit Euſebius, *penitus falſa ſit, inde patet, quia etiam ejus opinionis auctores & docent, & hortantur, & diſcunt, & conſulunt. Increpant etiam, caſtigantque ſuos, quaſi propria voluntate peccantes. Plurima quoque conſcribunt, quibus ad rectos juvenes adhortantur mores, veniaque dignum putant, ſi quis invitus peccat; ſponte autem delinquentes puniendos non negant* (e). Egregie propterea S. Auguſtinus, poſtquam dixit, *omnes leges, atque omnia inſtituta diſciplinæ, laudes, vituperationes, exhortationes, terrores, præmia, ſupplicia, ceteraque omnia, quibus humanum genus adminiſtratur & regitur, penitus labefactari atque ſubverti, nihilque in eis omnino juſtitiæ remanere, niſi voluntas ſit cauſa peccati*, ex eo demonſtrat, mala opera perperam prorſus fato accepta referri, quod ne ipſi quidem, qui aſſerunt, omnia fatali neceſſitate a nobis fieri, hanc, poſito fato, procul-

(a) Lib. *de duabus animabus* num. 15. alias cap. 11.
(b) Lib. I. *qq. Tuſcul.* cap. 15.
(c) Lib. *de duab. animab.* n. 15., alias c. 11.
(d) S. Auguſtinus *ibidem*.
(e) Lib. VII. *de præp. Evangel.* cap. 7.

culdubio justissimam, in suis puniendis subditis excusationem admittant. *Quanto licentius & æquius*, inquit S. Doctor ad Lampadium scribens, *Mathematicorum improbamus errores, quam divinas leges, vel etiam domorum nostrarum curam damnare atque abjicere cogimus; quod nec ipsi Mathematici faciunt? Nam cum aliquis eorum hominibus nummatis fatua fata vendiderit, mox ut oculum a tabellis eburneis ad domus sua moderamen ac sollicitudinem revocaverit, non solum vocibus, sed etiam plagis emendat uxorem, non dico, si petulantius jocantem, sed si immoderatius per fenestram adspicientem animadvertit. Quæ tamen si ei dicat:* quid me cædis? Venerem cæde, si potes, a qua cogor hoc facere. *Tum vero ille non curat, quam vana verba componat fallendis extraneis, sed quam justa verbera imponat corrigendis suis. Quando ergo quisque, cum reprehendi cœperit, causam convertit in fatum, & ideo se culpari non vult, quia fato se dicit coactum fecisse id, quod arguitur, redeat ad seipsum, servet hoc in suis, non castiget servum furem, non de contumelioso filio conqueratur, vicino improbo non minetur. Quid enim horum faciens, juste facit, si omnes, a quibus injurias patitur, non culpa sua, sed fata, impelluntur, ut faciant? Si autem jure proprio, & patrisfamilias diligentia, quoscunque homines pro tempore in potestate habet, hortatur ad bonum, deterret a malo, imperat suæ voluntati, ut obtemperent, honorat eos, qui sibi ad nutum obediunt, vindicat in eos, qui se contemnunt, rependit gratiam beneficis, odit ingratos, egone expectabo, ut contra fata disputem, cum tanta eum non verbis, sed factis eloqui deprehendam, ut prope manibus suis omnes Mathematicorum capillos super capita eorum frangere videatur* (a)?

VI.

415. Intimo demum sensu certissime constat, nos ita velle, quod volumus, ut ipsi nos ad volendum determinemus. *Sentit animus se moveri*, inquit elegantissimus Cicero, *quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri* (b); utque præclare habet Eusebius, *quomodo, cum sentiamus, nostra nos appetitione moveri, non omnino amentissimum erit, ab exteriori quadam vi, quasi animi expertes, moveri nos credere? Sic enim libera voluntate alia fugimus, alia sequimur, ut quemadmodum dolere, gaudere, videre, audire, non ratiocinando, sed reipsa, comprehendimus, ita a nostro ipsorum consilio aut ad fu-*

(a) Epist. CCXLVI., alias CCXLIII.
(b) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 23.

fugiendum, aut ad sequendum moveri nos profecto sentiamus (a). Itaque nisi velimus, in iis etiam falli nos posse, & falli reipsa, quæ per sensum intimum nobis nota sunt; ac proinde nemini esse certum, se cogitare, & vivere, dicendum est, mentem nostram ita esse dominam suorum actuum, ut agere & non agere, in illius ex æquo sit potestate. Certa etenim æqualiter sunt, quæ per idem medium nobis innotescunt. Egregie propterea humanæ libertatis hostes urget Vir doctissimus. *Unde enim est*, ait ille, *quod* EGO COGITO *prima, & omnium maxime inconcussa veritas agnoscatur, nisi quia nullius perceptionis conscientia istam perspicuitatem superat? Huic proximam annumerant* EGO SUM, *quod existentiæ mea tam sim conscius, quam cogitationis, nec stare possit illarum prima, si secunda tollatur. Qua autem evidentia sentio, & sentire, & fateri cogor, me cogitare, eadem evidentia, modo attendam, sentio me velle, & me eum esse, qui me ad volendum pro lubitu flecto, sumque actuum illorum, qui nomine* tò velle *veniunt, dominus, causa, arbiter* (b).

Porro non dixi, nullam externam a nobis sentiri causam, quæ voluntatem nostram ad operandum determinet, sed nobis constare sensu intimo, ita nos a nobismetipsis determinari ad operandum, ut determinationem ipsam esse active a nostra voluntate, ipsi sentiamus. Hoc autem quamaccurate considerandum est. Sicuti enim ex eo, quod nullam externam sentiamus causam, quæ nos determinet, candide fateor, colligi jure non posse, *exercitii* libertate nos esse donatos, ita contendo, libertatem ipsam certissime ex eo deduci, quod sentiat animus, se vi sua, non aliena moveri. Hæc igitur in nobis libertas est, quam *qui negatoriis ratiocinationibus labefactare conantur, usque adeo cæci sunt, ut nec ista ipsa quidem vana, atque sacrilega, propria voluntate se dicere intelligant* (c).

COROLLARIUM.

416. *Liberum arbitrium extinctum in homine per peccatum non est, ut perperam contendunt heterodoxi.* Cum enim *libertas contradictionis*, sive *exercitii*, nomine *liberi arbitrii*, a Theologis intelligatur, homo etiam in statu naturæ lapsæ *libero* pollet *arbitrio*, si *exercitii* libertate, ut modo ostensum est, in eodem statu sit ipse donatus.

Obje-

(a) Lib. VI. *de præp. Evangel.* cap. 6.
(b) Petrus de Crosa P. I. *Logicæ* Sect. I. cap. 13. num. 6.
(c) S. Augustinus lib. *de quantitate animæ* num. 80., alias cap. 36.

Obbjecta diluuntur.

Opponunt primo humanæ libertatis hostes auctoritatem Apostoli dicentis: *non quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago* (a). Igitur non habet homo, inquiunt, in operando libertatem arbitrii. Non enim liber hoc modo est homo, si non facit, quod vult, quodque non vult, operatur.

℞. *nego conseq.* Eo enim loci non loquitur Apostolus de consensu voluntatis; sed de motibus appetitus sensitivi, qui cum, ut in nobis, ita in illo plerumque excitarentur, invita voluntate, ait, ab se fieri, quod nollet, quamque in suo corpore optabat quietem, obtinere non posse. Itaque *facere se dixit* (Apostolus), *& operari*, inquit S. Augustinus, *non affectu consentiendi & implendi, sed ipso motu concupiscendi* (b), ut proinde sit sensus, non quod volo bonum mente, hoc ago carne, sed quod mente nolo malum, hoc carne operor. Subdit propterea: *si quod nolo, illud facio..... jam non ego*, nempe deliberate, *operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, scilicet concupiscentia carnis, quæ cum ex primi hominis culpa originem traxerit, peccatum ab Apostolo nuncupatur.

Opponunt 2. S. Augustinum. Hæc enim habet S. Doctor: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus* (c); & alio loco: *Libero arbitrio male utens homo, & se perdidit, & ipsum* (d). Ergo &c.

℞. *disting. ant*: homo male utens libero arbitrio, & se, & ipsum perdidit, hoc est, effecit, ut vis illa vitiaretur, *concedo ant*; ut illa omnino periret, *nego ant, & conseq.* Liberum ergo arbitrium, originalis peccati causa, non extinctum in nobis fuit, sed vitiatum, quatenus nempe factum inde est, ut, ob prædominium appetitus sensitivi, bonum operari non amplius possit homo, nisi Redemptoris gratia adjuvetur. Patet ex ipsomet S. Augustino. Ait enim S. Doctor: *quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam* (e). Et infra: *Peccato Adæ liberum arbitrium de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo. Ad bene*

(a) *Ad Romanos* cap. VII.
(b) Lib. I. *contra duas epist. Pelag.* num. 18., alias cap. 10.
(c) Epist. CCXVII., alias CVII.
(d) *Enchirid.* num. 9., alias cap. 30.
(e) Lib. I. *contra duas Epist. Pelag.* n. 5., alias cap. 2.

ne autem, pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis, Dei gratia, fuerit liberata, & ad omne opus actionis, sermonis, & cogitationis adjuta (a). Ceterum tanti Doctoris judicio, ut patet ex illius verbis, eodem modo periit liberum arbitrium per peccatum, quo ipse homo. Manifestum est autem, hominem non periisse quoad substantiam. Ergo neque liberum arbitrium quoad substantiam periit.

Opponunt 3. Nullus actus voluntatis futurus est, quem Deus ab æterno non præsciverit. Necessario autem futurum est, quod Deus futurum novit. Falleretur quippe Deus, si secus res fieret. Ergo nullus est actus humanæ voluntatis, qui liber reipsa sit libertate a necessitate; adeoque &c.

℟. *permissa ma. disting. min.:* necessario futurum est, quod Deus futurum novit, necessitate consequente, *concedo min.*, necessitate antecedente, *nego min.*, & *conseq.* Quod itaque Deus novit futurum, necessario futurum est, necessitate non antecedente determinationem humanæ voluntatis, loquendo de illius actibus, sed ipsam consequente; adeoque tali, quæ nullatenus impedit, quominus voluntas ipsa in suis omnibus actibus eliciendis perfecta arbitrii libertate fruatur. Novit nempe Deus, quinam actus voluntatis quolibet momento temporis sit futurus; quia ab æterno vidit, quomodo singulis instantibus determinatura seipsam esset humana voluntas. Est autem necessario futurus ille voluntatis nostræ actus, quem Deus novit futurum; quia fieri nequit, ut actus cum ejusdem negatione componatur, videlicet ut non faciamus, ipsi quod facimus. Divina ergo præscientia non lædit humanam libertatem; quia, ut dictum est (§. 242.), illa non determinat voluntatem nostram ad operandum, sed determinationem ipsius voluntatis consequitur, sive non efficit, ut faciat, sed circa id, quod voluntas ipsa libere factura est, non secus atque circa id, quod modo facit, Divina cognitio versatur. *Non est*, inquit S. Justinus, sive auctor *quæstionum ad Orthodoxos* q. 58., *præscientia causa ejus, quod futurum est; sed id, quod futurum est, est causa præscientiæ. Siquidem non præscientiam consequitur futurum, sed futurum consequitur præscientia;* utque præclare argumentatur S. Augustinus, *sicuti tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt; sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt* (b). Verum hac super re plura qui cupit, Theologos adeat. Luculentissime enim ab illis ostenditur, arbitrii libertatem in homine ne quidem levissime a Divina præscientia labefactari.

Oppo-

(a) Lib. II. *contra duas epist. Pelag.* num. 9., alias cap. 5.

(b) Lib. III. *de libero arbitrio* num. 11. alias cap. 4.

Opponunt 4. Voluntas nequit esse libera libertate exercitii, nisi natura sua sit indifferens ad operandum, atque ad non operandum. Nequit autem esse indifferens. Ergo &c. *Prob. min*: etenim si esset indifferens, ab alio determinari deberet. Non potest autem ab alio determinari; cum etiam de illo quæri possit, si ponatur agens liberum, a quo determinetur, & sic in infinitum. Ergo &c.

℞. *disting. ma*: voluntas nequit esse libera, nisi sit indifferens indifferentia activa, *concedo ma:*, indifferentia mere passiva, *nego ma:*, & eodem modo *distincta min:*, *nego conseq.* Indifferens quidem est voluntas ad operandum, atque ad non operandum; at non ita, ut extrinsecum requiratur agens, a quo determinetur. Activa potentia ipsa est, & ejus quidem naturæ, ut determinare seipsam possit. Discrimen illius, quod *active* indifferens est, ab eo, quod est indifferens tantum *passive*, in eo est positum, ut hoc requirat extrinsecum agens, a quo determinetur; illud vero nequaquam. Ceterum nimis probat argumentum. Evincit enim, neque Deum in operando *ad extra* esse liberum, si omne indifferens extrinseco, ut agat, determinante indigeat.

ARTICULUS III.

Ostenditur, qua libertate circa bonum tam finitum, quam infinitum voluntas humana fruatur.

417. Diximus, humanam voluntatem triplici libertate præditam esse, *a coactione*, *specificationis*, sive *contrarietatis*, & *contradictionis*, seu *exercitii*. Videndum modo, quamnam libertatem circa bonum tam finitum, quam infinitum voluntas ipsa exerceat.

PROPOSITIO I.

Humana voluntas circa quodcunque bonum est libera libertate a coactione.

418. *Probatur*. Omisso namque, humanam voluntatem cogi ad operandum non posse (§. 402.), indubia res est, bonum quodcunque naturali hominis appetitui respondere. Ergo bonum quodcunque ita ab humana voluntate respicitur, ut, quando per amorem in illud tendit, non agat invita (§. 379.).

PROPOSITIO II.

Humana voluntas neque circa bonum sub ratione boni, neque circa malum sub ratione mali, est libera libertate contrarietatis.

419. *Probatur*. Voluntas ita in bonum tendit, & malum fugit, ut neque bonum, quatenus bonum est, aversari ipsa possit (§. 371.); nec malum, quatenus malum, valeat ipsa appetere (§. 372.). Ergo nec circa bonum sub ratione *boni*, nec circa malum sub ratione *mali*, humana voluntas ita libera est, ut contrarios actus, amorem scilicet, atque odium, elicere queat.

COROLLARIUM I.

420. *Voluntas humana non est libera libertate contrarietatis circa idem objectum, nisi quatenus istiusmodi illud est, ut & sub ratione boni, & sub ratione mali, possit ipsi voluntati repraesentari*. Tunc enim dumtaxat potest voluntas contrarios actus circa illud elicere. Hinc

COROLLARIUM II.

421. Quoniam in bono infinito clare cognito nulla apparet, neque apparere potest ratio mali, *voluntas circa bonum infinitum clare cognitum non est libera libertate contrarietatis*.

COROLLARIUM III.

422. Contra vero, cum nullum sit bonum finitum, quod sub ratione *mali* nequeat voluntati exhiberi (imperfectum quippe est hoc ipso, quod est finitum), *circa bonum quodcunque finitum voluntas humana libera est libertate contrarietatis*.

COROLLARIUM IV.

423. *Etiam circa bonum infinitum obscure cognitum voluntas libera est libertate contrarietatis*. Cognitio quippe obscura boni infiniti non impedit, quominus sub ratione *mali* exhiberi voluntati illud possit. Profecto, *licet Deus*, inquit doctissimus Suarez, *secundum se sit universale bonum, apprehendi tamen potest per modum cujusdam particularis boni*,

boni, & in eo apprehendi potest aliqua ratio mali, seu incommodi, saltem in ordine ad effectus ejus; multoque magis potest inveniri hac incommoditas, vel difficultas in intentione, vel amore ipsius Dei; & ideo facile potest a voluntate refutari, & interdum etiam Deus ipse odio haberi (a).

PROPOSITIO III.

Voluntas circa bonum quodcunque finitum libera est libertate exercitii.

424. *Probatur*. Bonum quodcunque finitum ejus conditionis est atque naturæ, ut sub ratione *non boni* exhiberi nobis possit. Omne enim finitum, quatenus finitum, imperfectum est, & omne imperfectum, qua tale, est non bonum. Ergo voluntas ita respicit bonum finitum, ut & appetere illud queat, & non appetere. Potest nempe illud appetere, quatenus tale est, ut sub *boni* ratione voluntati exhibeatur. Potest vero bonum ipsum non appetere, quatenus sub ratione itidem *non boni* eidem valet ostendi. Ut enim habet S. Augustinus, *nolunt homines facere, quod justum est, sive quia latet, an justum sit, sive quia non delectat* (b). Igitur voluntas ita respicit bonum finitum, ut in illo appetendo, exercitii libertate fruatur.

Confirmatur. Cum bonum finitum non sit adeo bonum, ut omnem imperfectionem excludat, volitio boni finiti non ita bona est, ut nullus in ea defectus habeatur. Igitur neque negatio illius volitionis est ita mala, ut nullo prorsus modo nobis bona videri possit. Utraque ergo contradictionis pars, scilicet appetere, & non appetere bonum finitum, potest sub ratione *boni* nobis exhiberi; & ideo utraque eligi a voluntate potest. In id enim tendere potest voluntas, in quo aliqua *boni* ratio apparet. Voluntas igitur ita amare valet bonum finitum, ut illud etiam non amare ex æquo possit.

COROLLARIUM I.

425. *Voluntas libera est libertate exercitii etiam circa bonum infinitum obscure cognitum*. Bonum quippe infinitum obscure cognitum non ita nobis se prodit, ut instar boni finiti spectari a nobis minime queat.

COROLLARIUM II.

426. *Libertas exercitii circa bonum quodcunque finitum oritur in nobis*

(a) Disputat. XIX. in *Metaph.* Sect. 8.

(b) Lib. II. *de peccatorum meritis* num. 26., alias cap. 17.

bis ex amplitudine appetitus. Eam quippe ob cauſam circa bonum finitum liberi ſumus libertate *exercitii*, quia felicitatis deſiderium, quod congenitum nobis eſt, a nullo bono finito ſatiari penitus poteſt. Ideo res temporales, inquit S. Auguſtinus, *nemini conferunt veram felicitatem, quia non extinguunt inſatiabilem cupiditatem* (a).

PROPOSITIO IV.

Voluntas humana circa bonum infinitum clare cognitum non eſt libera libertate exercitii.

427. *Probatur*. Cum in bono infinito clare cognito nulla imperfectio, nullusque defectus appareat, occurrit voluntati tamquam expletivum perfectiſſimum ſui appetitus. Eam igitur ſumme movet & allicit. Quippe, ut egregie advertit S. Auguſtinus, & experientia confirmat, *tanto quidque vehementius volumus, quanto certius, quam bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentius* (b). Neque ergo voluntas ſe retrahere ab amore ſummi boni clare cogniti, quin contra ſuam naturam operetur. Id autem impoſſibile eſt. Ergo ea ratione tendit in bonum infinitum, ut illud non amare in ipſius voluntatis libera non ſit poteſtate.

Confirmatur 1. Quia, teſte eodem S. Doctore, *ignorantia, & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum* (c). At neque ignorantia, neque infirmitas locum habent, cum agitur de ſummo bono clare cognito. Non enim ignorantia; cum illius cognitio ponatur clara. Neque infirmitas; cum bonum poſitum ſit ſummum, nempe tale, ut nihil in eo deſit, quod poſſit optari. Ergo &c.

Confirmatur 2. Volitio boni infiniti clare cogniti eſt nobis adeo bona, ut illius carentia ſit nobis ſumme mala. Summum quippe malum nobis eſt, quod fruitione ſummi boni nos privat. Ergo fieri nequit, ut voluntas ad non amandum potius, quam ad amandum ſummum bonum clare cognitum, ſe determinet. Repugnare quippe videtur, ut ex duobus extremis contradictorie oppoſitis voluntas illud eligat, in quo nulla ratio boni, quinimo ratio ſummi mali apparet, ipſumque illi præferat, in quo ratio maximi boni manifeſte cognoſcitur.

AR-

(a) In *pſalmum* CV. num. 15.
(b) Lib. II. *de peccatorum meritis* num. 26. alias cap. 17.
(c) Ibidem.

ARTICULUS IV.

An, & quomodo voluntas ab intellectu in operando dependeat.

428. VOluntatem dependere ab intellectu in operando, ignorat nemo. At quomodo dependeat, non una omnium sententia est. Plerique siquidem ajunt, voluntatem ita subiici intellectui, ut ad unam contradictionis partem ab illius judicio determinetur. Secus vero opinantur alii. Pro affirmativa plures e Thomistarum schola citat Mastrius *Disput.* VII. *Metaph. q.* 3., quos sequitur doctissimus Bellarminus *lib. III. de libero arbitrio cap.* 8. *prop.* 6. Pro negativa autem stant Scotistæ, Suarez *Disput.* XIX. *in Metaph. sect.* 6., Becanus *P.* II. *Summa Theol. tract.* I. *cap.* 2. *q.* 5., aliique. Sit ergo pro decisione

DEFINITIO I.

429. Judicium *theoreticum* dicitur illud, *quo nonnisi veritas objecti exprimitur*: ut cum judicat mens, Deum esse justum, omne *ens* esse bonum &c.

DEFINITIO II.

430. Judicium *practicum* vocatur illud, *quo intellectus dictat voluntati, aliquid faciendum esse, vel omittendum*. Tale est illud, quo intellectus suggerit, colendum esse Deum, nihilque alteri faciendum, quod ne nobis fiat, ipsi etiam optamus. *Practicum* porro vocari hoc judicium solet; quia ordinatur ad regulandas actiones potentiæ ab intellectu diversæ. Est enim *praxis*, ut ex Doctore Subtili diximus in Logica, *actus alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, natus elici conformiter rationi recta, ut sit rectus*(a).

COROLLARIUM.

431. *Judicium practicum judicio theoretico, atque adeo etiam simplici rei perceptione, posterius est*. Non enim intellectus dictare potest voluntati, hoc esse faciendum, vel non faciendum, nisi prius judi-

(a) Vide *Exercit.* I. in *Logicam* artic. 3.

judicaverit, illud esse bonum, vel malum, atque ad finem consequendum aut aptum, aut prorsus ineptum.

DEFINITIO III.

432. Judicium *practicum ultimum* dicitur illud, *quo, omnibus libratis, atque expensis, intellectus dictat, hoc tandem eligendum esse, sive faciendum, vel non faciendum*. Vocatur autem *ultimum*; quia ipsum immediate consequitur determinatio voluntatis.

DEFINITIO IV.

433. *Motivum* volitionis, & nolitionis est id, *quod rationem continet, cur mens aliquid velit, aut nolit*, sive quod respondetur quærenti, *cur, positis pluribus, ad unum potius, quam ad aliud voluntas sese determinet*. Sic acquisitio scientiæ est *motivum* studii, si studio incumbat mens, ut rerum scientiam obtineat.

LEMMA I.

Nulla in anima habetur volitio, nullaque nolitio in ea datur sine motivo.

434. *Probatur*. Nihil appetit mens, nihilque aversatur sine ratione, cur amore prosequatur unum, & alterum fugiat. Ut enim prætercam, nihil fieri sine ratione sufficienti, cur fiat potius, quam non fiat (P.I.§.130.), nullus est, qui si interrogetur, cur unum velit, & nolit alterum, aliquam suæ volitionis, nolitionisque causam non assignet. Ergo nulla prorsus sine motivo datur volitio in anima, nullaque in ea habetur nolitio (§.433.).

LEMMA II.

Motivum volitionis est ratio boni, & motivum nolitionis est ratio mali, sive non boni in objecto deprehensa.

435. *Probatur*. Si quæratur enim, cur unum appetamus, & fugiamus alterum, hæc una omnium tam doctorum, quam indoctorum vox est, quia illud nobis bonum, hoc vero malum, aut non bonum deprehenditur. Ergo ratio boni percepta in objecto, motivum voli-

volitionis est, & ratio mali, sive non boni in illo itidem deprehensa est motivum nolitionis (§. 433.).

COROLLARIUM I.

436. Cum neque volitio aliqua, neque nolitio habeatur in anima sine motivo (§. 434.), *nihil velle possumus, nisi sub ratione boni, nihilque nolle, nisi sub ratione mali, aut non boni; illud a nobis attingatur*. Quamobrem

COROLLARIUM II.

437. *Nil volitum*, ut fert volgare proloquium, *quin præcognitum*, atque *ignoti nulla cupido*.

PROPOSITIO I.

Voluntas in omni sua actione necessario dependet ab intellectu.

438. *Probatur*. Voluntas necessario in omni sua actione dependet ab intellectu, si in incognitum ferri ipsa non possit. Constat autem, voluntatem nostram neque velle quidquam posse, nec quidquam nolle, nisi cognitum illud a nobis antea fuerit (§. 437.). Ergo nulla est actio voluntatis, quæ ab intellectu non dependeat.

PROPOSITIO II.

Voluntas non ita dependet a judicio practico intellectus, ut nulla possit esse actio voluntatis, quam practicum judicium non præcedat.

439. *Probatur*. Ut voluntas objectum aliquod amore prosequatur, non aliud requiritur, nisi ut sub ratione boni illud menti appareat. Habetur enim hoc ipso, quidquid necesse est habeatur, ut voluntas ad illum appetendum sese determinet, videlicet ut non sine motivo operetur (§. 435.). Opus autem non est judicio practico, ut objectum sub ratione boni menti reluceat. Cognoscitur quippe objectum, & bonum judicatur, antequam intellectus dictet, illud esse amore prosequendum (§. 431.). Ergo practico judicio non est opus, ut voluntas operetur; atque adeo non ita a judicio practico intellectus voluntas nostra in operando dependet, ut nulla possit esse voluntatis actio, quam judicium aliquod practicum non præcedat.

Dices:

Dices: voluntas nunquam agit sine ratione; est enim *appetitus rationalis*. Ergo nunquam agit sine judicio practico intellectus.

℞. *disting. añs*: voluntas nunquam agit sine ratione theoretica, vel practica, *concedo añs*; nunquam agit sine ratione practica, hoc est, sine judicio dictante, hoc esse faciendum, *nego ans*, & *conseq.* Fatemur, voluntatem nunquam agere sine ratione, hoc est, sine prævia cognitione objecti. At negamus, judicium practicum intellectus, ut voluntas operetur, semper requiri. Sicuti enim cognitio theoretica satis est, ut bonitas, vel malitia objecti menti reluceat, ita hæc plane sufficit, ut voluntas sine motivo, sive sine ratio ne, nunquam operetur. Verum porro est, voluntatem, proprie loquendo, dici *appetitum rationalem*, quatenus a judicio practico intellectus dirigitur. Hinc tamen non sequitur, ut, nisi judicium illud præcedat, nequeat operari; sed tantum ut, cum ab ipso judicio dirigitur, *appetitus rationalis* recte dicatur.

PROPOSITIO III.

Nullum judicium practicum ita movet voluntatem, ut ipsam necessario determinet.

440. *Probatur primo auctoritate*. Docet enim Aristoteles, esse nonnullos, *qui melius opinantur, ob vitium tamen ea, quæ non decent, eligere consueverunt* (a): quod perinde est, ac si dixisset, nonnullos, vitii causa, contra judicium practicum intellectus operari, juxta illud Poetæ:

video meliora, proboque
Deteriora sequor.

Hoc est, ita ago, ut non sequar judicium rationis, mihi dictans, hoc melius esse, atque faciendum, illud vero malum, adeoque fugiendum; sed ita, ut, quod suggerit concupiscentia, amplectar. His accedit S. Bernardus. *Habet sane*, inquit mellifluus Doctor, *voluntas, quocunque se volverit, semper rationem comitem, & quodammodo pedissequam, non quod semper ex ratione, sed quod nunquam absque ratione moveatur, itaut multa faciat per ipsam contra ipsam, hoc est, quasi per ejus ministerium, contra ejus concilium, sive judicium* (b). Neque juvat opponere, S. Doctorem loqui de judicio practico *rationis rectæ*, non vero de quocunque judicio. Non valet, inquam; quia, si

(a) Lib. III. *Moralium ad Nicomacohum* cap. 2.

(b) Tract. *de gratia, & libero arbitrio*.

si judicium *recta rationis* non ita movet voluntatem, ut ipsam necessario determinet, nullum profecto judicium est, quod valeat voluntatem necessario determinare. Itaque tam longe videtur a veritate, ut aliquod judicium practicum intellectus necessario determinare voluntatem ad operandum possit, quin potius nullum sit judicium, cui voluntas nequeat dissensu suo apertissime refragari.

Probatur 2. ratione. Voluntas, posito quocunque judicio practico intellectus, aut libera est, aut non est libera. Si est libera: ergo a judicio non determinatur, sed potest, secus ac illud dictat, otiosa consistere. Si vero non est libera: ergo judicium practicum intellectus privat voluntatem libertate. Absurdum autem id quammaxime est. Enimvero, quemadmodum ait S. Bernardus, *est ratio data voluntati, ut instruat illam, non ut destruat. Destrueret autem, si necessitatem ei ullam imponeret, quominus libere pro arbitrio sese volveret, sive in malum consentiens appetitui, aut nequam spiritui, ut sit animalis, non percipiens, vel certe & persequens ea, quae sunt spiritus Dei; sive ad bonum gratiam sequens, ut fiat spiritualis, qua omnia dijudicans, ipsa minime judicetur; si, inquam, horum quodlibet, prohibente ratione, voluntas non posset, voluntas jam non esset. Ubi quippe necessitas, iam non voluntas* (a). Ergo &c.

Confirmatur. Positis omnibus, quibus ad agendum est opus, potest voluntas non operari, adeo nempe ut adhuc maneat ad utramque contradictionis partem intrinsecus indeterminata. In hoc enim libertas exercitii posita est (§. 388.). Operationes autem intellectus, atque adeo etiam judicium illius practicum, non respiciunt voluntatem, nisi tamquam praerequisita ad illius actiones. Ergo, posito quocunque judicio practico intellectus, potest voluntas non operari; adeoque &c.

Praeterea vel omne judiciem practicum intellectus necessario determinat voluntatem, vel aliquod tantum. Si omne: ergo voluntas non agit libere, quando juxta dictamen intellectus operatur. Si aliquod tantum, vel id praestat, quatenus judicium practicum est, vel quatenus circa tale objectum versatur. Si primum: ergo omne judicium practicum id praestare debet. Sin alterum: ergo objectum finitum, secus ac superiori loco demonstravimus (§. 424.), tantam efficaciam habet ex se, ut valeat voluntatem necessario ad operandum determinare.

Dices, voluntatem non determinari ab omni judicio practico intelle, sed ab eo tantum, quod ultimum est.

Con-

(a) Tract. *de gratia, & libero arbitrio*.

Contra: quia vel judicium, quod dicitur ultimum, habet a determinatione voluntatis, ut sit ultimum, vel id habet ex se. Si hoc alterum: ergo voluntas non est libera; cum non sit in illius potestate judicium, quod ei placet, amplecti. Sin primum: ergo voluntas a nullo judicio intellectus determinatur, sed, posito quocunque judicio, ipsa est, quæ ad operandum, prout unum illorum dictat, sese determinat.

Objecta diluuntur.

Contra postremam hanc propositionem arguitur *primo:* si nullum judicium practicum intellectus necessario determinaret voluntatem, operari ipsa posset sine motivo: Hoc autem falsum est. Ergo &c. *Prob. seq. majoris*; si enim posito judicio dictante, hoc esse faciendum, posset voluntas se determinare ad oppositum, hæc determinatio esset sine motivo. Nihil quippe tunc habetur, quod sit ratio, cur voluntas ad oppositum sese determinet. Ergo &c.

℞. *neg. seq. majoris*, & *añs probationis*. Potest namque voluntas se determinare ad oppositum, ut sua utatur libertate; cumque hoc motivum semper habeat locum, cum agitur de amplectendo, vel non amplectendo bono finito, nullum est judicium practicum de istiusmodi bono, quod valeat voluntatem necessario determinare.

Dices cum doctissimo Bellarmino, judicium de exercitio propriæ libertatis esse illud ultimum, de quo in præsens agimus. Ergo, cum illud sequatur voluntas, ab illo determinatur.

℞. *neg. conseq.* nam licet voluntas sequatur judicium de exercenda propria libertate, & ideo judicium illud sit ultimum, non propterea a tali iudicio voluntas necessario determinatur. Ipsa est enim, quæ se determinat, & quidem libere, ad non operandum, prout iudicium primum dictabat, sed ad exercendam suam libertatem. Sequitur ergo judicium de exercitio suæ libertatis; verum ita, ut ad aliud judicium sequendum sese determinare potuerit.

Arguitur 2. Voluntas nihil eligit sine præcedente actu rationis, sive sine judicio practico intellectus. Ergo a tali judicio determinatur.

℞. *transeat añs*, & *nego conseq.* Aliud est enim, voluntatem nunquam se determinare ad aliquid faciendum, vel non faciendum sine prævio aliquo iudicio dictante ipsi voluntati, ut ita se gerat; aliud vero, voluntatem ad unam contradictionis partem necessario a iudicio intellectus determinari. Potest namque esse verum, ut sine prævio iudicio practico intellectus nunquam agat vo-

voluntas, quin verum sit, eam non determinare seipsam, sed ab illo determinari. Profecto, omnium sententia, voluntas nunquam operatur sine prævia theoretica cognitione objecti, neque tamen ab hac cognitione necessario determinatur, sicuti neque ignis determinatur ab appropinquatione ad comburendum lignum, licet fieri nequeat, ut sine appropinquatione combustio habeatur. Itaque sicuti appropinquatio non est nisi conditio necessario prærequisita, ut ignis id præstet, ad quod per suam naturam determinatum est; ita judicium practicum potest esse tantum conditio necessario prærequisita, ut voluntas ad unum sese determinet.

Dices: voluntas nunquam agit contra ultimum judicium practicum intellectus. Ergo ab illo determinatur.

℞. *disting. añs*: voluntas nunquam agit contra ultimum judicium practicum intellectus, hoc est, contra illud, juxta quod reipsa operatur, *concedo añs*; nunquam agit contra ultimum judicium practicum intellectus, hoc est, ita sequitur judicium, quod sequitur, ut illud non sequi minime potuerit, *nego añs*, & *conseq.* Facta igitur hypothesi, ut voluntas semper sequatur judicium aliquod practicum intellectus, repugnat prorsus, ut contra ultimum se gerat, videlicet ut juxta illud non operetur, juxta quod jam operatur. Verum inferre hinc nequaquam licet, voluntatem a judicio, quod sequitur, nempe a judicio ultimo, necessario determinari. Ita nempe illud sequitur, ut ipsum non sequi ex æquo potuerit.

Arguitur 3. Non agit voluntas, quamdiu judicium intellectus indeterminatum est. Ergo, quando agit, ideo agit, quia a judicio determinato intellectus determinatur.

℞. *neg. conseq.* Ex eo enim, quod non agat voluntas, nisi habeatur judicium intellectus determinatum, non sequitur, ipsam a tali judicio determinari, sed tantum determinatum judicium intellectus requiri, ut illa deinde sese determinet. Profecto non operatur voluntas, ut diximus, nisi adsit theoretica objecti cognitio, neque tamen ab istiusmodi cognitione voluntas ipsa determinatur.

Arguitur 4. Si voluntas eligere aliquid posset contra judicium intellectus, posset peccare, quin aliquis error in intellectu haberetur. Hoc autem falsum est; cum juxta divina oracula, errent, *qui operantur malum*(a). Ergo nequit voluntas judicio intellectus ita refragari, ut, contra ac illud dictat, sese determinet.

℞. *neg. min.* Falsum est enim, voluntatem peccare non posse sine errore in intellectu. Angelorum quippe, primique parentis peccatum

(a) *Proverb.* 14. v. 22.

non fuit ex ignorantia, cum hæc non præceſſerit culpam, ſed ex pura malitia, ſcilicet a voluntate neque illecta ab appetitu ſenſitivo, neque a ratione errante decepta. *Alia* enim, teſte S. Auguſtino, *ſunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ* (a). Neque officit, errare, *qui operantur malum;* errant quippe, qui a regula ſibi præfixa recedunt; ac proinde tam intellectus errare poteſt, quam voluntas, ille ſcilicet recedendo a vero, hæc a bono deflectendo. Ceterum, cum doceat Scriptura, peccatum eſſe *ſcienti bonum facere, & non facienti*, manifeſte apparet, juxta divinam Scripturam fieri peccatum poſſe, quin error in intellectu habeatur.

SECTIO TERTIA.

De memoria.

441. HActenus de *intellectu*, & *voluntate*, nunc de *memoria* dicendum eſt. Ea eſt autem hujuſce facultatis præſtantia, ut nihil utilius, nihilque ad eruditionem aptius collatum homini videatur. Parum certe referret, multa a nobis legi, audiri, animadverti, ſi memori illa mandare animo minime valeremus.

Definitio.

442. Eſt igitur *memoria* ea vis animæ, *qua, independenter ab omni prorſus externorum organorum immutatione, præteritæ rei notitiam ita, quamprimum vult, mens ipſa reproducit, ut, rem eamdem antea ab ſe fuiſſe cognitam, ſimul ſit conſcia.* Circa præterita enim, prout præterita, quemadmodum norunt omnes, verſatur *memoria*, ſicuti circa præſentia, prout præſentia ſunt, tam ſenſus, quam intellectus occupatur.

SCHOLION.

443. Requiritur ad *memoriam* primo, ut præteritæ rei notio reproducatur in anima, quin aliqua vel minima mutatio in externis ſenſoriis tunc contingat. Si enim ſenſoria iterum immutentur, rei perceptio, quæ hinc oritur, non *memoria* eſt, ſed, perinde atque antea, vera *ſenſatio*. Requiritur *ſecundo*, ut conſcia ſit mens, rem, cujus notionem reproducit, ab ſe fuiſſe cognitam. Secus namque, reproductio illius cognitionis non eſt *memoria*, ſed *reminiſcentia*. *Recor-*

(a) Lib. LXXXIII. *Quæſtionum* q. 26.

cordatio dicitur, inquit Nemesius, *cum oblivio memoriam interruperit. Est enim recordatio memoria, quæ evanuerit, recuperatio. Evanescit autem per oblivionem. Oblivio porro memoriæ amissio est* (a).

L E M M A.

Humana mens juncta corpori nequit præteritæ rei notionem reproducere, nisi illa eadem in cerebro iterum excitetur motio, quæ facta in eodem fuit, cum rem ipsam mens primo novit.

444. *Probatur*. Nullius sive *sensibilis*, sive *insensibilis* rei notionem in se producere potest mens juncta corpori, nisi certa in cerebro motio contingat, ut ex iis, quæ de mutuo utriusque substantiæ commercio dicta sunt, satis patet. Ergo nullius quoque rei notionem reproducere mens ipsa potest, nisi illa eadem motio iterum in cerebro peragatur. Eadem enim ratio utrobique est, ut rem attento expendenti animo perspicuum fiet.

C o r o l l a r i u m I.

445. *Nequit igitur humana mens, quamdiu juncta est corpori, rem, antea ab se cognitam, in memoriam revocare, nisi in cerebro illa iterum motio excitetur, quæ peracta in eodem fuit, cum ipsa res menti primo innotuit*. Revocatur enim res in memoriam, cum illius notio reproducitur (§. 442.).

C o r o l l a r i u m II.

446. Quoniam porro ad *memoriam* necesse est, ut rei notio reproducatur in anima, quin externa sensoria vel levissime immutentur (§. 442.), relinquitur, *opus quoque esse ad memoriam, ut, quin in iisdem sensoriis aliqua mutatio contingat, illa eadem motio iterum in cerebro excitetur, quæ dependenter ab organorum sensoriorum immutatione in eodem peracta fuit, cum notionem rei, quam in memoriam revocat, mens primo produxit*.

(a) Lib. *de natura hominis* cap. 13.

PROPOSITIO UNICA.

Memoria humanæ mentis, quamdiu corpori juncta eſt, neceſſario dependet a mechanica quadam fibrarum cerebri affectione, ex prima rei notitia ab illis contracta, ratione cujus ad nutum ſolius animæ moveri deinde poſſint eodem modo, eodemque ordine, quo movebantur, cum rem præteritam mens ipſa primo novit.

447. *Probatur.* Mens humana, quamdiu corpori juncta eſt, nullam rem revocare in memoriam poteſt, niſi ea iterum in cerebro excitetur motio, quæ facta in eodem fuit, cum res illa menti primo innotuit (§. 445.). Neceſſe eſt autem, ut illa motio ita ad nutum ſolius animæ iterum in cerebro fiat, ut externa ſenſoria tunc nullatenus immutentur (§. 446.). Ergo neceſſe eſt ad memoriam, ut aliquid ex prima rei cognitione relictum in cerebro fuerit, ratione cujus moveri illius fibræ, ut antea, quamprimum vult anima, iterum poſſint. Id autem non poteſt eſſe, niſi mechanica quædam affectio ex primà rei cognitione ab ipſis fibris contracta. Ergo &c.

S C H O L I O N.

448. Nemo ex me quærat, ut mechanicam hanc affectionem in fibris cerebri ex prima rei cognitione, memoriæ gratia, relictam phyſice explicem. Id enim palam fieri ab eo tantum poteſt, qui noſcit optime, quomodo ipſæ fibræ, cum ideam rei mens primo producit, moveantur.

Memoriæ phænomena explicata.

I.

449. *Exercitio memoria augetur, plurimumque perficitur.* Cum enim per exercitium ea in cerebro ſæpe fiat motio, cui idea rei in anima reſpondet, illius fibræ, ſpirituum animalium iterata actione, ſive impulſu, ita expeditæ fiunt ad motionem ipſam concipiendam, ut, ſola accedente voluntate, eam deinde arripiant.

450.

II.

450. *Facilius revocantur in memoriam, quæ actione externorum sensuum, quam quæ solius imaginationis ope attinguntur.* Validius enim in externa, quam in interna sensatione fibræ cerebri commoventur; unde facilius quoque motum in externa sensatione peractum, quamprimum vult anima, iterum concipiunt. Hinc ægre eorum, quæ somniantes vidimus, recordamur; facile vero eorum, quæ vigilantes percepimus.

III.

451. *Juvenes melioris sunt memoriæ, quam aut pueri, aut senes.* Puerorum quippe cerebrum mollius est, quam ut illius fibræ receptam in prima rei cognitione impressionem servare possint. In senibus vero cerebri fibræ, utpote nimis rigidæ, nullam ferme impressionem ex illo spirituum animalium motu, cui prima rei notio respondet, recipiunt. At fibræ juvenilis cerebri, utpote neque nimis rigidæ, neque nimis laxæ, impressionem ex motu spirituum animalium & recipiunt facile, & diu servant.

IV.

452. *Qui memori animo facile res mandare solent, earundem facile obliviscuntur. Contra vero diuturnæ memoriæ sunt, qui ægre, quod discunt, illi committunt.* Fibræ enim cerebri eam impressionem amittunt facile, quam facile recipiunt. Illa vero ægre privantur, quæ nonnisi cum difficultate in ipsis efficitur.

V.

453. *Tam nimia cerebri siccitas, quam nimia ejusdem humiditas plurimum memoriæ officit.* Illa enim impedit, quominus ipsius cerebri fibræ impressionem ex eo spirituum animalium motu recipiant, qui in cerebro excitatur, cum res percipitur. Hæc vero efficit, ut receptam impressionem nequaquam servent.

VI.

454. *Memoria lædi a causis materialibus potest, quemadmodum & ab iisdem perfici.* Lædi potest a causis materialibus, quia non solum pos-

sunt ab illis destrui eæ impressiones factæ in fibris cerebri, a quibus, ut ostensum est, *memoria* dependet; verum etiam quia potest ab iisdem causis fieri, ut ipsæ fibræ ineptæ deinde sint ad eas impressiones vel recipiendas, vel conservandas, quatenus nempe reddi possunt vel nimis rigidæ, vel nimis laxæ. Sic morbi acuti, & quidem potissimum qui in capite sedem habent, ita plerumque *memoriæ* officiunt, ut eam plane extinguant. Irregulares siquidem motus tunc fiunt in cerebro, & quidem adeo vehementes, ut mechanicam fibrarum cerebri dispositionem penitus mutent. Similiter, senescente homine, *memoria* sensim perit; quia cum, ineunte ætate, fibræ cerebri rigidiores fiant, ineptæ paulatim redduntur ad eas motiones, quamprimum vult anima, iterum concipiendas, quibus præteritæ rerum notiones responderant. Ceterum mirum ne videatur, a causis materialibus *memoriam* lædi. Ut enim recte observat Cl. Volfius, *non major est difficultas in destructione memoriæ per causas materiales admittenda, quam quæ esse potest, ubi admittere debes, hominem, artis saltandi peritum, fractis cruribus, non posse saltare amplius: quod enim in posteriori casu minus percipiatur, quam in priori, causa non alia subest, quam quod motus fibrillarum nervearum in productione idearum materialium, & earum læsio non æque in sensu incurrat, quemadmodum motus pedum, & cruris fractura in saltando* (a). Sicuti porro *memoria* labefactari potest a causis materialibus, ita potest ab iisdem perfici. Fibræ siquidem cerebri eam temperiem, medicamentorum ope, obtinere queunt, qua opus est, ut illam impressionem ex spirituum animalium motu facile recipiant, & optime servent, a qua *memoria* mentis nostræ, quamdiu juncta manet corpori, necessario dependet. Quæ autem sint ea, quibus *memoria* melior, majorque fit, non est Metaphysici determinare.

ME-

(a) Psychol. *ration.* in not. ad §. 294.



METAPHYSICES
PARS TERTIA.
THEOLOGIA NATURALIS,
sive
DE DEO.



Hilosophiæ, ut egregie more suo observat S. Augustinus, duplex potissimum quæstio est: *una de anima, altera de Deo. Prima efficit, ut nosmetipsos noverimus, altera ut originem nostram. Illa nobis dulcior, ista carior. Illa nos dignos beata vita, beatos hæc facit. Prima est illa discentibus, ista jam doctis* (a). De prima satis, ut arbitror, quinimo fortasse plusquam satis, actum est. Remanet ergo, ut de altera, quantum ad Metaphysicum attinet, agamus. Solet autem hæc Metaphysicæ pars *naturalis Theologia* nomine designari. *Theologia* dicitur quia circa Deum, veluti circa proprium objectum, tota versatur; *naturalis*, quia sola naturali ratione in eo considerando procedit. Duas ergo Dissertationes hæc postrema Metaphysicæ pars complectetur. Altera erit de *existentia Dei, ejusque præcipuis attributis*. Altera de *providentia*, deque *divino* ad omnes creaturarum actiones *concursu*, ipsarumque creaturarum ad agendum *præmotione*.

(a) Lib. II. de Ordine num. 47. alias cap. 18.

DISSERTATIO I.

De existentia Dei, ejusque præcipuis attributis.

DE Deo, quantum ad Metaphysicum spectat, acturi, expendemus primo, an ratione naturali possit illius existentia ostendi; tum divinæ essentiæ attributa præcipua considerabimus.

SECTIO PRIMA.

Deum existere demonstratur.

1. A*Theus* dicitur, qui supremi Numinis existentiam inficiatur ac plane reiicit. Nonnullos fuisse olim, & forte esse etiam modo, qui nullum extare Deum putent, turpiterque contendant, videtur citra dubium. *Pauci inveniuntur tanta impietatis*, inquit S. Augustinus, *ut impleatur in eis, quod scriptum est: dixit stultus in corde suo*: NON EST DEUS. *Insania ista paucorum est* (a). Itaque inter *atheos* numerat Sextus Empiricus (b) Diagoram Melium, Prodicum Ceum, Euhemerum, Critiam, Theodorum, Protagoram Abderitem, & Epicurum, quorum aliqui etiam a Tullio memorantur (c). Epicurus porro, etsi videatur verbis reliquisse Deos, eos tamen, ne quid, ut idem Tullius ait (d), invidiæ subiret, aut criminis, re plane sustulit. Dicebat quippe, *prater universum, nihil esse quod in id ingressum, mutationem operaretur* (e); atque ex atomis *effectum esse cælum atque terram, nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito* (f). Epicurum imitatus nuper est Benedictus Spinosa, natione Judæus, nomine, non fide Christianus, natus Amstelodami anno 1632., denatus Hagæ Comitum anno 1677., ætatis suæ 45. Perinde quippe, ac Epicurus, *quod attinet quidem ad vulgum, reliquit Deum; quod vero spectat ad rerum naturam, nequaquam* (g). Docet enim, unam esse eandemque Dei, mundique substantiam, cujus duæ sunt proprietates, magnitudo, & intelligentia; unde quæcunque in mundo sunt, sive corporeæ, sive intelligentis naturæ, non aliud esse, ait, nisi

(a) Serm. LXIX. *In Matthæum*.
(b) Lib. VIII. *adversus Mathematicos*.
(c) Lib. I. *de natura Deorum* cap. 23.
(d) Lib. III. *de natura Deorum* cap. 1.
(e) Epist. ad Herodotum *apud Laertium*
(f) Tullius lib. I. *de natura Deorum* cap. 24.
(g) Sextus Empiric. lib. I. *ad v. Mathem.*

nisi totidem Divinæ essentiæ modos, eosque omnes, nempe, singula, quæ fiunt in mundo, ex necessitate contingere. *Duo*, inquit Vir doctissimus, *quantum ego intelligo, Spinosiano in systemate præcipue spectanda sunt. Primum idemque præcipuum, unam dumtaxat, Spinosæ sententia, esse in rerum natura substantiam, quam Deum nominat, cujusque proprietates primaria, seu attributa, sunt cogitatio, & extensio, ad quas particulares res, veluti modi, sequuntur; quæ proinde in Deo sunt, ut in immanente causa. Alterum est, Deum ex solis suæ naturæ legibus, hoc est, ex absoluta natura sua agere necessitate* (a). Deum a materia prima minime differre, David quoque de Dinando, ut refert S. Thomas (b), impie olim contenderat. Contra hos itaque omnes videndum modo, an, supremum aliquod extare Numen, possit naturali ratione ostendi.

DEFINITIO.

2. *Dei* nomine intelligitur *ens a se, atque adeo necessario existens, plenum rationis, atque consilii, a quo adspectabilis mundus, quæque in illo sunt, condita fuerint, & facta regantur*. Hæc definitio nominalis est. In ea tamen consentire omnes, arbitror inficiari posse neminem. Ut enim habet Cicero, Deus, qui intelligitur a nobis, non alio modo intelligi potest, *nisi mens soluta quædam & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens, ipsaque prædita motu sempiterno* (c).

PROPOSITIO UNICA.

Evidens est, evidentia physica, Deum existere.

3. Loquor de *evidentia physica*, nempe de ea, quæ licet non sit omnium maxima, sufficit tamen ad extorquendum assensum constantem atque firmum, si non a protervo, deque omnibus dubitante, certe a viro docili, veritatisque amatore ingenuo. Rem quippe cum iis agere, in animo mihi non est hoc loco, qui adeo inficiantur omnia, ut ne ipsa quidem prima cognitionis principia, etsi evidentissima sint, pro veris sine dubitatione admittant.

4. Deum

(a) P. Bonaventura Lucchi Prof. Patav. *Syntag. Spinosismi*.

(b) Lib. I. *contra Gentes* cap. 17.

(c) Lib. I. *qq. Tuscul* cap. 27.

I.

4. Deum itaque existeret, ex perpetuo constantique omnium nationum, populorumque consensu in primis ostenditur. Hujus autem argumenti quantum sit pondus, quanta vis, nemo cordatus nescit. Ut enim præclare animadvertit Guillelmus Parisiensis, *quod natura universaliter, & naturaliter confitetur, necesse est, verum esse. Naturam enim naturaliter, & universaliter mentiri, impossibile est* (a). Omnes porro gentes, nationes omnes, quantumvis feras ac barbaras, in id perpetuo consensisse, ut supremum aliquod Numen admitterent, adeo apertum est, ut negari ab eo tantum possit, qui in historiis plane hospes fuerit. *Nulla gens est*, inquit Tullius, *neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat* (b). *Nec vero id*, eodem Tullio teste, *colloquutio hominem, aut consensus efficit. Non institutis opinio est confirmata, non legibus* (c); sed ipsi divinitati referendum est acceptum: dicendum nempe, Divinæ naturæ eam esse vim, *ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omnino ac penitus possit abscondi* (d). Et sane, *nisi id cognitum, comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis*, inquit laudatus Romanæ eloquentiæ Princeps, *opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum sæculis ætatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus, ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse. Quis enim hippocentaurum fuisse, aut chimæram putat? quæve anus tam excors inveniri potest, quæ illa, quæ quondam credebantur apud inferos portenta, extimescat? Opinionum enim commenta delet dies, naturæ judicia confirmat* (e). Non officit autem, quosdam fuisse olim, & forte esse etiam modo, qui nullum extare Deum putent; quippe, ut egregie observat Grotius, *paucitas ipsa, & quod statim, intellectis argumentis, rejecta universim est eorum opinio, ostendit, non provenire hoc ex usu rectæ rationis, quæ hominibus communis est; sed aut ex studio novitatis, quali tenebatur, qui nivem atram esse contendebat? aut ex mente corrupta, sicut vitiato palato res, non ut sunt, ita sapiunt, præsertim cum historia, & alia scripta do-*

(a) Lib. *de virtute* cap. 2.
(b) Lib. I. *de legibus* cap. 8.
(c) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 13.
(d) S. August. Tract. in Joan. CVI. num. 4.
(e) Lib. II. *de natura Deorum* cap. 2.

doceant, quo quisque fuit probior, eo diligentius ab ipso custoditam de Deo notitiam; atque adeo a pravo ingenio, eorum maxime, quorum interest, ne quis sit Deus, idest humanarum actionum judex, venire hanc a tam recepta antiquitus sententia dissensionem, vel hinc apparet, quod quidquid illi ponunt, sive generum successionem absque ullo primordio, sive atomorum concursum, sive aliud quidvis, id non minores, si non majores, habere difficultates, neque eo, quod receptum est, magis esse credibile, cuivis ad rem mediocriter attendenti satis apparet (a).

II.

5. Ceterum notionem Dei, quam habemus, inter infantiæ præjudicia, ut atheus fortasse contendet, nonnisi falso ac temere posse constitui, patebit ad evidentiam, si palam fiat, opinionem de existentia supremi alicujus Numinis constanti eorum omnium vetustissimorum Philosophorum firmatam esse consensu, qui maximo in pretio ante actis temporibus habiti sunt, & nunc etiam merito optimoque jure habentur. Neque enim sine maxima temeritatis nota contendere aliquis potest, præjudicatam opinionem adeo in illis valuisse, ut prohibuerit prorsus, ne verum in re tanti momenti eorum aliquis viderit. Itaque ab Hermete Trismegisto, qui vetustissimus omnium est, exordium sumo. Porro tam præclare is de Deo scripsit, divinamque naturam adeo eleganter expressit, ut suam ab Moyse doctrinam hausisse videatur. *Gloria omnium Deus*, inquit Vir summus, *divinum, divina natura, principium universorum Deus, mens, natura, actus, necessitas, finis, & renovatio* (b). *Universum mundum verbo, non manibus, fabricatus est Opifex. Ipsum vero sic cogita, illum præsentem semper, agentem omnia, Deum unicum voluntate sua cuncta constituentem. Id enim ejus corpus est, non tangibile, non visibile, non dimensum, non distans, nec alterius cujusquam simile. Nam nec ignis, nec aqua, nec aer, nec & spiritus verum ab eo hæc pendent omnia. Bonum vero ita est, ut sibi soli id competat* (c). Post Hermetem occurrit Thales Milesius, *unus e septem: cui sex reliquos concessisse primas ferunt* (d). Hic inter plura ab eo egregie tradita illud, Laertio teste, solemne habuit, *antiquissimum eorum omnium, quæ sunt*, Deus; *ingenitus enim. Pulcherrimum* Mundus; *a Deo enim factus est* (e) Thaleti mirifice con-

(a) Lib. I. *de veritate Relig. christianæ* cap. 2.
(b) In *Pimandro* cap. 3.
(c) Ibidem cap. 4.
(d) Tullius lib. IV. *qq. Academ.* cap. 27.
(e) In vita *Thaletis*.

consensit Anaxagoras Clazomenius. Dixit enim: *una omnes res erant; mens vero distraxit illas, decenterque composuit*; unde, auctore Plutarcho, *probandus hic vel eo maxime, quod materię Opificem adjunxit* (a). Pythagoræ sectatores, ut refert Clemens Alexandrinus, *Deum quidem unum esse*, dicebant, *non ita tamen, ut quidam opinantur, quasi sit extra mundi administrationem, sed est totus in ipsa, in toto circulo, speculator totius generationis, universorum contemperatio, qui semper est, & suas facultates deducit ad opus, omnium operum in cęlo illustrator, pater omnium, mens, & animatio totius circuli, omnium motus* (b). Plato, referente Laertio, *duo omnino esse*, docuit, *rerum principia, Deum, atque materiam, Illum & mentem, & causam appellat. Esse autem materiam informem, & infinitam, ex ea concretiones fieri. Ea cum aliquando temere, & inordinate moveretur*, ait, *a Deo in locum unum coactam*; ac proinde *totius generationis causam esse Deum, quod boni sit benefacere. Porro cœli generationis auctorem summe bonum esse, atque excellentissimum* (c). Non secus autem de Deo Aristotelem quoque sensisse, idem Laertius auctor est. Scribit enim: *Deum, sicut & Plato, incorporalem definivit* (Aristoteles); *ejusque providentiam ad cęlestia usque pertingere; ipsum vero immobilem esse* (d). Tullius demum (nimis quippe in longum iret oratio, si vellem celebriores omnes Philosophos in medium adducere) sub Cottæ persona ita Stoicum Balbum alloquitur: *non mediocriter moveor auctoritate tua, Balbe, orationeque ea, qua me in perorando cohortabatur, ut meminissem, me & Cottam esse, & pontificem. Quod eo credo valebat, ut opiniones, quas a majoribus accepimus de Diis immortalibus, sacra, cęremonias, religionesque defenderem. Ego vero eas defendam, semper, semperque defendi; nec me ex ea opinione, quam a majoribus accepi de cultu Deorum immortalium, ullius unquam oratio aut docti, aut indocti movebit* (e). Quid autem *Dei* nomine intellexerit Vir summus, hisce verbis descriptum reliquit, ut superiori etiam loco monuimus: *Deus ipse, qui intelligitur a nobis, non alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quędam, & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens, ipsaque prędita motu sempiterno* (f). Videant ergo, qui Tullium, aliosque etiam, quos modo laudavimus, celebriores Philosophos, non aliter de Divina natura sensisse, ajunt, ac nuper de illa impius Spinosa commentus est. Quamvis enim parum caute de Deo loquuti interdum fuerint, non propterea dicendum videtur, nul-

(a) Lib. I. *de placitis Philos.* cap. 3.
(b) Adamon. *ad Gentes* Tom. III. *Bibl. Patrum.*
(c) In vita *Platonis.*
(d) In vita *Aristotelis.*
(e) Lib. III. *de natura Deorum* cap. 2.
(f) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 27.

nullum inter Dei, mundique substantiam ab illis positum ex animo fuisse discrimen. Simplicitati illorum temporum venia danda est: neque contra celeberrimos Viros rem agere adeo inique debemus, ut ex uno tantum, vel altero loco colligatur ipsorum mens; quæque minus castigate quandoque dixerant, in pejorem sensum detorqueantur.

III.

6. Ut autem ad ipsa rationis momenta veniamus, *quis mundum contuens, Deum esse non sentiat* (a)? *Ordinatissima* enim *sua mutabilitate*, inquit S. Augustinus, *& mobilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus, & factum se esse, & nonnisi a Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno, & ineffabiliter atque invisibiliter pulchro, fieri se potuisse proclamat* (b). Certe, quemadmodum præclare olim etiam adverterat Trismegistus, *locum, vel numerum, vel mensuram servare absque auctoris virtute, impossibile est. Ordo fieri a deformitate nequit. Eget deformitas Domino, qui ordinem prabeat* (c). Sed liceat jam, ut loquar cum Tullio, *remota subtilitate disputandi, oculis quodammodo contemplari pulchritudinem rerum earum, quas divina providentia dicimus constitutas. At principio terra universa cernatur, locata in media Mundi sede, solida & globosa, & undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus: quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perrenitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concavas altitudines, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines, immensitatesque camporum. Adde etiam reconditas auri argentique venas, infinitamque vim marmoris. Qua vero, & quam varia genera bestiarum, vel cicurum, vel ferarum? qui volucrum lapsus atque cantus? qui pecudum pastus, qua vita silvestrium? Quid jam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terra constituti, non patiuntur, eam nec immanitate belluarum efferari, nec stirpium asperitate vastari, quorumque operibus agri, insulę, litoraque collucent distincta testis & urbibus: quę si, ut animis, sic oculis videre possemus, nemo, cunctam intuens terram, de divina ratione dubitaret. At vero quanta maris est pulchritudo? quę species universi? quę multitudo & varietas insularum? qua amęnitates orarum & litorum? quot genera, quamque disparia partim submersarum, partium fluitantium, & inna-*

(a) S. Hilarius in *psal.* LII.
(b) Lib. XI. *de civitate Dei* cap. 4.
(c) In *Pimandro* cap. 5.

annatantium belluarum, partim ad saxa nativis testis inhærentium? Ipsum autem mare, sic terram appetens, litoribus eludit, ut una ex duabus naturis conflata videatur. Exinde mari finitimus aer die, & nocte distinguitur; isque tum fusus & extenuatus sublime fertur; tum autem concretus in nubes cogitur, humoremque colligens, terram auget imbribus; tum effluens huc & illuc, ventus efficit. Idem annuas frigorum, & calorum facit varietates; idemque & volatum alitum sustinet, & spiritu ductus alit, & sustentat animantes. Restat ultimus, & a domiciliis nostris altissimus, omnia cingens & coercens cęli complexus: qui idem æther vocatur, extrema ora, & determinatio mundi in quo cum admirabilitate maxima igneæ formę cursus ordinatos definiunt. E quibus Sol, cujus magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam volvitur, isque oriens, & occidens diem noctemque conficit; & modo accedens, tum autem recedens, binas in singulis annis reversiones ab extremo contrarias facit: quarum intervallo tum quasi tristitia quadam contrahit terram; tum vicissim lætificat, ut cum cęlo hilarata videatur? Luna autem, quæ est, ut ostendunt mathematici, major quam dimidia pars terræ, iisdemque spatiis vagatur, quibus Sol; sed tum congrediens cum Sole, tum digrediens, & eam lucem, quam a Sole accepit, mittit in terras, & varias ipsa mutationes lucis habet; atque etiam tum subjecta atque opposita Soli, radios ejus & lumen obscurat; tum ipsa incidens in umbram terræ, cum est e regione Solis, interpositu interjectuque terræ, repente deficit, iisdemque spatiis hæ stellæ, quas vagas dicimus, circum terram feruntur, eodemque modo oriuntur, & occidunt; quarum motus tum incitantur, tum retardantur, sępe etiam insistunt. Quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulchrius. Sequitur stellarum inerrantium maxima multitudo: quarum ita descripta distinctio est, ut ex notarum figurarum similitudine nomina invenerint (a). Hæc igitur qui serio animadverterit, attentoque fuerit animo contemplatus, non dubito, quin eo tandem veniat, ut nobiscum fateatur, eximiam Mundi machinam, quæque in illo sunt corpora, sine ratione atque consilio fieri minime potuisse. *An cum machinatione quadam*, inquit laudatus elegantissimus Cicero, *moveri aliquid videmus, ut sphęram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis; cum autem impetum cęli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias, cum summa salute, & conservatione rerum omnium, dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinaque ratione* (b)? Lubet itaque argumentum ita paucis cum Chry-

(a) Lib. II. *de natura Deorum* cap. 39. (b) Ibidem cap. 38.

Crysippo conficere: *Si est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit, est certe, quod illud efficit, homine melius. Atqui res cœlestes, omnesque ea, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quod potius dixeris, quam Deum. Etenim, si Dii non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? in eo enim solo ratio est, qua nihil potest esse præstantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse, quam se, putet, despicientis arrogantia est. Ergo est aliquid melius. Est igitur profecto Deus* (a).

IV.

7. Humani quoque corporis structura mirabilis adeo, tamque stupenda est, ut supremi Opificis existentia plane ad evidentiam per eam, si considerata diligenter fuerit, optimeque perspecta, contra *atheum* evincatur (b). *Age fili*, inquit Mercurius Trismegistus, Tatium alloquens, *circumspice humani corporis opificium, cujus admonitione perdisce, quis tam pulchra imaginis conditor, quis oculorum pictor, quis nares, aurésque tornavit, quis labia distendit oris, quis nervos tetendit, atque ligavit, quis irrigavit venas, quis ossa congessit solida, quis carnem pellicula tenui circumtexit, quis digitos, articulosque discrevit, quis fundamenta pedum extendit, quis perforavit poros, atque meatus aperuit, quis splenem coegit atque compressit, quis pyramidis impressit cordi figuram, quis jecoris porro texit fibras, quis pulmonum sculpsit fistulas, quis alvo capacem amplitudinem tradidit, quis honoranda corporis membra in propatulo figuravit, quis obscœna in obscuro prorsus addidit, eaque aspectu cernentium voluit secreta jacere. Vide, quot divina artis opera in una materia demonstrantur, singulaque pulchra, recteque dimensa, nec non propriis invicem officiis differentia. Quisnam singula finxit? Qualis mater? Qualis pater? Nonne hæc solus ipse invisibilis Deus cuncta, propria voluntate, molitus est? Et cum statuam, & imaginem absque fabro, & pictore fieri, nullus asserere audeat, miram mundi hujus constitutionem sine Conditore constitisse putabimus* (c)? Ipsa demum humana mens, ejusque vires, atque operationes nonne ostendunt, & quidem prorsus

ad

(a) Apud Tullium lib. II. *de natura Deorum* cap. 6.

(b) Facilius intelligitur, a Diis immortalibus hominibus esse provisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta, omnisque humanæ naturæ figura atque perfectio. *Tullius ibidem* cap. 53.

(c) In *Pimandro* cap. 5. Vide Tullium lib. II. *de natura Deorum* cap. 54, & seq.

ad evidentiam, ſupremum extare Numen, a quo condita tam ſubli-eis ſubſtantia fuerit, in corpore poſita, eique ineffabiliter copulata? *Sed putemus*, inquit Lactantius, *artus, & oſſa, & nervos, & ſanguinem de atomis poſſe concreſcere; quid ſenſus, cogitatio, memoria, mens, ingenium, quibus ſeminibus coagmentari poſſunt* (a). Non eſt autem, cur longo ſermone id perſequar. Satis namque ſuperiori loco hac de re actum eſt. Hoc unum addo cum Tullio, *animum mentemque hominis, rationem, conſilium, prudentiam, qui non divina cura perfecta eſſe perſpicit, his ipſis rebus* mivi videri prorſus carere (b).

V.

8. Ajunt *athei*, evidentem in eo non eſſe repugnantiam, quod Mundus, quæque in illo ſunt corpora, ex fortuita atomorum concurſione concreverint; & ſi id non repugnat, nullam eſſe rationem, cur non hoc potius, quam alio modo, facta reipſa fuiſſe dicantur. Sed, ut loquar cum Lactantio, *quanto melius fuerat tacere; quam in uſus tam miſerabiles, tam inanes habeae linguam! & quidem vereor, ne non minus delirare videatur, qui hac putet refellenda. Reſpondeamus tamen velut aliquid dicenti* (c). In primis ergo, illud ab *atheis* quæro cum Tullio, cur, ſi volunt, naturalia quæque compoſita, ipſumque Mundum ornatiſſimum atque pulcherrimum ex temere concurſantibus atomis non tantum fieri potuiſſe, ſed factum eſſe reipſa, cur, inquam, ipſi quoque non dicant, *ſi innumerabiles unius, & viginti formæ literarum vel aureæ, vel quales libet, aliquo coniiciantur poſſe ex his in terram excuſſis annales Ennii, ut deinceps legi poſſint, effici* (D); Id certe, minus quam unum vile animalculum, ne dicam, quam tota ipſa Mundi machina, operoſum eſt. Si autem velint, annales Ennii hoc modo ex illis formis poſſe fieri (ego tamen neſcio cum eodem Tullio, *an ne in uno quidem verſu poſſit tantum valere fortuna*), ſcire optarem ab *atheis*, cur non Ennii annales, ſed unus Virgilii verſus nunquam hac ratione effectus ſit, quamvis fortuita typographicarum formarum concurſio infinities plane hactenus contingerit. *Secundo*, ut egregie argumentatur ille idem Vir ſummus, *ſi mundum efficere poteſt concurſus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non poteſt? quæ ſunt minus operoſa, & multo quidem faciliora. Certe ita temere de mundo effetiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem cœli ornatum,*

(a) Lib. *de ira Dei* cap. 10.
(b) Lib. II. *de natura Deorum* c. 59.
(c) Lib. *de ira Dei* cap. 10.
(d) Lib. II. *de natura deorum* cap. 37.

tum, qui locus est proximus, suspexisse videantur (a). Adde cum Lactantio, *si fortuitis atomorum concursionibus nascuntur omnia, cur nunquam fortuito accidit, sic coire illa principia, ut efficerent animal ejusmodi, quod naribus potius audiret, odoraret oculis, auribus cerneret? Si enim primordia nullum genus positionis inexpertum relinquant, oportuit, ejusmodi quotidie monstra generari, in quibus membrorum ordo praeposterus, & usus longe diversus existeret* (b). *Tertio:* licet detur athaeis, corpora sensibilia, si divisim spectentur, ex atomorum concursione fortuita coalescere potuisse, nemo tamen erit, ut arbitror, qui ex animo concedere eisdem queat, potuisse fortuito fieri, ut tot non dissimilia solum, verum etiam plane contraria corpora conspirarent in unum, unitatemque servarent perpetuo, ac tuerentur. Constans enim effectus constantem habeat causam necesse est, & eo quidem maxime, cum de contrariorum concordia agitur. Contraria quippe, cum natura sua pugnent inter se, sibique invicem continuo adversentur, tantum abest profecto, ut in unum conspirare fortuito possint, atque pro viribus tendere, quin potius eo niti debere videantur, ut compagem, quamprimum habetur, dissolvant penitus, & plane perimant. Non ergo casu facta tanta partium mundi concordia est, sed ipsam ex uno supremo Moderatore derivent & ipsi athei, velint nolint, oportet. Egregie propterea ita olim scripsit Boetius: *Mundus hic ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam minime convenisset, nisi unus esset, qui tam diversa conjungeret; conjuncta vero naturarum ipsa diversitas, invicem discors, dissociaret atque divelleret, nisi unus esset, qui, quod nexuit, contineret. Non tam vero certus naturae ordo procederet, nec tam dispositos motus, locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret, nisi unus esset, qui has mutationum varietates manens ipse disponeret* (c). Certum postremo est, primigenia illa corpuscula, ex quibus ajunt athei *effectum esse caelum atque terram, nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito* (d), infinitis plane modis, si eorum spectetur natura, combinari posse inter se, adeo nempe ut ad nullam certam combinationem per suam naturam sint determinata. Igitur componi nequeunt uno potius, quam alio modo ex innumeris, qui pro eodem instanti sunt ex aequo possibiles, quin detur ratio, cur hoc potius modo, quam alio, uniantur simul, & in unum concrescant; ac propterea quin existat externa quaedam causa, intelligens ac summe po-

(a) Lib. II. *de natura Deorum* cap. 37.
(b) Lib. *de opificio* Dei cap. 6.
(c) Lib. III. *de consolatione* prosa 12.
(d) Tullius lib. I. *de natura Deorum* cap. 24.

tens, quæ ad hanc, quam modo habent, potius quam ad aliam æque poſſibilem, combinationem atque texturam corpuſcula ipſa determinaverit. Neque valet, quod ajunt, primigenia ſcilicet illa corpuſcula fortuito fuiſſe ad unam combinationem determinata. Non valet, inquam; quia id docere, ac pugnantia ſimul tradere, perinde eſt. Quid enim eſt aliud, illa corpuſcula ad unam certam texturam determinari fortuito, niſi paſſivam ſubjecti indifferentiam tolli ſine determinante, determinatumque haberi effectum, quin detur cauſa; a qua producatur? Ceterum ea ipſa, quam uſurpant, ratione jugulantur athei. Dicunt, *non repugnare, ut mundus factus fuerit ex atomorum concurſione fortuita; & ſi non repugnat, nullam eſſe rationem, cur hoc modo reipſa factus non fuerit*. At contra ipſos ita hoc idem urgetur argumentum: *non repugnat, ut exiſtat cauſa plena rationis, quæ ad eam combinationem, quæ nunc habetur, primigenias atomos determinaverit: ergo cauſa iſtiuſmodi reipſa exiſtit*. Nulla enim eſt ratio, cur, ſi talis cauſa non repugnat, illa reapſe non habeatur; quemadmodum non aliam ob cauſam, atheorum ſtulto judicio, mundus fortuito factus eſt, niſi quia non repugnat, ut hoc modo prodierit, nec ulla ratio eſt, cur, ſtante hac non repugnantia, non ita factus fuiſſe dicatur. *Vides* ergo, *in qua deliramenta inciderint* (athei), *dum nolunt, effectionem curamque rerum Deo dare* (a). *Nemo certe illa, præter unum Leucippum, ſomniavit, a quo Democritus eruditus, hæreditatem ſtultitiæ reliquit Epicuro* (b).

VI.

9. Ipſa poſtremo rerum contingentia inviĉtiſſimum, omnium judicio, argumentum eſt, Deum exiſtere. Hinc etenim fit, ut admittere vel inviti cogamur *ens* aliquod *a ſe*, & neceſſario exiſtens, a quo res, quæ exiſtunt contingenter, ſuum deinde eſſe receperint. Certum eſt itaque, repugnare ad evidentiam, ut omne *ens* ſit ab alio. Cum enim extra collectionem omnium *entium* nullum habeatur *ens*, collectio omnium *entium* eſſet a nihilo, tamquam ab efficiente cauſa, ſi omne *ens* haberet ab alio, ut exiſteret. Igitur aliquod datur *ens* non ab alio. Quod autem eſt non ab alio, & eſt, a ſe ipſo eſt, ut patet. Ergo aliquod neceſſario datur *ens*, quod a ſe exiſtit.

Similiter repugnat, ut tota collectio *entium* ſit contingens. Si enim tota

(a) Lactan ius lib. *de ira Dei* cap. 10.
(b) Idem lib. III. *Divin. Inſtit.* cap. 17.

tota est contingens, tota ita existit, ut non esse ex æquo potuerit; & si ex æquo potuit non esse, nulla est ratio, cur ad existendum potius, quam ad non existendum fuerit determinata; nisi forte placeat dicere, illam collectionem determinasse seipsam ad existendum, antequam existeret: quo certe nihil magis absurdum est, nihilque risu magis dignum. Datur ergo *ens* necessarium, & quidem tale, ut in eo contineatur ratio, cur contingentia *entia* existant.

Dicunt, omne *ens* esse *ab alio*, & *contingenter* existere, non quidem si *collective*, sed tantum si *distributive* sumatur: videlicet nullum *ens* in tota *entium* collectione designari posse, quod *contingens* non sit, & *ab alio* non habeat, ut existat.

Sed contra: enimvero, cum *abaleitas*, & *contingentia* in existendo sint attributa, quæ rei conveniunt intrinsecus, non secus ac rationalitas competit homini, nequeunt singula *entia*, *distributive* sumta, esse *ab alio*, & *contingenter* existere, nisi verum quoque sit, nullum penitus esse *ens*, quod non sit *ab alio*, & *contingenter* non existat; quemadmodum ex eo, quod quilibet homo, sumtus *distributive*, sit animal rationale, optime sequitur, nullum esse hominem, qui *animalitate*, & *rationalitate* non polleat. Ergo, si verum est *distributive*, *collective* quoque verum erit, omne *ens* esse *ab alio*, & *contingenter* existere, si nullum plane sit, quod *a se*, & *necessario* existat. Esse itaque Deum, indubium est. *Si enim ratio mecum facit, si eventa, si populi, si nationes, si Græci, si Barbari, si majores etiam nostri, si denique hoc semper ita putatum est, si summi Philosophi, si Poetæ, si sapientissimi Viri, qui respublicas constituerunt, qui urbes condiderunt: an dum bestiæ loquuntur, expectamus; hominum consentiente auctoritate contenti non sumus* (a)?

SCHOLION.

10. Materiam primam non esse *ens a se*, & *necessario* existens, infra opportunius contra Spinosam, aliosque ostendemus.

COROLLARIUM.

11. Errant ergo Socinus (b), Ostorodus (c), aliique ejusdem furfuris, cum ajunt, *Dei existentiam neutiquam posse ex creaturis demonstrari.*

(a) Tullius lib. I. *de Divinatione* cap. 39.
(b) *Prælect.* cap. 2.
(c) *Instit.* cap. 1.

strari. Id enim tum rationi, ut patet ex hactenus traditis, tum Divinæ Scripturæ aperte contrarium est (*).

Objecta diluuntur.

Opponitur 1. Existentia Dei est articulus fidei; ut enim habet Apostolus, *accedentem ad Deum oportet credere, quia est* (a). Ergo nequit ratione naturali demonstrari.

℟. *disting. ant:* existentia Dei est articulus fidei, adeo nempe ut nonnisi per revelationem cognosci possit, *nego ant*; est articulus fidei, hoc est, admitti debet per fidem, si per rationem non innotescat, *concedo ant*, & *neg. conseq.* Itaque accedenti ad Deum necesse in primis est, ut illius existentiam teneat fide, si per rationem sibi satis perspecta non fuerit. Tunc enim sufficit, ut habeat pium credendi affectum. Porro nullam in eo esse repugnantiam, ut existentia Dei per media tum naturalia, tum supernaturalia innotescere nobis possit, manifestum adeo est, ut demonstratione non indigeat.

Opponitur 2. Non est certum, adspectabilem mundum existere. Ergo Dei quoque existentia incerta est. Hæc enim, ut patet, ex mundi existentia potissimum colligitur.

℟. 1. *neg. ant*, si de physica certitudine id intelligatur. Non unum est enim argumentum, quo corporum existentia contra *idealistas* evincitur.

℟. 2. *neg. conseq.* Demonstratur enim existentia supremi Numinis ex eo etiam, quod existat *ens contingens*, ipsa nimirum humana mens, cujus existentiam inficiari nequit *idealista*, quin velit, neminem ne quidem de propria existentia habere certitudinem posse: quod quam falsum sit, ne dicam amplius, non est, cur longo sermone ostendam.

Opponitur 3. Ex eo, quod existat *ens contingens*, colligi certo nequit, extare *ens necessarium*. Ergo &c. *Prob. ant:* potest existere *ens necessarium*, quin existat *ens contingens*. Ergo vicissim potest existere *ens contingens*, quin existat *ens necessarium*; adeoque &c.

℟. *neg. ant*, ad cujus probationem *permitto ant*, & *nego conseq.* Ratio discriminis est evidens. Cum enim in *ente contingente* non detur ratio sufficiens, cur ipsum existat potius, quam non existat, nequit existere *ens contingens*, quin detur *ens necessarium*, in quo sufficiens illius

(a) Ad *Hebræos* cap. XI. v. 6.

(*) A magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri. *Sap.* cap. XIII. v. 5. Vide *Epist. ad Romanos* cap. I. v. 20.

illius ratio contineatur. Contra vero res se habet, loquendo de *ente necessario*. Hoc enim tale est, ut rationem suæ existentiæ comprehendat.

Dices: existentia *entis contingentis* non est necessario connexa cum *ente necessario*, alioquin *ens contingens* necessario existeret. Ergo potest existere *ens contingens*, quin existat *ens necessarium*.

℞. *disting. añt*: existentia *entis contingentis* non est necessario connexa cum *ente necessario*, sive non est hujusmodi, ut haberi nequeat *ens necessarium*, quin habeatur *contingens*, *concedo añt*; non est necessario connexa cum *ente necessario*, hoc est, potest extare *ens contingens*, quin existat *necessarium*, *nego añt*, & *conseq*. Verum est, existentiam *entis contingentis* non adeo esse connexam cum *ente necessario*, ut extare nequeat *ens necessarium*, quin existat *ens contingens*. Non enim *ens contingens* necessario producitur. At est falsum, existentiam *entis contingentis* non ita connexam esse cum *ente necessario*, ut prorsus repugnet, haberi *ens contingens*, quin *necessarium* habeatur. Cum enim *ens necessarium* rationem contineat, cur existat *contingens*, contradictio est, ut existat *ens contingens*, quin existat *necessarium*, quemadmodum evidens in eo est pugna, ut sit effectus, quin causa existat.

Opponitur 4. Evidenter non repugnat processus in infinitum in causis efficientibus. Ergo evidenter non constat, admittendam esse causam, quæ sit omnium prima.

℞. *omisso añte*, *neg. consep*. Existentia siquidem Dei demonstrata a nobis ex eo non est, quod infinita causarum series repugnet. Sive enim repugnet, sive non repugnet processus in infinitum in causis, semper stat, causam *a se* existentem admitti oportere; cum fieri nequeat, ut tota *entium* collectio ea ratione sit, ut non esse ex æquo potuerit.

SECTIO SECUNDA.

Præcipua Dei attributa expenduntur.

12. NEmo ex me quærat, ut, demonstrata *existentia* supremi Numinis, illius *essentia* explicetur. Quo facilius enim, quod sit, eo difficilius, quid sit DEUS, ostenditur. *Roges me*, inquit Cicero, *quid, aut quale sit Deus? auctore utar Simonide, de quo cum quæsivisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi causa, sibi unum diem postulavit. Cum idem ex eo postridie quæreret, biduum petivit. Cum* sa-

sæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur id faceret: QUIA QUANTO, *inquit*, DIUTIUS CONSIDERO, TANTO MIHI RES VIDETUR OBSCURIOR (a). Theologis ergo accuratiore hujusce rei relicta indagine, præcipua tantum, & quidem quoad licet Philosopho, Dei attributa inquiremus in præsens, & paucis explicabimus.

DEFINITIO I.

13. *Ens infinitum in omni genere perfectionis* dicitur illud, *quod natura sua adeo perfectum est, ut nullum plane sit perfectionis genus, quod sine limite non comprehendat.* Ut enim infinitum est in aliquo genere, quod omni prorsus in illo caret termino, ita in omni genere id est infinitum, quod in nullo genere perfectionis ad certum gradum limitatur.

PROPOSITIO I.

Deus est ens in omni genere infinite perfectum.

14. *Probatur.* Deus neque *a se*, neque *ab alio* potest in aliquo perfectionis genere ad certum gradum limitari. Non *ab alio*; cum nullum sit *ens*, cui Deus subiiciatur. Non *a se*; cum fieri nequeat, ut quod sibi sufficiens ratio existendi est, sibi quoque sufficiens non sit ratio continendi in quovis genere perfectionis omnem illius gradum possibilem. Infinite autem perfectum in omni genere est *ens*, quod in nullo perfectionis genere ad certum gradum limitatur (§. 13.). Ergo &c.

COROLLARIUM I.

15. *Deus est ens, quo majus, sive perfectius, nec esse, nec fingi potest.* Non enim Deus esset *ens* infinite perfectum in omni linea, si aliquod esset *ens*, quod Deum perfectione superaret.

SCHOLION I.

16. Deum esse *ens* omnium perfectissimum, ex communi etiam tam doctorum, quam indoctorum sensu manifestum est. *Omnes certatim pro excellentia Dei dimicant*, inquit S. Augustinus; *nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque*

(a) Lib. I. *de natura Deorum* cap. 22.

que hoc omnes Deum consentiunt esse, quod ceteris rebus omnibus anteponunt (a).

SCHOLION II.

17. Contendit Cartesius, ex notione *entis* perfectissimi, quam esse ait in unoquoque nostrum, Dei existentiam evidenter demonstrari. Non enim fieri posse putat, ut *entis perfectissimi* notionem habeamus, quin ejusdem *existentia* in illa reluceat. At non omnibus hæc illatio videtur legitima, & quidem, quantum mea etiam fert opinio, non plane immerito. Ut enim recte concludat argumentum, demonstrandum est, in notione *entis perfectissimi*, quam ipsi nobis fingimus, nullam omnino contradictionem involvi. Fortasse namque erit, qui dicat, minime constare ad evidentiam, non repugnare *ens*, in quo nulla prorsus, ne quidem levissima, imperfectio habeatur. Neque juvat reponere, *ens* istiusmodi a nobis concipi; quandoquidem *celerrimum* quoque motum ipsi concipere arbitramur; & tamen indubia res est, hujusmodi motum penitus repugnare.

COROLLARIUM II.

18. *Materia prima nequit esse ens a se.* Cum enim ostensum fuerit, Deum esse *ens perfectissimum* in omni linea, quia *a se* existit, nequit materia prima esse *ens a se*, nisi perfectiones omnes sine ulla prorsus limitatione contineat: quod quam longe sit a veritate, nemo, ut arbitror, Philosophorum est, quam lateat. Hinc

COROLLARIUM III.

19. Turpiter erravit David de Dinando, cum dixit, *Deum inter atque materiam primam nullum penitus esse discrimen.* Patet quoque

COROLLARIUM IV.

20. *Dei existentiam optime ex eo ostendi, quod extare* ens *aliquod* a se *demonstretur*. Stat enim hoc ipso, existere *ens perfectissimum* (§. 14.).

COROLLARIUM V.

21. *Maxima quoque insania est, velle cum Spinosa, eandem prorsus,*

(a) Lib. I. *de Doctrina Christiana* c. 7. alias c. 7.

quæ Mundi, *Dei eſſe ſubſtantiam* . Dare quippe tunc cogimur , aut Deum non eſſe *ens perfectiſsimum*, ſecus ac ſuperiori loco demonſtratum eſt ; aut Mundi ſubſtantiam nulli imperfectioni , contra atque ipſa oſtendit experientia, & ratio ſuadet, eſſe obnoxiam. Nec enim eadem eſſe poteſt Dei, Mundique ſubſtantia, niſi par itidem ſit, ut patet, utriuſque conditio.

De unitate Dei .

22. Quemadmodum *athei* nullum Deum admittunt, ita *polythei* ex adverſo, plures extare Deos, turpiter arbitrantur. Unitatem Dei inficiati primo ſunt Gentiles. Tot ſiquidem Deos hi venerati ſunt, ut Heſiodus, Euſebio teſte (a), *triginta Deorum millia* eſſe in terra cenſuerit. Certe liberum adeo erat cuique, ſibi Deum fingere, ut, quemadmodum refert Coelius Rhodiginus, *non provinciis modo , ſed & ſuus eſset cuique civitati Deus* (b). Hoſtes quoque divinæ unitatis fuere Gnoſtici, Appellitæ, Marcionitæ, Valentiniani, & Manichæi. Non enim unum, ſed plura, ut auctor eſt S. Auguſtinus (c), dicebant eſſe rerum principia ; *bonum* ſcilicet unum, *malum* alterum, *viſibile* unum, alterum *inviſibile*. Porro licet omnes *idololatræ* ſint *polythei*, non omnes tamen *polythei* pro *idololatris* habendi ſunt. *Polytheus* eſt, qui plura ſibi fingit *entia*, ex æquo prima, increata, æterna omnia, ac penitus independentia. Eſt vero *idololatra*, qui creatis rebus divinitatem tribuit, eaſque, Numinum inſtar, veneratur atque adorat. Prætermittendum non eſt autem, idolum, ſive ſimulacrum, ſeu imaginem ad idololatriam nequaquam requiri. Coli creatura poteſt , imo & colebatur olim , tamquam Numen, etſi nulla imago, nullumque idolum tunc haberetur. *Idolum* , inquit Tertullianus, *retro non erat , priuſquam hujus monſtri artifices ebulliſsent . Sola templa, & vanæ ædes erant ; tamen idololatria agebatur , non in iſto nomine , ſed in iſto opere* (d); ſique Plutarcho (e) danda eſt fides, CLXX. annis ab Urbe condita, nulla imago neque picta, neque ficta adorabatur Romæ, & tamen erant templa, in quibus idololatria exercebatur. Quo autem tempore cęperit idololatria, & quis fuerit primus, qui idola invenerit atque coluerit , non plane certum eſt. Sunt, qui putant cum Torniello, idololatriam natam ſimul fuiſſe cum Mundo , argumento inde ſumto, quod Enos primus nomen Do-

(a) Lib. V. *de præp. Evangel.* c. 15.
(b) Lib. XXII. *Lect. antiq.* cap. 3.
(c) Lib. *de hæreſibus*.
(d) Lib. *de idol.* cap. 3.
(e) In vita *Numæ*.

Domini invocasse dicatur. Sunt ex adverso, qui nonnisi post diluvium exortam idololatriam ponunt, contenduntque, Cham, unum ex Noe liberis, tam grande crimen in Mundum invexisse. Huic enim, cum *ob impietatem*, inquit Coelius Rhodiginus, *diras extulisset pater imprecationes, nullis etiam numinis imbutus divini cultus rationibus, raptim a parente revulsus, in Arabas secessit; unde mox divinitatis inscitia inibi irroborata primum, in plures data est* (a) Primus porro idoli sive auctor, sive cultor videtur fuisse Belus. Ille quippe is creditur non immerito, qui, ut ait Scriptura, *acerbo luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem; & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra & sacrificia* (b). Ceterum, utut de primo idoli inventore res sit, videtur citra dubium, tanti criminis causam non solam fuisse humani generis perversitatem, morumque corruptionem, sed infirmitatem quoque & indigentiam. *Utilitatum magnitudine*, inquit Tullius, *constituti sunt ii Dii, qui utilitates quasque gignebant ...... Suscepit vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cælum fama ac voluntate tollerent* (c); utque habet Plinius, *fragilis, & laboriosa mortalitas in partes ista digessit infirmitatis suæ memor, ut portionibus quisque coleret, quo maxime indigeret* (d).

PROPOSITIO II.

Unus tantum est Deus.

23. Dei unitas iisdem ferme momentis ostenditur, quibus illius existentia demonstratur. *Deos* siquidem *esse multos*, perinde est, *ac nullos dicere* (e).

I.

24. Prima itaque ratio ex interiori naturæ impulsu desumitur. Omnes, ne iis quidem exceptis, qui plures esse Deos putant, eo, ipsa ut ita dicam impellente natura, feruntur, ut unum, veluti parentem optimum, summumque moderatorem, in periculis invocent, illius implorent auxilium, eique uni, cum res illis succedit ex voto, gratias referant. *Audio vulgus*, inquit Minucius Felix, *cum ad cælum manum tendunt, nihil aliud, quam Deum dicunt; & Deus magnus est, & Deus verus est, & si Deus dederit* (f); atque, teste Lactantio, *cum ju-*

(a) Lib. XXII. *Lect. antiq.* cap. 1.

(b) *Sapientiæ* c. XIV. v. 15. Vide Cornelium a Lapide ad hunc locum.

(c) Lib. II *de natura Deorum* c. 23. & 24.

(d) Lib. II. *Hist. naturalis* cap. 7.

(e) S. Athanasius lib. *contra Gentiles*.

(f) In *Octavio*.

jurant, & cum optant, & cum gratias agunt, non Jovem, aut Deos multos, sed Deum nominant. Adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit (a). Præclarum hoc animæ *naturaliter christianæ* (b) de unitate ſupremi Numinis teſtimonium agnovit etiam Plotinus. Ita namque, & ille ſcripſerat: *Unum quiddam, idemque numero, eſſe ſimul ubique totum, communis judicat mentis humanæ notio, quando omnes, naturali quodam inſtinctu, clamant, in unoquoque noſtrum eſſe Deum, adeout unus in omnibus idemque ſit Deus* (c).

II.

25. *Sed veniamus ad auctores, & eos ipſos ad veri probationem teſtes citemus, quibus contra nos uti ſolent: Poetas dico, ac Philoſophos. Ex his unum Deum probemus; neceſſe eſt, non quod illi habuerint cognitam veritatem, ſed quod veritatis ipſius tanta vis eſt, ut nemo poſſit eſſe tam cæcus, qui non videat ingerentem ſeſe oculis divinam claritatem. Poetæ igitur, quamvis Deos carminibus ornaverint, & eorum res geſtas amplificaverint ſummis laudibus, ſæpiſſime tamen confitentur, ſpiritu, vel mente una contineri regique omnia* (d). Itaque, ut ab eo exordiar, ab Orpheo ſcilicet, qui *& vetuſtiſſimus Poetarum eſt, & æqualis ipſorum Deorum* dicitur (e), ita is cecinit, ut vertit Cl. Petavius (f):

Unicus eſt per ſe exiſtens, qui cuncta creavit,
Inque his ipſe extat; nulli e mortalibus unquam
Lumine conſpectus, mortales conſpicit omnes.

Tum:

Magnum adeo præter regem non alter habetur.

Deinde:

In cunctis Deus unus.

Natura igitur, ratione ducente, ut præclare obſervat Lactantius, *intellexit* (Orpheus), *eſſe præſtantiſſimam potentiam cæli ac terræ conditricem. Non poterat enim dicere, Jovem eſſe principem rerum, qui erat Saturno genitus; neque Saturnum ipſum, qui cælo natus ferebatur. Cælum autem, tamquam Deum primum, conſtituere non audebat, quod videbat eſſe elementum mundi, quod ipſum eguerit auctore. Hæc eum ratio perduxit ad illum Deum primogenitum, cui aſſignat & tribuit principatum* (g). Dignum autem conſideratione apprime eſt,

(a) Lib. II. *Divin. Inſtit.* cap. 1.
(b) Tertullianus in *Apologet.* cap. 17.
(c) *Ænead* VI. lib. V. cap. 1.
(d) Lactantius lib. I. *Divin. Inſtit.* c. 5.
(e) Idem *ibidem*.
(e) Tom. I. *Theol. Dog.* lib. I. cap. 3.
(f) Lib. I. *Divin. Inſtit.* cap. 5.

,quod refert Theophilus Parriarcha Antiochenus (a), Orpheum scilicet *testamento suo, cum obiret mortem*, unum aperte fassum fuisse Deum, licet CCCLXV. antea memoraverit. Orpheo consensit Sophocles. Cecinit enim ex versione ejusdem Petavii:

Unus profecto est: unus est tantum Deus,
Qui cęlum, & amplum condidit terrę globum,
Marisque fluctus, vimque ventorum gravem.

Hesiodus quoque, licet auctore Lactantio (b), nihil dederit hac super re, *non a Deo conditore sumens exordium, sed a chao, quod est rudis inordinataque materia confusa congeries*, attamen, si Clementi Alexandrino (c) fidem dare non dubitamus, unum Deum tacite significavit, cum cecinit:

Ipse suo regno ditioneque continet omnes,
Nec tenet imperium hoc ex immortalibus ullus.

Ita demum Virgilius:

Principio cęlum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunę, titaniaque astra,
Spiritus intus alit; totamque infusa per artus,
Mens agitat molem (d).

Deum autem intelligi a Virgilio, nomine *spiritus*, atque *mentis*, ex eo satis aperte colligitur, ut observat Lactantius (e), quod ille idem dixerat, Deum scilicet

ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum (f).

Enimvero *quid aliud & a nobis Deus*, inquit Minucius Felix, *quam mens & ratio prędicatur* (g)? Sed de Poetis fortasse plusquam satis.

III.

26. *Ad Philosophos veniamus, quorum auctoritas gravior est, certiusque judicium? quia non rebus commentitiis, sed investigandę veritati studuisse creduntur* (h). Ita igitur de hisce scribit Minucius Felix. *Recenseamus*, inquit, *si placet, disciplinam Philosophorum. Deprehendes, eos, etsi sermonibus variis, ipsis tamen rebus in hanc unam coire & conspirare sententiam. Omitto illos rudes, & veteres, qui de suis dictis sapientes esse meruerunt. Sit Thales Milesius omnium primus, qui primus omnium de cęlestibus disputavit. Idem Milesius Thales rerum ini-*

(a) L. b. III. *ad Autolicum*, Tom. II. *Bibl. PP.*
(b) Lib. I. *Divin. Instit.* cap. 5.
(c) Adamon. *ad Gen.* Tom. III. *Bibl. PP.*
(d) *Ęnead.* VI. v. 724.
(e) Lib. I. *Divin. Instit.* cap. 5.
(f) *Georgic.* IV. v. 219.
(g) In *Octavio*.
(h) Lactantius lib. I. *Divin. Instit.* cap. 5.

initium aquam dixit; Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta formaverit. En altior, & sublimior aquà, & spiritùs ratio, quam ut ab homine potuerit inveniri, ab eo tradita. Vides Philosophi principalis nobiscum penitus opinionem consonare. Anaximenes deinceps, & post, Apolloniates Diogenes aera Deum statuunt infinitum & immensum. Horum quoque similis de divinitate consensio est. Anaxagoræ vero descriptio & modus infinitæ mentis Deus dicitur; & Pythagoræ Deus est animus per universam rerum naturam commeans & intentus, ex quo etiam animalium omnium vita capiatur. Xenophanem, notum est, omne infinitum cum mente Deum tradere, & Anthistenem populares Deos multos, sed naturalem unum præcipuum. Speusippum vim naturalem, animalem, qua omnia regantur, Deum nosse. Quid Democritus, quamvis atomorum primus inventor, nonne plerumque naturam, quæ imagines fundat & intelligentiam, Deum loquitur? Straton quoque & ipse naturam. Etiam Epicurus ille, qui Deos aut otiosos fingit, aut nullos, naturam tamen superponit. Aristoteles variat; assignat tamen unam potestatem; nam interim mentem, mundum interim Deum dicit, interim mundo Deum præficit. Heraclides Ponticus quoque Deo divinam mentem, quamvis varie, adscribit, alias mundo, alias menti divinæ tribuens principatum. Theophrastus, & Zenon, & Chrysippus, & Cleantes sunt & ipsi multiformes, sed ad unitatem Dei omnes revolvuntur. Cleantes enim mentem, modo animum, modo æthera, plerumque rationem Deum disseruit. Zenon ejusdem magister naturalem legem atque divinam, & æthera interim, interdumque rationem vult omnium esse principium. Idem interpretando Junonem aera, Jovem cœlum, Neptunum mare, ignem esse Vulcanum, & ceteros similiter vulgi Deos elementa esse monstrando, publicum arguit graviter, & revincit errorem. Eadem fere Chrysippus, vim divinam, rationem, naturam, & mundum interim, & fatalem necessitatem Deum credit, Zenonemque interpretatione Physiologiæ in Hesiodi, Homeri, Orpheique carminibus imitatur. Babylonio etiam Diogeni disciplina est exponendi, & differendi; Jovis partem, & ortum Minervæ, & hoc genus ceterarum rerum vocabula esse, non Deorum. Nam Socraticus Xenophon formam Dei veri negat videri posse, & ideo quæri non oportere. Aristo Chius comprehendi omnino non posse. Uterque majestatem Dei intelligendi desperatione senserunt. Platoni apertior de Deo, & rebus ipsis, & nominibus oratio est, quæ tota esset cœlestis, nisi persuasionis civilis nonnunquam admixtione sordesceret. Platoni itaque in Timæo est ipso suo nomine, mundi parens, artifex animæ, cœlestium terrenorumque fabricator, quem & invenire difficile præ nimia & incredibili potestate; & cum inveneris, in publicum dicere, impossibile

præ-

præfatur. *Eadem fere & ista, quæ nostra, sunt; nam & Deum novimus, & parentem omnium dicimus, & nunquam publice, nisi interrogati, prædicamus* (a). Nemini porro aliquid vel minimum facessere debet negotii, quod Plato non uno in loco plures Deos nominaverit. Ut enim observat Doctissimus Finicus, *unicum perseipsum in Parmenide atque Timæo probat esse Deum; ceteros vero angelicos, cœlestesque Dei ministros, cum Deos nominat, non tam Deos, quam divinos appellat* (b). Adde ex Coelio Rhodigino, præsto esse, *qui nomina quidem* (Deorum) *esse fateantur plura, Deum tamen unum* (c). Certe, cum argumentis urgerentur populi, quod plures Deos admitterent, hæc una, teste Orosio, eorum erat vox, *non se plures Deos sequi, sed sub uno Deo magno plures ministros venerari* (d). Unde auctor libri *de mundo*, qui Aristoteli vulgo inscribitur, *unus*, inquit, *Deus cum sit, pluribus nominibus appellatus est, ab iis utique suis omnibus effectibus denominatus, quorum specimen edere ipse solet* (e): quod etiam aperte docuit Jamblicus, Ægyptiorum de Deo, atque diis referens opinionem (f).

IV.

27. *Exposui opiniones omnium fere Philosophorum, quibus illustris gloria est, Deum unum multis licet designasse nominibus, ut quivis arbitretur, aut nunc Christianos philosophos esse, aut Philosophos fuisse jam tunc christianos* (g). Restat modo, ut palam fiat, naturalem ipsam rationem auctoritati summorum Virorum mirifice consentire. Divina ergo unitas ex mundi gubernatione primo desumitur. Ea porro mundum concordia regi, eaque constantia gubernari, qua nec major aliqua esse possit, neque a nobis fingi, nemo certe, qui mundum ipsum vel levissime perspexerit, ibit inficias. Res autem secus proculdubio contingeret, si non unus, sed plures essent mundi rectores. *Unusquisque* enim *omnia ad suum arbitrium traheret, & cum altero depugnaret* (h). Maxima ergo in regendo ut sit concordia, summa in rectore habeatur unitas necesse est. *Nil autem*, quemadmodum optime observat Abaleardus, *cum aliquo ita, ut secum, idem vel unum esse potest, nec aliis ita concordare, ut sibi; cum a seipsa nihil dissimile sit* (i). Ergo unus est Deus, qui solus *universa, quæcunque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consumat* (k).

Præ-

(a) In *Octavio*.
(b) Præf. in *Cratylum Platonis*. Vide Athenagoram in *Apolog. pro Christianis*, & Eusebium lib. XI. *de præp. Evangel.* c. 9.
(c) Lib. XXII. *Lect. antiq.* cap. 3.
(d) Lib. VI. *Histor.* cap. 1.
(e) Cap. VII.
(f) De *mysteriis*.
(g) Minucius Felix in *Octavio*.
(h) S. Athanasius lib. *contra Gentiles*.
(i) Lib. III. *Introduct. ad Theol.*
(k) Minucius Felix in *Octavio*.

V.

28. Præterea, si plures sunt Dii, vel eorum unus impediri ab altero potest, ne in mundi regimine id, quod sibi magis placet, perficiat, vel non potest. Si potest: ergo nullus illorum est Deus, utpote nullus sua in actione liber, ac plane independens. Si non potest: ergo nullus itidem est, cui Dei nomen jure conveniat. Quomodo enim censeri Deus potest, qui non tantæ est potestatis, ut omne, quod vult, libere peragere queat? Demum vel unus sufficit Deus, ut existat mundus, quæque in illo sunt, ut ordinate regantur, vel pluribus est opus. Si unus sufficit: igitur unus tantum reipsa est, ne aliquid frustra extare dicatur. *Superfluus enim alius vel creator esset, vel rector, si unus ad omnia æque sufficiat, ut plures* (a). Si non satis est unus: ergo nullus eorum est Deus, utpote nullus in omni linea summe perfectus. Neque enim, teste S. Athanasio, *artificem inter homines absolutum dixeris, sed imbecillem, si non solus, sed cum multis unum opus expediat* (b).

VI.

29. At vero *Deum, ut scias, unum esse debere, quære, quid sit Deus, & non aliter invenies* (c). Convenit inter omnes, & jure quidem, ut supra demonstravimus, Deum esse summum ens, omnique in genere perfectissimum. Conditio autem summe magni hæc una certe est, *ut nihil illi adæquetur, idest, ut non sit aliud summum magnum; quia, si fuerit, adæquabitur; & si adæquabitur, non erit jam summum magnum, eversa conditione, &, ut ita dixerim, lege, quæ summo magno nihil sinit adæquari* (d). Ergo, ut Deus sit summum ens, necessario oportet, ipse sit unus. Id porro constabit apertius, si diversæ naturæ plura illa suprema entia dicantur. Stat enim hoc ipso, aliquid esse in uno, quo caret alterum, & ideo hoc alterum neutiquam posse summum nuncupari. *Quæ discrepant bona*, inquit Bohetius, *non esse alterum, quod sit alterum, liquet. Quare neutrum poterit esse perfectum, cum alterutri alterum deest. Sed quod perfectum non sit, id summum non esse, manifestum est. Nullo modo igitur, quæ summa bona sunt, ea possunt esse diversa* (e). Eo demum ve-

(a) Abaleardus lib. III. *introduct. ad Theol.*
(b) Lib. *contra Gentiles*.
(c) Tertullian. lib. I. *contra Marcionem*.
(d) Idem *ibidem*.
(e) Lib. III. *de consol.* prosa 10.

veniant *polythei* necesse est, ut admittant, quod nemo ne somniavit quidem, infinitum scilicet esse Deorum numerum. *Quæcunque ratio*, ut præclare observat Tertullianus, *plura summe magna non patitur admitti, eadem nec duo, ut ipsa plura post unum. Post unum enim numerus. Quæ potuit duo admittere, eadem potuit & plura post. Duo enim multitudo, unitate jam excessa* (a). Et sane, si nulla in eo repugnantia est, ut duo simul dii existant, nihil habetur in Divina essentia, quod prohibeat, quominus uno posito, alter etiam Deus habeatur. Essentia itaque Divina, non secus atque humana, multiplicari in infinitum potest, ac proinde possibiles sunt infiniti Dii. At, si infiniti sunt possibiles, infiniti reipsa existent; cum Deus sit *ens necessarium* (§.2.). Ergo infiniti reipsa sunt dii, si non unus tantum existat. Nullus porro, ut patet, est Deus, si dii sint numero infiniti. Igitur vel nullus Deus est, vel is proculdubio est unus.

De simplicitate Dei.

30. Realem in Deo compositionem ii posuerunt omnes, qui Deum corporeum esse dixerunt, quique propterea *Antropomorphitæ* appellati sunt. Ut enim habet S. Augustinus, vani homines *nimis in hac corporalia progressi atque lapsi, nihil aliud putant esse, quam quod istis quinque corporis nunciis sentiunt* (b). In hinc itaque errorem impegerunt ex Gentilibus rudiores, & imperiti, ex Judæis Sadducæi, ex Philosophis Stoici, & Epicuræi, ex Christianis Manichæi, & Monachi quidam Ægyptii, quorum causa non leves propterea turbæ, IV. Ecclesiæ sæculo, excitatæ in Oriente fuerunt (c). Hujusce erroris accusantur etiam Melito Sardensis, Tertullianus, Audæus, sive Audius, & S. Epiphanius. Verum an recte, viderint accuratiores Theologi.

PROPOSITIO III.

Deus est purus spiritus, realis cujusque compositionis penitus expers.

Probatur. Mundus fieri non potuit, nisi ab *ente* summa intelligentia prædito, ut ex iis, quæ dicta superiori loco a nobis sunt, satis superque patet. Est porro Deus, a quo Mundus factus est. Ergo

(a) Lib. I. *contra Marcionem*.

(b) Lib. *de utilitate credendi* num. 1. alias cap. 1.

(c) Vide Socratem lib. VI. cap. 7., & 10. Sozomenum lib. VIII. cap. 11. num. 14.

go Deus est *ens* rationis plenum. Spiritualis autem est illa substantia, quæ ratione prædita est (P. II. §. 54.). Ergo &c.

Divinam porro mentem nulli corpori esse copulatam, omnique prorsus reali compositione carere, hac una, eaque validissima, ratione ostenditur. Deus est *ens* in omni genere infinite perfectum (§. 14.). Ergo est etiam summe simplex. Etenim, ut egregie observat Angelicus Doctor, *in quolibet genere tanto aliquid est nobilius, quanto simplicius, sicut in genere calidi ignis, qui non habet aliquam permixtionem frigidi. Quod igitur est in fine nobilitatis omnium entium, oportet esse in fine simplicitatis. Hoc autem, quod dicimus in fine nobilitatis omnium entium, dicimus Deum. Nulla igitur compositio ei accidere potest* (a).

Et sane, inficiabitur nemo, omne *ens* compositum, qua compositum, posse corrumpi. *Compositio quippe pugnæ initium est, pugna autem dissidii, dissidium solutionis* (b). Evidens est autem, Deum haud posse corrumpi. Non enim potest fieri, ut esse desinat, quod *a se* habet esse. *Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens, uti ne majus aliquid, & inferius esse credatur, sed ut sit ex omni parte* monus, *& ut ita dicam, totus mens, ac fons* (c).

Opponunt *Antropomorphitæ* plura S. Scripturæ loca, in quibus humana membra tribui Deo videntur. At facilis responsio est, illis omnibus scilicet locis, metaphorico, sive improprio sensu loqui Scripturam, ut humano captui sese accommodet. *Stolidi*, inquit Theodoretus, *non animadverterunt, Dominum Deum per homines hominibus loquentem, audientium infirmitati sermones accommodare. Et quoniam oculis nos videmus, virtutem ejus, per quam videt, Scriptura vocat oculos: & rursum audiendi facultatem vocat aures, quoniam hisce partibus audimus* (d).

Instant: Homo ad Dei imaginem & similitudinem factus est. Ergo Deus, uti homo, ex corpore & spiritu constat.

℞. Hominem factum esse ad imaginem & similitudinem Dei non quoad corpus, sed quoad animam. *Invisibilis Dei imago*, inquit S. Ambrosius, *non in eo est, quod videtur, sed in eo utique, quod non videtur* (e).

De

(a) Lib. I. *contra Gentiles* cap. 18.
(b) S. Gregorius Nazianzen. *Orat.* 34.
(c) Origines lib. I. *Periarcon*, sive *de principiis* cap. 1.
(d) Quest. 20. in *Gen.* Vide S. Augusti. *Epist.* 148., alias 111.
(e) In *Psalmum* 118.

De immutabilitate Dei.

32. Deum mutationi esse obnoxium, turpiter olim arbitrabantur Stoici, si danda Origeni fides est (a). Modo autem hac super re pessime, una cum Vorstio Calvinista, sentiunt Sociniani. Ajunt enim, Deum immutabilem quidem esse quoad substantiam, at non in suis decretis.

PROPOSITIO IV.

Deus est omnino immutabilis.

33. *Probatur*. Deus est *ens* adeo perfectum in omni linea, ut aliud illo perfectius nec esse, nec fingi possit (§. 14.). Ergo hujuscemodi ipse est, ut nulla penitus possit ratione mutari. *Omne enim, quod mutatur, vel in melius, vel in deterius mutatur. Si in deterius, fit pejus. Si in melius, jam antea malum erat* (b).

Arguunt in oppositum. Deus ipse testatur, se poenituisse, *quod hominem fecisset* (c). Maximum autem mutationis argumentum poenitentia est. Ergo &c.

℟. *disting. ma.* poenituit Deum, improprie, metaphorice, & quoad effectum, *concedo ma.*; proprie, intrinsece, & quoad affectum, *nego ma.*, & *permissa min.*, *neg. conseq.*

Itaque poenituit Deum extrinsece, & quodad effectum, quatenus, inquit Estius, *juste irascens, & indignans peccatis hominum, decrevit, majorem partem hominum diluvio e medio tollere, quasi opus suum aversans.* Poenitere autem dicitur, ut humanae offensae magnitudo significaretur. *Neque enim*, ut egregie monet S. Ambrosius, *Deus cogitat, sicut homines, ut aliqua ei nova succedat sententia; neque irascitur, quasi mutabilis: sed ideo hac leguntur, ut exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, qua divinam meruit offensam, tamquam eo usque increverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur aut ira, aut odio, aut passione ulla, provocatus videatur ad iracundiam* (d).

Dicens: Deus de non operante factus est operans. Mundum quippe in tempore condidit. Ergo fuit mutatus.

℟. *disting. ans*: Deus de non operante factus est operans, extrinsece, *concedo ans*; intrinsece, *nego ans*, & *conseq.* Operari in tempore dici-

(a) Lib. III. *contra Celsum*.
(b) Sallustius Philosophus lib. *de Diis, & mundo*.
(c) Geneseos cap. VI. v. 6.
(d) Lib. *de Noe, & arca* cap. IV.

tur Deus, quia est in tempore, quod facere ab æterno decrevit; unde nulla intrinseca in illo contingit mutatio, licet propter extrinsecam denominationem, quæ ipsi a nobis in tempore tribuitur, mutatio in eo, cum res primo existit, contingere videatur. *Nobis fas non est credere*, inquit S. Augustinus, *aliter Deum affici, cum vacat, aliter, cum operatur; quia nec affici dicendus est, tamquam in ejus natura fiat aliquid, quod non ante fuerit. Patitur quippe, qui afficitur, & mutabile est omne, quod aliquid patitur. Non itaque in ejus vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia, sicut nec in ejus opere labor, conatus, industria. Novit quiescens agere, & agens quiescere. Potest ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibere consilium; nec pœnitendo, quia prius cessaverat, cœpit facere, quod non faceret. Sed & si prius cessavit, & posterius operatus est (quod nescio, quemadmodum ab homine possit intelligi) hoc proculdubio, quod dicitur, & prius, & posterius, in rebus prius non existentibus, & posterius existentibus fuit. In illo autem non alteram præcedentem altera subsequens mutavit, aut abstulit voluntatem, sed una eademque sempiterna, & immutabili voluntate res, quas condidit, & ut prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt, & ut posterius essent, quando esse cœperunt; hinc eis, qui talia videre possunt, mirabiliter fortassis ostendens, quam non eis indiguerit, sed eas gratuita bonitate condiderit, cum sine illis ex æternitate initio carente, in non minore beatitate permansit* (a). Patet ergo, post Hermogenem, quem integro libro confutavit Tertullianus, errasse Origenem, dum, ut Divinam immutabilitatem, quam ex creatione Mundi in tempore facta impugnabant Gentiles, posuit (b), Mundum ab æterno fuisse creatum. Velim porro, ut, quod de præteritis atque præsentibus dictum est, de futuris itidem intelligatur. Erit nempe, *quod ex æternitate in ejus immutabili præparatum est voluntate* (c).

De immensitate Dei.

35. Deum non ubique existere, sed certo circumscriptum esse loco, præter eos, qui Deum corporeum esse dicebant, opinabantur olim rudiores Judæi, & Samaritani. *Utrorumque* siquidem *præsumptio*, teste S. Hilario, *aut collis edito, aut extructa domus concavo Deum, intra quem omnia, & extra quem nihil ejus capax est, continebat* (d). Hoc idem delirium fuit etiam Valentinianorum, Gnosticorum, & Ma-

(a) Lib. XII. *de civitate Dei* cap. 17.

(b) Lib. I. *de principiis* cap. 2.

(c) S. Augustinus lib. XXII. *de civitate Dei* cap. 2.

(d) Lib. II. *de Trinitate*.

Manichæorum. Etsi enim Deum *infinita mole diffusum* arbitrarentur Manichæi, *non undique* tamen, si S. Augustino credimus, *sed tribus quadris infinitum atque condensum, ex una fissum, patentem* esse finxerunt (a). Pessime demum de Divina *immensitate* nuper sentiunt Sociniani. Concedunt quippe, Deum ubique esse per *operationem*. At negant, per *substantiam*.

DEFINITIO II.

35. *Immensus* dicitur Deus, quatenus ubique est per *scientiam*, *potentiam*, atque *essentiam*. Dicitur ubique per *scientiam*, quatenus nihil esse alicubi potest, nihilque sive in mundo, sive extra mundum contingere, quod Deum lateat. Per *potentiam*, quatenus ubique potest operari. Per *essentiam*, quatenus nullus est locus, in quo ipsa Dei substantia non existat.

PROPOSITIO V.

Deus ubique est per scientiam, potentiam, & essentiam.

36. *Probatur*. Esse ubique per *scientiam*, *potentiam*, atque *essentiam* maxima perfectio est, ut cuique est evidens. Igitur convenit *enti*, quod in omni linea est infinite perfectum. Deus autem est *ens* hujusce modi (§. 14.). Ergo Deus ubique est non per *scientiam* dumtaxat, atque *potentiam*, verum & per *essentiam*.

Confirmatur. Si enim uni tantum loco Deus esset addictus, id vel *libere* ab eo fieret, vel *necessario*. Neutro autem modo id potest contingere. Non quidem primo; quia tunc transire Deus posset ab uno in alterum locum: quod certe nequit cum ipsius Dei *immutabilitate* componi. Non secundo; cum nulla plane sit ratio, cur uni potius loco, quam alteri præsens necessario existat. Adde ad nullum certum locum posse *Divinam essentiam*, sive *scientiam*, sive *potentiam* necessario determinari, quin ab illo definiatur; ac proinde quin finita sit & limitata. *Sic itaque est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas Mundi, sed substantia creatrix Mundi, sine labore regens, & sine onere continens Mundum. Non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita ut in dimidio Mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus, sed in solo cælo totus, & in sola terra totus, & in cælo, & in terra totus, & nullo contentus*

 loco,

(a) Lib *contra epistolam Fundamenti* num. 25., alias cap. 23.

loco, sed in seipso ubique totus (a). Mirandum porro est, extitisse, qui Divinæ substantiæ *immensitatem* inficiarentur; cum, Plotino teste, constet *apud omnes homines, qui de diis aliquid cogitant, deos ubique præsentes esse* (b), sive, ut dicebat Thales, *diis plena esse omnia* (c).

Aliquis fortasse opponet, constare ex S. Scriptura, Deum ita esse in cœlo, ut in illo, veluti in propria sede, sive loco existat. Absurdum quoque videri, Deoque prorsus indignum, ipsum ita esse in omni loco per suam *substantiam*, ut ne sordida quidem excludat.

Verum facilis responsio est. Deus siquidem in cœlo habere sedem dicitur, quia speciali modo, per *gloriam* scilicet, ibi existit. *Deus in cælis habitare dicitur*, inquit Theodoretus, *non veluti loco circumscriptus, sed veluti lætans cælestibus virtutibus, quæ cælos incolunt* (d). Est itaque Deus ubique per *essentiam*, *præsentiam*, & *potentiam*, sed speciali modo, nimirum per *gloriam*, in cœlo; per *gratiam*, in justis; per *vindicem justitiam*, in malis. Unde S. Augustinus, fatendum esse, ait, *ubique esse Deum per Divinitatis præsentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam* (e).

Absurdum itidem non est, neque Deo indignum, ut sordidis etiam rebus intime præsens existat. Non enim Divinitas aliquam hinc labem contrahit; quemadmodum ex eo non inficitur rationalis anima, quod leproso corpori conjungatur. Hinc S. Macarius sciscitantibus, an etiam in Satana existat Deus, ita respondit: *Quandoquidem Sol, etsi creatura sit, lutulenta loca sua luce perfundit, neque quidquam læditur; multo magis Divinum Numen ita cum Satana versari, ut neque commaculetur, neque labis aliquid inde concipiat* (f).

De æternitate Dei.

DEFINITIO III.

37. Dicitur *æternum*, proprie loquendo, *quod ita existit, ut non solum initio existendi careat, atque fine, verum etiam ut sit ab omni successione, sive mutabilitate prorsus immune*. Ut enim præclare observat Richardus Victorinus, *aliud videtur sonare æternum, aliud autem sempiternum. Sempiternum namque esse videtur, quod caret initio, & fine,*

(a) S. Augustinus *epist.* CLXXXVII. num. 14., alias LVII.
(b) Ennead. VI. lib. V. cap. 4.
(c) Apud Aristotelem lib. I. *de Anima* cap. 5.
(d) In *Psalmum* 122.
(e) *Epist.* CLXXXVII. num. 16., alias LVII.
(f) *Homil.* 7.

ne. Æternum, quod caret utroque, & omni mutabilitate; & quamvis forsitan neutrum sine altero invenitur, recte tamen inter nominum significationem distinguitur. Quid itaque aliud est æternitas, quam diuturnitas sine initio, & fine, & carens omni mutabilitate (a)? Recte propterea Boetius, quem omnes Theologi hac in parte sequuntur, æternitatem definit: *Interminabilis vitę tota simul, & perfecta possessio* (b).

PROPOSITIO VI.

Deus est æternus.

38. *Probatur.* Deus ita est primum *ens*, ut nullum sit, nec esse possit, a quo dependeat, utpote in omni linea infinite perfectum (§. 14.). Ergo ita existit, ut neque habuerit existendi initium, neque habiturus sit finem. Repugnat quippe, ut cœperit esse, quod non habet, a quo illud accipiat; utque penitus extinguatur & pereat, quod nulli subjicitur. Initio itaque caret Deus, atque fine. Est autem ab omni etiam mutabilitate immunis (§. 33.). Ergo est æternus.

Ceterum, *Deum æternum esse, cunctorum ratione degentium*, inquit Boetius, *commune judicium est* (c). Nullus est enim, doctissimo Petavio teste, *qui non æternum, qualecunque tandem finxerit sibi, Numen agnoscat* (d).

De omnipotentia Dei.

39. De Divina *omnipotentia* senserunt haud recte primo Manichæi; quippe qui arbitrabantur, materiam non factam fuisse ex nihilo, sed Deo esse coæternam; atque, ut ex Theophilo Alexandrino dicebat Origenes, tantum posse Deum, *quantum ei ad operandum materia ministrarit* (e). Secundo Ariani, contendentes, Deum Patrem ita indigere Filio ad operandum, ut eo, tamquam instrumento, ad res creandas usus fuerit. Tertio Petrus Abaleardus, cum docuit, *id solum posse facere Deum, quod quandoque facit* (f). Postremo Vicleffus, Calvinus, iique omnes, quorum fuit opinio, nihil amplius posse a Deo fieri, quam quod factum ab illo est, futurumque esse jam dixit.

(a) Lib. II. *de Trinitate* cap. 4.
(b) Lib. V. *de consol.* prof. 6.
(c) Idem *Ibidem*.
(d) Tom. I. *Theol. Dogm.* lib. III. cap. 3.
(e) Epist. *Paschal.* I. apud Cl. Petavium Tom. I. *Theol. Dogm.* lib. V. cap. 5.
(f) Lib. III. *Introduct.* cap. 5.

DEFINITIO III.

40. Vocatur *omnipotens*, *qui facere potest id omne*, *quod sufficiens sibi existendi ratio non est*, *neque tamen aliquam in sua formali ratione contradictionem comprehendit*. Etenim, ut habet Boetius, *qui est omnium potens*, *nihil est*, *quod ille non possit* (a): nihil, inquam, hoc est, nulla rerum earum, quæ nequeunt esse *a se*, nec, ipsis positis, aliqua sequitur contradictio. Quæ namque pugnantia continent, nulla posse potentia fieri, manifestum est.

PROPOSITIO VII.

Deus est omnipotens.

41. *Probatur*. Maxima perfectio est, iis omnibus tribuere existentiam posse, quæ in sua *formali ratione* pugnantia quidem non continent, at non sunt sufficiens sibi ratio, ut existant. Ergo, cum Deus sit *ens* in omni linea infinite perfectum (§. 14.), hæc itidem potentia tribuenda Deo est; atque ideo Deus est *omnipotens*.

Confirmatur. Potuit Deus facere, quidquid præter ipsum Deum modo existit. Nihil enim horum est *a se*, utpote nullum, ut patet, in omni genere infinite perfectum. Ergo facere itidem potest, quidquid modo non est, nullamque in sua *formali ratione* contradictionem involvit. Quæ etenim non existunt modo, & non repugnant, ejusdem penitus sunt conditionis, cujus, antequam fierent, ea fuerunt omnia, quæ reapse existunt.

Ceterum, quemadmodum, ipsa veluti impellente natura, fateri cogimur, Deum esse *æternum*, ita, si ad ejusdem naturæ impulsum velimus attendere, dare debemus vel inviti, Deum omnia posse. *Non dico, da mihi Christianum*, inquit S. Augustinus, *da mihi Judæum; sed da mihi paganum*, *idolorum cultorem*, *dæmonum servum*, *qui non dicat*, *Deum esse omnipotentem*. *Negare Christum potest; negare omnipotentem Deum non potest* (b).

De scientia Dei.

42. Pauca de *scientia* Dei hic subiicimus. Pauca, inquam. Res enim sublimioris est ordinis, quam ut de ea a Philosopho disseri possit.

PRO-

(a) Lib. III. *de consol.* prosa 12. (b) *Serm.* CXXXIX. *de tempore* cap. 2.

PROPOSITIO VIII.

Nihil omnino est, sive possibile, sive futurum, quod Deus perfectissime non cognoscat.

43. *Probatur*, & quidem primo quoad *possibilia*. Nihil est possibile, quod non subsit Divinæ potentiæ. Ergo nihil quoque possibile est, quod Divinam scientiam fugiat. Ut enim *potentia* Dei non esset infinita, si aliquod possibilium facere ipsa nequiret; ita infinita non esset Divina *scientia*, si illorum aliquod ipsam lateret.

Confirmatur. Novit Deus, quæ facta ab eo sunt. Neminem quippe, ut loquar cum S. Augustino, tam excordem esse puto, *ut Deum, quæ non noverat, fecisse arbitretur* (a). Ergo omnia, quæ fieri ab eo possunt, itidem noscit. Periti namque artificis est, non minus optime scire, quæ facit, quam non ignorare, quæ potest.

Probatur modo quoad *futura*. Nihil futurum est, quod habeat independenter a Deo, ut sit futurum. Futurum est enim, quod Deus ipse vel facturus est, vel permissurus. Nihil est autem magis absurdum, quam velle, Deum latere, quod ipse jam facturus est, vel permissurus. Ergo nihil prorsus futurum est, quod Deus perfectissime non cognoscat.

Deum porro novisse *futura* ab æterno, ex eo efficitur perspicuum, quod, si secus, realis mutatio in Deo contingeret. Remanet igitur, *Divinitatis id esse proprium, ut nihil ignoret* (b).

SCHOLION.

44. Cognitio *possibilium* dicitur a Theologis *scientia simplicis intelligentiæ*; ea vero, quæ *præsentia* respicit, atque *futura*, *scientia visionis* ab iisdem nuncupatur. Scientia *futurorum* solet etiam *præscientia* vocari, propterea nimirum quia rerum ipsarum existentiam præcedat. Divinam porro *præscientiam* humanæ libertati nequaquam officere, cum superiori loco satis, ut arbitror, ostensum fuerit, non est, cur in hoc iterum solvendo nodo immoremur.

(a) Lib. V. *super Genesim ad literam.* num. 33., alias cap. 15.
(b) S. Cirillus lib. XXXII. *Thesauri.*

DISSERTATIO II.

De Deo providente, concurrente, & prædeterminante.

SUscepto muneri minime satis me fecisse arbitrarer, nisi, ostensa unius supremi Numinis existentia, cunctæ ab eo dirigi, ac nihil prorsus, eo nolente, peragi ab illis posse, demonstrarem. Quemadmodum enim nullus Deus illi est, qui non unam, sed plures esse primas causas, putat; ita omnem is evertit, tollitque divinitatem, qui aut imbellem, aut plane otiosum Deum sibi stulte fingit, turpiterque constituit. Tria igitur ad trutinam in hac dissertatione revocabimus. Primum erit: *an cuncta, quæ facta a Deo sunt, ejusdem providentia subiiciantur*. Secundum: *an ad omnes creaturarum actiones Deus immediate concurrat*. Postremum: *an easdem ipsas ad operandum ille præmoveat*.

SECTIO PRIMA.

An cunctæ res creatæ providentiæ subiiciantur.

45. NUlla mundum providentia regi, nullaque administrari potentia, non defuere, qui dixerint. *Quid enim*, ajebat Job, perditorum quorundam hominum personam referens, *novit Deus, & quasi per caliginem judicat? Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat* (a). Democritus certe, Heraclites, & Epicurus, auctore Nemesio, *neque universis, neque singulis a Deo provideri*, opinabantur. *Atque hi quidem*, inquit ille, *convenienter suis principiis. Nam, qui putant, hoc universum casu, & temere esse constitutum, merito dicunt, omnia vacare providentia. Quorum enim nemo creator est, eorum quis est procurator? Est enim evidens, temere debere ferri, quæ a principio temere procreata sunt* (b). Divinam providentiam ii quoque sustulerunt, quorum erat opinio, *stellis non exteriora solum, verum etiam voluntates nostras cogi* (c), sive *omnia fato fieri* (d), dignumque esse risu, qui putat, *agere curam rerum humanarum illud, quidquid est, summum* (e). Hi sunt igi-

(a) Cap. XXII. v. 13. & *seq*.
(b) Lib. de *natura hominis* cap. 44. Tom. VIII. *Bibliot. PP*.
(c) Eusebius lib. VI. *de præp. Evan*. c. 9.
(d) Chrysippus apud Eusebium lib. VI. de *præp. Evangel*. cap. 7.
(e) Plinius lib. II. *Hist. naturalis* cap. 7.

igitur, *qui tot sæculis, & ingeniis assertam atque defensam providentiam calumniati sunt. Quid ergo, utrumne istos minutos & inertes Philosophos ratione, an vero auctoritate præstantium virorum refellemus? an potius utroque. Sed properandum est, ne longius a materia divagetur oratio* (a).

SCHOLION.

46. *Deistæ* dicuntur modo, qui inique asserant, humanas res nequaquam a Deo curari.

DEFINITIO.

47. *Providentia*, ut eam egregie definit Boetius, *est ipsa illa divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit* (b); sive, ut ait Nemesius, *est Dei voluntas, per quam omnia, quæ sunt, apte gubernantur* (c). Duo ergo necessario complectitur *providentia*, rerum scilicet ordinem in divina mente, atque ipsius ordinis per certa media exequutionem.

PROPOSITIO UNICA.

Mundus, quæque in eo sunt omnia, quantumvis minuta atque vilia, divinæ providentiæ subiiciuntur.

48. Non unum est argumentorum genus, quibus ostenditur, cuncta regi a supremo Numine, ab eoque singula, etsi vilissima ac minuta, sapientissime administrari, suosque in fines dirigi.

I.

49. Prima ratio ex eo petitur, quod nullus sit, non imperitus solum, verum & impius, qui, si ad interioris sui animi motus attendere velit, negare queat, unum esse Deum, *qui & condiderit omnia, & eadem, qua condidit, virtute moderetur* (d). *Res singulas regi providentia, magno argumento est*, inquit Nemesius, *quod naturaliter ejus notitia hominibus sit insita. Nam necessitate aliqua compulsi, statim ad Numen divinum, & preces confugimus, velut natura nos sine doctrina*

(a) Lactant us lib. de *ira Dei* cap. 9.
(b) Lib. IV. de *Consol.* prosa 6.
(c) Lib. de *natura hominis* cap. 43.
(d) Lactantius lib. I. *Divin. Instit.* cap. 3.

na ad Dei opem perducente. Non autem sine doctore nos natura ad id duceret, quod eadem natura non fert, ut fiat. Nam in repentinis perturbationibus & timoribus, sine electione, neque deliberato, & tanquam aliquid consideremus, Dei nomen invocamus. Quidquid autem naturaliter quamque rem insequitur, in eo tanta vis est ad demonstrandum, ut contra dici nihil possit (a).

I I.

50. Naturæ testimonio de *providentia Dei* auctoritas summorum Philosophorum mirifice consentit. *Pythagoras Philosophus, quam quasi magistrum suum Philosophia ipsa suscepit, de natura ac beneficiis Dei differens, sic locutus est:* Animus per omnes mundi partes commeans atque diffusus, ex quo omnia, quæ nascuntur animalia, vitam capiunt. *Quomodo igitur mundum negligere Deus dicitur, quem hoc ipso scilicet satis diligit, quod ipsum se per totum mundi corpus intendit? Plato, & omnes Platonicorum schola* moderatorum rerum omnium *confitentur* Deum. *Stoici* eum, gubernatoris vice, intra id, quod regit, semper manere, *testantur. Quid potuerunt de affectu ac diligentia Dei rectius religiosiusque sentire, quam ut eum gubernatori similem esse dicerent? hoc utique intelligentes, quod sicut navigans gubernator nunquam manum suam a gubernaculo, sic nunquam penitus curam suam Deus tollit a mundo; at sicut ille & auras captans, & saxa vitans, & astra suspiciens, totus sit simul, tam corporis, quam cordis officio, operi suo deditus, ita scilicet Deum nostrum ab universitate omnium rerum nec munus dignantissima visionis avertere, nec regimen providentiæ suæ tollere, nec indulgentiam benignissimæ pietatis auferre. Unde etiam illud mysticæ auctoritatis exemplum, quo se non minus Philosophum Maro probari voluit, quam Poetam, dicens:* Deum namque ire per omnes, terrasque tractusque maris, cœlumque profundum. *Tullius quoque*, nec vero Deus ipse, *inquit*, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, quam mens soluta quædam, & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, & movens. *Alibi quoque:* nihil enim, *inquit*, præstantius Deo. Ab eo igitur mundum regi necesse est. Nulli igitur naturæ obediens, aut subjectus Deus, omnem ergo regit ipse naturam. *Cum ergo omnes, etiam religionis expertes, veluti quadam necessitate compulsi, & sentiri omnia a Deo, & moveri, & regi, dixerint, quomodo nunc eum incuriosum quidam, ac negligentem putant, qui & sentiat omnia per subtilitatem, & moveat per fortitudi-*

(a) Lib. de *natura hominis* caput 44.

tudinem, & regat per potestatem, & custodiat per benignitatem? Dixi, quid de majestate ac moderamine summi Dei Principes & Philosophia simul & eloquentia judicarint. Ideo autem nobilissimos utriusque excellentissima artis magistros protuli, quo facilius vel omnes alios idem sensisse, vel certe sine auctoritate aliqua dissensisse monstrarem (a).

III.

51. Dei sublata providentia, omnis religio rejicienda est, omnisque justitia, pietasque dubio procul est deridenda. Rejicienda est omnis religio, omnisque pietas. *Hac enim omnia*, ut præclare advertit Tullius, *pure ac caste tribuenda Deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, & si est aliquid a diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem dii neque possunt nos juvare, neque volunt, neque omnino curant, nec quid agamus, animadvertunt, nec est, quod ab his ad hominum vitam permanare possit, quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus* (b)? Et sane, *quis honor*, inquit Lactantius, *deberi potest nihil curanti & ingrato? An aliqua ratione obstricti esse possumus ei, qui nihil habeat commune nobiscum? Deus*, inquit Cicero, *si talis est, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat. Quid enim dicam, propitius sit? Esse enim propitius potest nemini. Quid contemptius dici potuit in Deum? Valeat, inquit, idest abeat, & recedat; quandoquidem prodesse nulli potest* (c). Itaque, *si Dei providentia non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum* (d). Nulla quoque, hac admissa sententia, justitia esse potest, cui tota innititur humana societas. *Haud enim scio*, ait Tullius, *an, pietate adversus Deos sublata, fides etiam, & societas humani generis, & una excellentissima virtus, justitia, tollatur* (e). Certe, ut auctor est Lactantius, *quid erit homine truculentius, quid immitius, si demto metu superiore, vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere* (f)? *Multum refrænat homines conscientia, si credamus nos in conspectu Dei vivere, si non tantum, quæ gerimus, videri desuper, sed etiam, quæ cogitamus, aut loquimur, audiri a* Deo, *putemus* (g). *Timor igitur* Dei *solus est, qui custodit hominum inter se societatem, per quam vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur* (h); & ideo, nisi velimus, ad huma-

nam

(a) Salvianus lib. I. de *gubernatione Dei* Tom. VIII. *Biblioth. Patrum*.
(b) Lib. I. de *natura Deorum* cap. 2.
(c) Lib. de *ira Dei* cap. 8.
(d) S. Augustinus de *utilitate credendi* num. 34, alias cap. 16.
(e) Lib. I. de *natura Deorum* cap. 12.
(f) Lib. de *ira Dei* cap. 12.
(g) Idem *ibidem* cap. 8.
(h) Idem *ibidem* cap. 12.

nam societatem servandam, tutandamque justitiam universali opus esse errore, atque totum ipsum humanum genus, cum Deum, veluti parentem optimum, & curatorem summum veneratur colitque, turpiter falli, divinam providentiam admittamus oportet, cujus potestate omnia, quæ conspicimus, condita primo fuerint, sapienterque regantur.

I V.

51. **Verum**, sicuti ipsa rerum pulchritudo, ab Opifice sapientissimo conditum fuisse Mundum, demonstrat, ita rerum earum perpetuitas, constans ordo, stabilisque in suis agendis motibus harmonia atque consensus plane ad evidentiam evincunt, divina mundum ipsum providentia regi, consilioque supremi Numinis perpetuo administrari. *Omnium permanentia, & maxime eorum*, inquit Nemesius, *quæ oriuntur & occidunt, situs item, & ordo rerum, qui semper idem conservatur, & astrorum cursus, qui nihil unquam variatur, & annui circuitus, & anni temporum restitutio, noctium, & dierum semel in anno æqualitas, utrisque vicissim, neque majore, neque minore parte, augescentibus, & decrescentibus, quomodo, si nemo provideat, similiter administrari, & permanere potest* (a)? Profecto, *si breve hoc, & modicum corpus*, ait S. Joannes Chrysostomus, *& medicaminibus, & medicinali scientia utens, & anima interius ipsum disponente, & multa disciplina, & innumerabilibus aliis auxiliis, non semper in bono statu permanere valet, sed perit & corrumpitur, sæpius turbatione in ipso facta; quomodo tantus mundus, tantas habens corporum moles, & ex iisdem compositus elementis, nisi multum providentia cepisset, tanto tempore imperturbatus manere potuisset? Nec enim cum ratione fieri posset, ut providentiam quidem habens interius, & exterius nostrum corpus, vix ad sui conservationem sufficiat; tantus vero mundus nulla vigens providentia, per tot annos nil tale patiatur, quale corpus nostrum. Quomodo enim nullum horum elementorum, quaso, proprios transcendit terminos, & reliqua omnia consumsit? Quis vero ipsa ab initio conjunxit? Quis vero usque in tantum tempus continet? Si enim simplex & uniforme fuisset mundi corpus, non tam difficile fuisset, quod dicitur; quando autem tanta elementorum pugna fuit ab initio, quis tam demens, ut putet, sine cogente hæc per se convenisse, & conjuncta mansisse? Si enim nos non natura, sed voluntate inimice inter nos habentes, sponte non convenimus, donec manemus inimici, & ingrate alter ad alterum habemus,*

(a) Lib. de *natura hominis* cap. 42.

mus; sed alterius, qui nos conjungat, indigemus, & postquam congregaverit, constringat, & in pace manere persuadeat, neque rursum resilire? quomodo elementa neque rationis, neque ullius sensus partem habentia, & sibi per naturam inimica & adversantia, convenissent, & congressa fuissent, & alterum cum altero potuissent permanere, nisi potentia quadam esset ineffabilis, qua congregaret, & congregata semper hoc vinculo cohiberet? Non cernis, quomodo corpus hoc, anima avolante, defluit, & tabescit, & perditur, & in suum quodque elementorum revertitur terminum? Hoc ipsum *profecto & in ipso fieret mundo, si ipsum reliquisset propria destitutum providentia. Si enim navigium sine gubernante non persisteret, sed facile submergeretur, quomodo subsisteret mundus tantum temporis, gubernante nemine? Et ne quid plus dicam: navigium, mundum esse puta; temonem, suppositam terram; velum, cælum; vectores, homines; mare, subjectam abyssum; quomodo igitur tanto naufragium tempore non esset factum? Dimitte enim navigium per diem unum absque gubernatore, & nautis, & statim submersum videbis. Sed mundus tale nihil passus est, quinque millia & plus jam habens annorum. Et quid dico navigium? Casulam aliquis parvam in vineis compegit, & fructu ablato desertam reliquit, & neque duos sæpe dies permanet, sed solvitur, & brevi cadit. Igitur tugurium quidem absque providente non staret; creatura vero tanta, tam pulchra, tam mirabilis, & leges noctis, & diei, alternarumque horarum chorea, & naturæ cursus varius, & omnimodus in terra, & in mari, & aere, & cælo, & plantis, & animalibus volantibus, natatilibus, gradientibus, serpentibus, & in hominum genere omnibus illis validiore, tantum temporis, absque aliqua providentia, stabilis permansisset* (a)? Hæc itaque attento qui perpenderit animo, non dubito, quin fateatur cum Lactantio, neminem esse posse tam rudem, tamque feris moribus, *qui oculos suos in cælum tollens, tametsi nesciat, cujus Dei providentia regatur hoc omne, quod cernitur, non aliquam tamen esse intelligat* (b).

V.

52. Certum natura ipsa Dei demonstrat, eum rebus cunctis indesinenter prospicere. *Natura bonus est, & sapiens*, inquit S. Joannes Damascenus. *Igitur, quatenus est bonus, providet. Qui enim non providet, non est bonus. Nam & homines, & bestiæ propriorum fœtuum providentiam habent, naturali quodam instinctu; & qui non providet, vitu-*

(a) Homil. X. *ad populum Antiochenum*.
(b) Lib. I. *Divin. Instit.* cap. 3.

superari solet. Quatenus autem sapiens est, optime rebus prospicit (a). Profecto, si S. Ambrosium audiamus, *quis operator negligat operis sui curam? Quis deserat, & destituat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse? cum aliquod non fecisse, nulla injuria fit; non curare, quod feceris, summa inclementia* (b). Hinc Lactantius contra Epicurum rem agens, *si* inquit, *est Deus, utique providens est, ut Deus; nec aliter ei potest divinitas attribui, nisi & præterita teneat; & præsentia sciat, & futura prospiciat. Dum igitur providentiam sustulit* (Epicurus), *etiam Deum negavit esse. Cum autem Deum esse professus est, & providentiam simul esse concessit. Alterum enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligit potest* (c)

V.

54. Non ea porro dumtaxat, quæ sublimioris sunt ordinis, præstantiorisque naturæ, Divinæ providentiæ subiici, sed etiam infima quæque, atque vilissima, hac una ratione ostenditur. Si namque Deus, neglectis, quæ exigui nobis momenti videntur, præstantissima tantummodo administraret, suaque providentia regeret, vel ob eam causam id ab illo fieret, quia minimis providere non potest, vel quia non vult, licet possit. Utrumque autem absurdissimum est. Primum quidem; quia, si nequit minima regere, non est agens summe perfectum; & ideo non est Deus. Alterum vero; quia, si potest, & non vult, vel invidus est, vel apprime negligens; ac proinde non summe bonus, neque propterea Deus. *Dicere, nolle Deum*, inquit Alexander Aphrodiensi, *rebus nostris providere, prorsus alienum est a Deo. Est enim invidia cujusdam, & maligna penitus natura, meliora, cum possit, non facere* (d). Non minus quoque absurdum est, si dicatur, a Deo negligi, quæ vilia sunt, atque minuta, propterea quia illius scientiam fugiant. Sequitur enim Divinam cognitionem non esse infinitam. *Nulla* igitur *Mundi particula Dei providentiam effugit* (e); utque optime scripsit Ammonius, nullus esse potest *vel tam pusillus, ut terræ profundum subiens, latere possit providentiam illam, quæ omnia etiam minima contemplatur; neque tam magnus, ut supra cælum evolet, & extra moderantem cuncta providentiam consistat* (f).

Co-

(a) Lib. II. *de Fide* cap. 29.
(b) Lib. I. *de Officiis* cap. 13.
(c) Lib. de *ira Dei* cap. 9.
(d) Apud S. Cyrillum Alexandrinum lib. II. *contra Julianum*.
(e) Eusebius lib. XII. *de præp. Evangel.* cap. 28.
(f) Comment. in lib. Aristotelis *de interpretatione*.

COROLLARIUM.

55. Nullum igitur est *fatum* a *Divina providentia* diversum. Si autem *quisquam fato tribuit*, inquit S. Augustinus, *quia ipsam Dei voluntatem, vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat* (a).

Objecta diluuntur.

Opponitur 1. Manifestum experientia est, impios prosperam in hoc Mundo vitam agere, contra vero affligi justos, omnique prorsus eos solatio destitui. Ergo vel nulla Dei providentia est, vel Deus non est justus.

℞. *neg. conseq.* Tantum enim abest, ut hinc vel injustitiæ accusari Deus possit, vel illius negari providentia, quin potius & summe justus, & maxime providus hinc Deus ipse appareat. Si enim, ut egregie observat S. Augustinus, *nunc omne peccatum manifeste plecteret pœna, nihil ultimo judicio servari putaretur. Rursus si nullum peccatum nunc puniret aperte Divinitas, nulla esse providentia Divina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissima largitate concederet: non ad eum ista pertinere diceremus; itemque si omnibus eas petentibus daret, nonnisi propter talia præmia serviendum illi esse arbitraremur; nec pios nos faceret talis servitus, sed potius cupidos & avaros* (b). Itaque, cum nullus sit neque tam bonus, qui non aliquando delinquat, neque tam malus, qui aliquod morale bonum quandoque non agat, æquum est, ut mali vitam agant prospere, affluantque divitiis: boni vero ex adverso ut in summa etiam versentur egestate, & calamitatibus premantur, ne scilicet, aut virtus sine præmio, aut peccatum sine pœna suppliciove in hoc etiam Mundo remaneat.

Opponitur 2. cum Epicuro apud Lactantium: *Deus aut vult tollere mala, & non potest; aut potest, & non vult; aut neque vult, neque potest; aut & vult, & potest. Si vult, & non potest, imbecillis est, quod in Deum non cadit. Si potest, & non vult, invidus, quod æque alienum a Deo. Si neque vult, neque potest, & invidus, & imbecillis est, ideoque neque Deus: Si vult, & potest, quod solum Deo convenit, unde ergo sunt mala? aut cur illa non tollit* (c)?

℞.

(a) Lib. V. *de civitate Dei* cap. 10.
(b) Lib. I. *de civitate Dei* cap. 8.
(c) Lib. *de ira Dei* cap. 13.

℞. Deum impedire posse omnia mala, sed nolle; neque tamen improvidum esse, aut invidum. *Potest mala tollere* (Deus), inquit laudatus Auctor, *sed non vult; nec ideo tamen invidus est. Idcirco enim non tollit, quia & sapientiam simul tribuit, & plus boni ac jucunditatis in Sapientia, quam in malis molestiae. Sapientia enim facit, ut etiam Deum cognoscamus, & per eam cognitionem, immortalitatem assequamur, quod est summum bonum* (a). Et sane, ut ille paulo antea dixerat, *non potest quisquam eligere meliora, & scire, quid bonum sit* (quod ad sapientiam spectat) *nisi sciat simul reiicere, & vitare, quae mala sunt. Invicem sibi alterutrum connexa sunt, ut sublato alterutro, utrumque tolli, necesse sit. Propositis igitur bonis, malisque, tum demum opus suum peragit Sapientia, & quidem bonum appetit ad utilitatem, malum reiicit ad salutem. Ergo sicuti bona innumerabilia data sunt homini, quibus frui posset; sic etiam mala, quae caveret. Nam si malum nullum sit, nullum periculum, nihil denique, quod laedere hominem possit, tollitur omnis materia Sapientiae, nec erit homini necessaria. Positis enim tantummodo in conspectu, bonis, quid opus est cogitatione, intellectu, scientia, ratione? cum quocunque porrexerit manum, id natura aptum & commodum sit; ut si quis velit apparatissimam coenam infantibus, qui nondum sapiant, apponere, utique id apppetent singuli, quo unumquemque aut impetus, aut fames, aut etiam casus attraxerit, & quidquid sumpserint, id illis erit utile, ac salubre. Quid igitur nocebit, eos, sicuti sunt, permanere, & semper infantes, ac nescios esse rerum? Si autem admisceas vel amara, vel inutilia, vel etiam venenata, decipiuntur utique per ignorantiam boni, ac mali, nisi accedat his sapientia, per quam habeant malorum rejectionem, bonorumque delectum. Vides ergo, magis propter mala opus bonis esse Sapientia: quae nisi fuissent proposita, rationale animal non essemus* (b). Adde ex Angelico Doctore, *multa bona esse in rebus, quae nisi mala essent, locum non haberent; sicut non esset patientia justorum, si non esset malignitas persequentium; nec esset locus justitiae vindicativa, si delicta non essent. In etiam rebus naturalibus non esset unius generatio, nisi esset alterius corruptio. Si ergo malum* (concludit Vir summus) *totaliter ab universitate rerum per Divinam Providentiam excluderetur, oporteret etiam bonorum multitudinem diminui* (c).

Neque omittendum videtur, ad Mundi pulchritudinem etiam mala conferre plurimum, ipsamque Dei Sapientiam, atque potentiam ex illis luculentissime demonstrari. In hac rerum universitate *etiam il-*

(a) Lib. *de ira Dei* cap. 13.
(b) Ibidem.
(c) Lib. III. *contra Gentiles* cap. 71.

illud, inquit S. Augustinus, *quod malum dicitur, bene ordinatum, & suo loco positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant, & laudabiliora sint, dum comparantur malis. Nec enim Deus omnipotens (quod etiam infideles fatentur, rerum cui summa potestas) cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, & bonus, ut bene faceret etiam de malo* (a). Noluit Deus, etsi potuerit, nulla mala permittere, neque propterea vel improvidus censeri debet, vel minus bonus, minusque sapiens est dicendus.

Opponitur 3. S. Hieronymus aperte negat, Divinam providentiam ad vilia, & minutissima sese extendere. Hæc enim habet: *Absurdum est, ad hoc Dei deducere Majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur: quæ cimicum, pulicum, & muscarum sit in terra multitudo: quanti pisces in aqua natent .... Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationalium, quam irrationalium providentiam esse dicentes* (b). Ergo &c.

℟. *neg. añs*. Non enim S. Doctor res, quæ minutæ vilissimæque censentur, ab omni prorsus providentia excludit; sed a speciali tantum, ab ea scilicet, qua rationalia reguntur. Postquam enim dixit, nos non ita fatuos adulatores Dei esse debere, *ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nosmetipsos injuriosi simus, eandem rationalium, quam irrationalium providentiam esse dicentes*, statim infert, librum illum pro apocrypho habendum esse, *in quo scriptum est, quemdam angelum nomine Tyri praeesse reptilibus*. Unde patet, S. Hieronymum non negare eo loci, minutas res Divinæ providentiæ subiici, sed tantum eas non ita ab illa dependere, ut rebus ipsis, quemadmodum hominibus, angeli præsint. Ceterum tantus Doctor apertissime sibi adversaretur, si Divinam providentiam ad viliora atque minuta non se extendere ipse putaret. Contrarium enim manifeste docet, exponens illa verba Christi Domini: *nonne duo passeres asse veneunt* (c). Ait enim: *Si parva animalia absque Deo authore non decidunt, & in omnibus semper est providentia, & quæ in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt; vos, qui æterni estis, non timere debetis, quod absque Dei vivatis providentia*. Neque pretermittendum postremo, non deesse, qui velint, laudatum S. Hieronymi locum esse unum ex illis, quos ipse S. Doctor ait, *se in Commentariis super Prophetas non ex sua, sed ex aliorum sententia exposuisse* (d).

(a) *Enchirid* n. 3., alias cap. 11.
(b) Comment. in cap. I. *Abacuc.*
(c) Matthæi cap. X. v. 29.
(d) Lib. *contra Rufinum*.

SECTIO SECUNDA.

An ad omnes creaturarum actiones Deus ipſe immediate concurrat.

56. Vidimus, nihil contingere in Mundo, quod Divinæ providentiæ nequeat acceptum referri. Expendendum modo, an omnia agentia creata ita a Deo dependeant, ut agere nihil poſſint, quin ipſe Deus ad illorum actiones immediate concurrat. Dupliciter autem poteſt Deus immediate concurrere ad actiones creaturarum, ſcilicet immediate *immediatione virtutis*, & immediate *immediatione ſuppoſiti*.

DEFINITIO.

57. Ad omnes creaturarum actiones concurrere dicitur Deus immediate *immediatione virtutis*, quatenus *eam vim illis contulit, qua operantur, ſuoſque effectus producunt*. Dicitur vero cum illis concurrere immediate *immediatione ſuppoſiti*, ſi ita cum illis agat, dum agunt, ut *exiſtentiam effectus ſua & ipſe Deus actione immediate attingat*.

ANIMADVERSIO.

58. Deum occurrere immediate *immediatione virtutis* ad omnes effectus, qui a cauſis creatis producuntur, nemini dubium eſſe poteſt. A Deo enim habet creata cauſa vim, qua operetur, quemadmodum ab illo habet, ut exiſtat. An autem ad omnes creaturarum actiones concurrat etiam immediate *immediatione ſuppoſiti*, non una omnium opinio eſt. Negat Durandus. Affirmant reliqui Philoſophi, atque Theologi, apud quos propterea Durandus non bene audit. Negativa tamen ſententia non ita Durandi eſt propria, ut omnium ille primus eam in ſcholas invexerit. Vetuſtiſſima eſt enim, ſi credimus S. Auguſtino. *Sunt*, inquit S. Doctor, *qui arbitrantur, tantummodo Mundum ipſum factum a Deo, cetera jam fieri ab ipſo Mundo, ſicut ille ordinavit & juſſit. Deum autem ipſum nihil operari* (a). Contra hos ergo ſit

PRO-

(a) Lib. V, *ſuper Geneſim ad literam* num. 40., alias cap. 20.

PROPOSITIO UNICA.

Deus concurrit ad omnes creaturarum actiones immediate immediatione non tantum virtutis, sed etiam suppositi.

59. *Probatur*. Si namque Deus non concurreret ad actiones creaturarum immediate *immediatione suppositi*, sed tantum *virtutis*, earum effectos non dependerent a Deo *immediate*, & *per se*, sed *mediate* tantum, & *per accidens*. Effectus enim non dependet *immediate*, & *per se*, nisi ab eo, per cujus actionem existit. Absurdum autem videtur, ut effectus causæ creatæ dependeat *immediate*, & *per se* a creatura; a Deo autem tantum *mediate*, & *per accidens*, sive, ut magis a creatura, quam a Deo dependeat. Ergo non immediate *immediatione* dumtaxat *virtutis*, verum etiam *suppositi* ad omnes creaturarum actiones Deus concurrit.

Confirmatur. Nulla creatura sibi sufficit, ut existat. Ergo nulla quoque sibi satis est, ut operetur. Operari enim sequitur esse, modusque operandi modo essendi, quemadmodum ajunt Philosophi, plane respondet. Ut autem creatura existat, immediato Dei concursu opus illi est. Ergo eodem est illi opus, ut operetur.

Satisfit objectionibus.

Arguitur primo in oppositum. Constat ex Scriptura, Deum reliquisse hominem *in manu consilii sui* (a); & ex S. Augustino, Deum sic omnia, quæ creavit, administrare, *ut etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat* (b). Ergo immediate concurrit Deus ad omnes creaturarum actiones *immediatione* quidem *virtutis*, at non *suppositi*.

℞. *neg. conseq.* Id enim neque ex S. Scriptura, neque ex laudatis verbis S. Augustini legitime sequitur. Mens namque Ecclesiastici eo loci est, notum omnibus facere, arbitrii libertate hominem fuisse a Deo donatum, sicque Deum ad omnes illius actiones concurrere, ut electio ad unum in plena ejusdem sit potestate. Non secus quoque de S. Augustino dicendum est. Vult nempe S. Doctor, Mundum ita a Divina providentia regi, ut nullam creatam causam ad operandum cogat. Profecto aperte ille docet, contra eos, qui ajunt, *tantummodo*

(a) *Ecclesiastici* cap. XV. v. 12,
(b) Lib. VII. *de civitate Dei* cap. 30.

modo Mundum ipsum factum a Deo; cetera jam fieri ab ipso Mundo, sicut ille ordinavit & jussit. Deum autem ipsum nihil operari: contra hos, inquam, docet aperte, proferri illam Domini sententiam: *Pater meus usque nunc operatur* (a). Eodem porro modo ceteris omnibus haud dissimilibus SS. Patrum testimoniis satis efficitur.

Arguitur 2. Si Deus concurreret immediate *immediatione suppositi* ad omnes creaturarum actiones, actio peccaminosa non minus Deo, quam homini imputari posset. Tunc enim eadem pro utroque ratio est. Hoc autem videtur absurdum. Ergo &c.

℞. *neg: consequutionem majoris*, & ratio discriminis est; quia Deus, ut author naturæ, tenetur ad omnes sive bonas, sive malas creaturarum actiones concurrere; & ideo actio mala nequit Deo imputari, sed homini imputanda unice est; quia homo ita illam ponit, ut ipsam non ponere teneatur. Certe neque homini ea jure imputatur actio, ad quam eliciendam aliqua necessitate compellitur. Teneri porro Deum ad omnes etiam malas creaturarum actiones concurrere, videtur perspicuum. Cum enim condiderit hominem libero arbitrio præditum, ipsumque in manu consilii sui reliquerit, necesse proculdubio est, ut Divinus concursus sit ad hominis actiones tam bonas, quam malas ex æquo paratus.

Dices: actiones hominis bonæ Deo acceptæ referuntur. Ergo referri eidem debent etiam malæ, si, ut ad bonas, ita ad malas Deus ipse *immediate* concurrat.

℞. *disting. añs*; actiones hominis bonæ Deo acceptæ referuntur, quatenus ad eas concurrit concursu generali, & ut author naturæ, *nego añs*; quatenus ad eas concurrit concursu etiam speciali, & per gratiam, *concedo añs*, & *nego conseq.* Actiones bonæ acceptæ referuntur Deo, quia ad eas concurrit non tantum concursu generali; sed etiam speciali, hominem scilicet interius excitando ad bonum, eique auxilium gratiæ conferendo, sine quo bene agere nequaquam potest.

Arguitur 3. Deus prohibet actum malum. Ergo ad illum non concurrit. Repugnare quippe videtur, ut ad eum actum, quem prohibet, Deus concurrat.

℞. *disting. añs*. Deus prohibet actum malum, verum ita, ut simul velit, creaturam agere motus suos, *concedo añs*; prohibet actum malum, ita ut impediat, ne creatura operetur, prout ipsi creaturæ placet, *nego añs*, & *conseq.* Ita ergo Deus prohibet actum malum, ut creaturam in manu consilii sui simul relinquat; ac proinde ut simul

(a) Lib. V. *super Genesim ad litteram* num. 4., alias cap. 20.

mul paratus sit, tamquam naturæ auctor, ad omnes illius actiones concurrere; adeoque etiam ad malas, si eas ipsa voluerit. Ceterum nimis probat argumentum. Evincit enim, neque *permissive* posse Deum ad malas creaturarum actiones concurrere; cum scilicet non minus absurdum videatur, ut Deus permittat malum, quod prohibet, quam ut ad prohibitum ab se malum ipse concurrat. Idipsum de mala creaturæ actione Deo imputanda, si ad eam concurrat, dicatur velim. Peccaminosa siquidem actio illi etiam imputabilis est, qui eam, cum possit impediri, permittit. Ergo, si actio mala creaturæ ex eo nequit Deo imputari, quod illam permittat, cum impedire ipsam possit; ita eadem ipsa actio Deo imputanda non est, propterea quod ad eam concurrat.

SECTIO TERTIA.

An Deus physice prædeterminet causas creatas ad agendum.

60. Satis non est Thomistis, causas creatas, ut agant, suosque effectus producant, indigere immediato Dei concursu. Contendunt insuper, nihil prorsus fieri ab illis posse, quin ad operandum *physice* a Deo prædeterminentur. Contrarium vero putant alii, & quidem non inferioris subsellii, Philosophi, atque Theologi.

DEFINITIO.

61. *Physica præmotio*, sive *prædeterminatio*, si Thomistas ipsos audiamus, *est influxus causæ primæ, receptus, non quidem immediate in effectibus, sed in causis secundis, quo Deus ipsis actualem efficacitatem inspirat, quo eas movet & applicat, non solum* objective & moraliter, *alliciendo, & suadendo, sed etiam* physice & active *interius inclinando, applicando, determinando, ac ultimam illam activitatem, ad quam sequitur actio, influendo, & ideo dicitur* motio physica. *Sed quia motio & applicatio virtutis activæ ad agendum est prior natura, quam ipsa actio, sicut omnis via est prior suo termino, & omnis causa suo effectu, ideo motio illa dicitur* prævia motio, *seu* præmotio (a).

COROLLARIUM.

62. *Igitur fieri nullatenus potest, ut in causis sive liberis, sive ne-*

(a) P. Goudin P. IV. *Philos.* Disp. II. q. 3. art. 2.

cessariis negatio actus cum physica praemotione componatur. Repugnate quippe videtur, ut otiosum maneat agens, cum est ad operandum *physice* determinatum.

PROPOSITIO I.

Physica praedeterminatio in causis naturalibus, sive necessariis videtur omnino frustranea.

63. *Probatur*. Causae *naturales*, sive *necessariae* determinatae sunt per suam naturam ad operandum. In hoc enim stat discrimen causae *necessariae* a causa *libera* (P. II. §§. 385., 388.). Frustra autem praedeterminatur a Deo, quod jam per suam naturam determinatum est, ut patet ex ipsis terminis. Ergo in causis *necessariis* frustranea omnino est *physica praedeterminatio*.

Confirmatur. Ratio, si non potissima, saltem ex praecipuis una, cur per Thomistas humana voluntas indigeat a Deo physice praedeterminari, ut agat, ex eo desumitur, quod ipsa voluntas per suam naturam aequaliter se habeat ad opposita (a). Ergo vel nulla haec ratio est, vel *physica praedeterminatio* in causis *necessariis* est prorsus frustranea. Ut enim praeclare observat Doctor Subtilis, *in causis praecisis si affirmatio est causa affirmationis, & negatio est causa negationis* (b).

PROPOSITIO II.

Physica praedeterminatio in causis liberis adversatur intimo sensui.

64. *Probatur*. Non minus certi sumus per sensum intimum nos cogitare, quam voluntatem nostram determinare seipsam ad operandum. *Sentit animus se moveri*, ut ex Tullio saepius diximus, *quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri* (c). Ergo *physica praedeterminatio* intimo sensui adversatur.

Si quis vero dicat, videri quidem per sensum intimum, nos a nobismetipsis, non autem ab extrinseca causa, determinari; at rem non ita esse: sciat is velim, tantundem & humanae libertatis hostes reponere posse, cum illis objicitur, constare per sensum intimum, voluntatem nostram esse dominam suorum actuum. Dicere namque possunt & ipsi, nos hallucinari, cum, testimonio intimi sensus innixi, dicimus, sic libera voluntate nos alia fugere, & alia sequi, *ut, quem-*

(a) Vide Goudinum P. IV. *Philos.* Disp. II. quest. 3. artic. 4. §. 8. *quinta ratio*.

(b) In I. *Sentent.* Distin. 43. q. unica §. *Hic dicitur*.

(c) Lib. I. *qq. Tuscul* cap. 23.

quemadmodum dolere, gaudere, videre, audire, non ratiocinando, sed reipsa comprehendimus, ita a nostrum ipsorum consilio ad fugiendum, aut sequendum moveri nos profecto sentimus (a). Opponere nimirum & illi queunt, rem non ita esse, licet, si intimi sensus habeatur ratio, ita nobis esse videatur. Itaque aut dicendum, humanam libertatem haud recte ex intimo sensu evinci; aut fateamur oportet, *physicam prædeterminationem* in causis liberis sensui intimo penitus adversari.

PROPOSITIO III.

Physica præmotio in causis liberis videtur cum earum libertate indifferentiæ minime posse componi.

65. *Probatur*. *Physica præmotio* non stat in voluntate cum *libertate indifferentiæ*, si voluntas in signo priori ad *præmotionem* non possit agere, simul vero cum illa nequeat non operari. Libera enim non est voluntas, nisi agere, & non agere ex æquo possit. Agere autem nequit voluntas in signo priori ad *physicam præmotionem*; cum, si Thomistas audiamus, non agat, nisi sit prædeterminata. Neque potest non agere, si ut præmota sumatur; cum actionis negatio, iisdem testibus, nequeat cum *physica præmotione* componi. Ergo &c.

Confirmatur. Etenim in signo priori ad *physicam præmotionem* vel potest voluntas seipsam determinare ad operandum, vel non potest. Si potest: ergo *præmotio* frustranea est; quippe quæ non ponitur, nisi ut voluntas per eam determinetur. Si non potest: ergo voluntas non est libera; cum *libertas indifferentiæ* in eo sit posita, ut voluntas ad eam, quæ magis sibi arridet, contradictionis partem determinare seipsam possit.

Dicunt, voluntatem in signo priori ad *præmotionem* posse quidem agere, sed nunquam fore, ut agat.

Contra: quia, nisi Thomistæ velint, aliquid ponere sine ratione, cur illud potius ponant, quam non ponant, danda ab illis ratio est, cur voluntas, licet in signo priori ad *præmotionem* queat agere, seque ipsam determinare, nunquam tamen futurum sit, ut tunc operetur & seipsam determinet. Igitur negatio actus, quæ in tali signo semper habetur, vel ex eo provenit, quod potentia voluntatis tunc sit intrinsecus manca, quemadmodum manca eadem ipsa est quoad actiones supernaturales, si spectetur divinæ gratiæ auxilio destituta; vel ex eo oritur, quod aliqua tunc ei desit conditio, quæ ad operandum ne-

(a) Eusebius lib. VI. de *præp. Evang.* cap. 5.

necessario prærequiratur. Si primum: ergo falsum est, voluntatem in signo priori ad *præmotionem* agere posse. Completa enim debet esse potentia causæ, ut ipsa posse agere jure dicatur. Sin alterum: ergo negatio actus una simul potest cum *physica præmotione* componi. Est enim de intrinseca ratione causæ liberæ, ut, omnibus positis, quibus ad agendum est opus, actio, & negatio actionis haberi queat ex æquo; & ideo ut negatio actionis stare cum positione omnium conditionum optime possit (P. II. §. 388.).

Unum addo, quod in hoc negotio me semper plurimum movit, videlicet contendere etiam *fatalistas* posse, voluntatis libertatem a *fatali* externa causa nequaquam lædi. Possunt quippe & ipsi dicere, voluntatem non habere a *fato*, ut possit agere, sed tantum, ut agat, sive illam posse quidem non operari, etiam dum a *fato* determinata est, nunquam tamen fore, ut tunc non operetur: uno verbo, *fatalem* influxum non potentiam respicere, sed actum. Neque enim contra eos valet, actionem *fatalis* causæ esse priorem actione voluntatis, independentem a voluntate, & cum illius actu infallibiliter connexam. Non valet, inquam; quia neque contra prædeterminantes id alicujus vel minimi momenti est. In tuto est enim, horum judicio, humana libertas, quamvis *præmotio* sit prior actione voluntatis, ab ipsa voluntate non dependeat, eaque posita, fieri nequeat, ut voluntas non operetur, sive ut actionis negatio tunc habeatur.

C O R O L L A R I U M.

66. *Si physica præmotio humanam libertatem lædit, rationem meriti, & demeriti in humanis actibus ipsa quoque tollit.* Ut enim diximus suo loco, *jaceret omnis Philosophia, jaceret pietas, nulla esset laus virtutis, nullus fructus laborum, nec puniendi essent improbi, nec admirandi studiosi, si non libera voluntate, sed necessitate* a nobis fieret, quidquid facimus (a).

P R O P O S I T I O IV.

Physica præmotio in causis liberis videtur Divinæ sanctitati plurimum derogare.

67. *Probatur.* Cum, prædeterminantium sententia, nihil prorsus agere possit creatura, nisi physice a Deo prædeterminetur, *physica præ-*

(a) Eusebius lib. VI. de *præp. Evangel.* cap. 5.

præmotione opus est homini, etiam ut male agat. Ideo ergo pessime vivit homo, quia ad pessime operandum a Deo præmovetur. Hoc autem Divinæ sanctitati derogari quammaxime, nescius nemo est. Sequitur enim, Deum ipsum accusari debere, eique imputari, si inhoneste vitam suam homo traducat. Ergo &c.

Confirmatur. Non vacat culpa, qui hominem ad male operandum *moraliter* præmovet. Ergo is itidem, & quidem a fortiori, immunis a culpa non est, qui eundem ad inhonestas actiones *physice* prædeterminat.

Dicunt: Deum non prædeterminare hominem ad *formale*, sed tantum ad *materiale* peccati.

Contra: quia etiam homo suadens alteri, ut male agat, ipsum non præmovet *moraliter*, nisi ad *materiale* actionis malæ. Ergo immunis & ille est a culpa, si hoc unum sufficit, ut inhonesta hominis vita imputari Deo prædeterminanti jure non possit. Certe, qui Deum faciunt auctorem peccati, non aliud sentire puto, nisi esse a Deo materiale illius actionis, quæ malitiam habet annexam. Addo, neminem fore peccantium, qui malitiam actionis suæ *directe* respiciat, eamque *primo* & *per se* velit. Ut enim materiale actionis est id, quo mala concupiscentia expletur, ita illud est, quod unice a peccante respicitur.

Satisfit objectionibus.

Opponunt Thomistæ *primo* innumera tum Conciliorum, tum S. S. Patrum testimonia, putantque, evidenter adeo *physicam præmotionem* ex hoc capite evinci, ut, eorum judicio, nemo sine piaculo sentire contrarium possit. Ea porro prætermitto, tum ut consulam brevitati, tum quia omnibus una responsione fit satis.

℞. igitur, ea omnia testimonia intelligenda esse vel de concursu Dei simultaneo; vel de motione humanæ voluntatis ad bonum *in genere*; vel de *præmotione* tantum *morali*; vel de motione quadam speciali per gratiam ad actus supernaturales, & meritorios.

Et sane vel loca Conciliorum, & Patrum, quæ *Prædeterminantium* paginas implent, rem plane ad evidentiam demonstrant, vel probabiliter tantum suadent. Si demonstrant: ergo male se gerit Ecclesia, cum in Scholis Catholicis oppositum doceri sinit, imo & palam propugnari permittit. Ut enim habetur in Decreto, *error, cui non resistitur, approbatur; & veritas, cum minime defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cum possis, deturbare perversos, nihil aliud est, quam fove-*

fovere, nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviaſse (a). Si autem ſuadent tantum, uti dicendum eſt, niſi Eccleſiam inſimulare erroris placeat, fruſtra prorſus autoritatum immenſa farragine paginas implent *phyſicæ prædeterminationis* patroni, ut rem conficiant. Adhuc quippe ſtabit, doctrinam de *phyſica præmotione* neque ſpectare ad fidem, neque confinia probabilitatis tranſcendere, ſed ei poſſe unumquemque ſine piaculo refragari.

Opponunt 2. Deus eſt prima cauſa, & primus motor. Non eſſet autem hujuſmodi, niſi inferiores cauſas præmoveret, eaſque ad operandum *phyſice* determinaret. Ergo &c.

℟. *neg. min.* Stare enim poteſt, Deum eſſe primam cauſam, & primum motorem, licet cauſas creatas *phyſice* non prædeterminet. Prima igitur cauſa eſt Deus I. *dignitate*, quatenus nempe omnibus creatis cauſis ſublimior eſt, tamque præſtantis naturæ, ut eas omnes perfectione ſua infinite excedat. II. *fœcunditate*; quia rebus ſingulis vim ipſe tribuit, qua operentur. III. *independentia*; nullius enim auxilio indiget Deus, ut agat; contra vero agentia creata opus habent divino concurſu, eaque neceſſitate a Deo in operando dependent, ut omnino repugnet, fieri aliquid vel minimum ab illis poſſe, niſi Deus non permittat ſolum, verum etiam niſi *phyſice* cum ipſis concurrat. Speciali quoque modo habet Deus rationem *primæ cauſæ*, *primique moventis*, ſi ad voluntatem referatur. Etenim I. eam præmovet motione generali verſus bonum in genere. *Deus*, inquit Angelicus Doctor, *movet voluntatem hominis, ſicut univerſalis motor ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum; & ſine hac univerſali motione homo non poteſt aliquid velle* (b). II. ſpeciali motione eam excitat ad actiones ſupernaturales, eique gratiam confert, qua actiones ipſas eliciat; unde dicit Apoſtolus, Deum operari *in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate* (c). Quod ſi nomine *primæ cauſæ* intelligant Thomiſtæ cauſam *phyſice prædeterminantem*, non aſſumant, veluti notum ex terminis, Deum eſse primam cauſam; ſed id ratione demonſtrent. Enimvero, ſi ſecus, argumentum eo laborat fallaciæ genere, quod *petitio principii* nuncupatur.

Dicunt: Deus eſt prior creatura in eſſendo. Ergo etiam in operando. Modus enim operandi ſequitur modum eſſendi.

℟. *diſting. coñs*: Deus eſt prior creatura in operando, prioritate dignitatis, fæcunditatis, & independentiæ, *concedo conſeq.* Prioritate phyſicæ prædeterminationis, *nego conſeq.* Reſponſio patet ex dictis.

Oppo-

(a) Diſtin. LXXXIII. cap. *error.*
(b) P. I. *Secundæ* q. 9. artic. 6.
(c) Ad *Philippenſes* cap. II. v. 13.

Opponunt 3. Causa secunda *essentialiter* subordinatur primæ. Ergo ab illa *physice* præmovetur. *Añs* est evidens. *Prob. conseq.* Etenim non in alio, quam in exigentia *physica prę̨motionis* stare posse videtur *essentialis* subordinatio causæ secundę ad primam.

℞. *disting. añs*: causa secunda *essentialiter* subordinatur primæ, hoc est, habet a prima, ut possit agere, & agat reipsa, *concedo añs*: Subordinatur primæ, hoc est, ita illi subiicitur, ut, nisi ab illa *physice* præmoveatur, operari non possit, *nego añs*, & *conseq.* Causa itaque secunda subordinatur primæ, quatenus non solum vim operandi habet a prima, verum etiam quia ita ab illa in operando dependet, ut nihil omnino queat agere causa secunda, nisi prima simul operetur, ipsumque effectum simul cum illa producat.

Instant. Magis dependet creatura a Deo, quam instrumentum ab artifice. Sed instrumentum ita dependet ab artifice, ut nihil queat efficere, nisi ab illo præmoveatur. Ergo nihil quoque operari creatura potest, nisi a Deo physice prædeterminetur.

℞. *disting. ma*: magis dependet creatura a Deo, quam instrumentum ab artifice, in essendo, *concedo ma*: in operando, *nego ma*: & *permissa min: nego conseq.* Cum enim creatura, secus atque instrumentum, vim habeat agendi, fieri nequit, ut major sit dependentia creaturæ a Deo in operando, quam instrumenti ab artifice.

Urgent: Majus esset dominium Dei in creaturas, si *physica prę̨motione* ad operandum indigerent. Ergo *physica prę̨motione* indigent reipsa.

℞. *disting. coñs.* physica præmotione indigent, si non repugnat, ut præmoveantur, *concedo conseq.* Si repugnat, *nego conseq.* Ostendant Thomistæ, stare posse *physicam prę̨motionem* cum libertate in voluntate, ipsamque *prę̨motionem* Divinæ sanctitati haudquaquam officere, & tunc dabimus, Deum præmovere *physice* creaturas, ut dominium super eas habeat, quod potest esse maximum.

Opponitur 4. Voluntas est indifferens natura sua ad operandum, & ad non operandum. Ergo indiget *physico prę̨determinante*, ut operetur.

℞. *disting. añs*: voluntas est indifferens natura sua ad operandum, & ad non operandum, indifferentia activa, *concedo añs*; indifferentia passiva, *nego añs*, & *conseq.* Indifferens itaque est voluntas ad utramque contradictionis partem, verum ita, ut simul vim habeat sese determinandi. Quod *passive* est indifferens, determinari ab alio debet; minime vero quod est indifferens *active*, hoc est, quod vim habet agendi, & non agendi, prout sibi magis placet, quemadmodum

dum fuse diximus, cum de libertate voluntatis dissereremus. Hæc de *physica præmotione* dicta sufficiant. *Fateor* porro, *me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt. Unde si aliquid vel incautius, vel indoctius a me positum est, quod non solum ab aliis, qui videre id possunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipso (quia & ego, saltem postea, videre debeo, si proficio) nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscendum, atque gratulandum; non quia erratum est, sed quia improbatum. Nam nimis perverse seipsum amat, qui et alios vult errare, ut error suus lateat* (a).

(a) S. Augustinus Epist. CXLIII., alias VII.

FINIS.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

Attributa rei essentialia quæ dicantur. pag. 30.
Non essentiallia. ibid.
Accidentale rei quid dicatur. 44.
Accidens quid sit. 47.
Logicum. ibid.
Physicum. ibid.
Simpliciter absolutum. 48.
Modale. ibid.
Æqualia quæ dicantur. 54.
Æqualitas quid sit. 55.
Annibilatio quid sit. 60.
Actio causæ efficientis. 73.
Ejus *terminus* 74.
Actio *immanens.* ibid.
transiens. ibid.
Agere naturaliter quid sit. 77.
Agens necessarium. 359.
intrinsece. ibid.
extrinsece. ibid.
necessitate specificationis. 360.
necessitate exercitii. ibid.
Agens liberum. 358
a necessitate. 360.
libertate contrarietatis. ibid.
libertate contradictionis. ibid.
Actus voluntatis *eliciti.* 361
imperati. ibid.
Actio voluntaria quæ dicatur. ibid.
Athei qui dicantur. 392.
Æternitas quid sit. 420.

B.

Bonitas entis quid sit. 10.
Bonum quid dicatur. 353.
Honestum. ibid.
Jucundum. ibid.
Utile. ibid.
Verum. ibid.
Apparens. ibid.

C.

Contingens quid sit. 24.
Metaphysice. 25.
Physice. ibid.
Moraliter. ibid.
Convenire duo in aliqua ratione quid sit. 52.
Creatio quid sit. 59.
Compositum nihil est distinctum a suis principiis intrinsecis simul sumtis & unitis. 61.
Causa in genere quid sit. 66.
Causalitas. 67.
Conditio *sine qua non.* ibid.
Causa *adæquata.* ibid.
Inadæquata. ibid.
Intrinseca. 68.
Extrinseca. ibid.
Causa efficiens quid sit. 72.
in actu primo. 73.
in actu secundo. ibid.
Metaphysica. 75.
Physica. ibid.
Moralis. ibid.
Principalis. ibid.
Instrumentalis. ibid.
Occasionalis. 76.
Æquivoca. ibid.
Univoca. ibid.
Per se. ibid.
Per accidens. ibid.
Proxima. 77.
Remota. ibid.
Subordinata. ibid.
Naturalis. ibid.
Necessaria. 78.
Causa semper agit, quantum potest. 80.
Causa finalis quæ dicatur. 84.
Causa materialis compositi. 90.
Formæ. ibid.
Causa formalis compositi. 91.
subjecti. ibid
Causa *exemplaris* quid sit. 94.
Commercium mentis cum corpore. 190.
Ejus leges. 191.
per systema *causarum occasionalium* non explicatur. 197.
Hoc systema indignum est Philosopho, 198.
Nullum est hoc systema, nisi mens ponatur substantia iners. 200.
Adversatur intimo sensui. 201.
Evertit humanam libertatem. 202.
Corpus determinatur ab anima ad motus voluntarios. 315.
per actionem realem. 316.
Omnis nostra cognitio dependet a sensibus. 244.
Cogi quodnam dicatur. 35?.
Concursus Dei immediatus. 434.

D.

Primo diversa quæ dicantur. 5.
Distinctio quid sit. 13.
Quotuplex ibid.
Distinctioni non opponitur

tur unio. ibid.
Distinctio latius patet, quam *diversitas*. ibid.
Denominatio absoluta. 50.
Relativa. ibid.
Fundamentum *denominationis relativæ*. 51.
Dependentia mentis a corpore non officit illius spiritualitati. 311.
Dei nomine quid intelligatur. 393.
Deum existere est evidens. ibid.
Deus est ens infinitum. 406.
Differt a substantia Mundi. 407.
Est unus. 409.
Est purus spiritus. 415.
Est immutabilis. 417.
Est immensus. 419.
Est æternus. 421.
Est omnipotens. 422.
Est omnisciens. 423.
Deistæ qui dicantur. 425.
Deus concurrit ad omnes actiones creaturarum. 435.
Eas non prædeterminat. 440.

E.

ENs *reale* quid sit. 4.
Unumquodq; per suam essentiam est ens. 5.
Non dicit in recto, nisi meram negationem. ibid.
Convenire in ratione *entis* est convenire in *negatione*. 6.
Attributum *entis* est maxime universale. 7.
Est commune *univocum* Deo, & creaturis. 8.
Entis proprietates. 9.
Essentia rei quid sit. 29.
Existentia quid sit. 31.
Ens actu quodnam dicatur. ibid.
In potentia. ibid.
Existere per essentiam. ibid.
Non per essentiam. ibid.
A se. 32.
Ab alio. ibid.
Per se. 42.
Perseitas entis quid sit. ibid.
Essentia rei est *necessaria*. 33.
Est *immutabilis*. 34.
Existit *necessario*, quod *a se* existit. 36.
Existit *contingenter*, quod existit *ab alio*. ibid.
Existentia nihil est distinctum ab *essentia*. 37.
Ens absolutum quid sit. 50.
Relativum. ibid.
Ens essentialiter simplex quid sit. 57.
Essentialiter compositum. 58.
Ens simplex non potest fieri nisi *ex nihilo sui*. 62.
Neque potest perire, nisi abeat in *nihilum sui*. ibid.
Idem numero effectus non potest esse a pluribus causis ejusdem generis & ordinis. 70.
Effectus naturalis. 78.
Supernaturalis. ibid.
Quoad substantiam. ibid.
Quoad modum. ibid.
Effectus nequit excedere suam causam. 79.
Exemplar quid sit. 93.
Ens infinitum quodnam dicatur. 406.

F.

FInis *intrinsecus* qui dicatur. 82.
Extrinsecus. 83.
primarius. ibid.
secundarius. ibid.
proximus. 84.
remotus. ibid.
Finis est vera causa. 84.
quid in illo requiratur, ut sit causa. 85.
quæ agant propter finem. ibid.
Forma quid sit. 87.
Substantialis. 88.
Accidentalis. ibid.
Formam educi quid sit. 89.
Forma est vere causa tum respectu materiæ, tum respectu compositi. 91.

H.

HArmonia *præstabilita* quid sit. 207.
Ejus principia. 208.
Nulla possunt ratione ostendi. 212., 214.
Poni nequeunt, quin detur, nullius effectus posse causam determinari. 217.
Nullum est hoc systema, nisi mens semper cogitet. 225.
Hoc posito, plura contingunt in anima sine *ratione sufficienti*. 227.
Favet *idealismo*. 234.
Adversatur S. Scripturæ, & Patribus. 239.
Ad inhoneste vivendum viam sternit. 247.
Evertit dogma de concupiscentia animę ex carne. 249.
Rejiciendæ sunt macerationes carnis, posita harmonia. 255
Hoc si detur systema, nulla inest animæ libertas in suas ideas. 258.
Neque in motus corporis. 263.

Fa-

Favet *fatalifmo*. 268.
Nulla eft harmonia, fi mens pro forma corporis habeatur. 285.
Pofita harmonia, plures in uno homine funt animæ. 288.
Per harmoniam non explicatur commercium. 289.
Syftema *harmoniæ præftabilitæ* neq; dignum eft Philofopho, neque a Viro catholico poteft fine piaculo propugnari. 298.

I.

INdivifibile *abfolute* quid fit. 11.
Secundum quid. 12.
Identitas quid fit. 15.
Quotuplex. 16.
Maxime differt ab *unione*. ibid.
Impoffibile quid fit. 17.
Logice. 19.
Metaphyfice. ibid.
Naturaliter. ibid.
Moraliter. 20.
Immutabile quid fit. 26.
Metaphyfice. ibid.
Phyfice. ibid.
Moraliter. ibid.
Simpliciter 27.
Secundum quid. ibid.
Immutabilitas, & *neceffitas* convertuntur. 29.
Inhærere fubjecto quid fit. 43.
Incorruptibile intrinfece quid fit. 134.
extrinfece. 135.
Immortale intrinfece. ibid.
extrinfece. 136.
fimpliciter. ibid.
fecundum quid. ibid.
Intellectus quid fit. 321.
Idea innata nulla eft. 337.
Ideæ rerum infenfibilium ex ideis fenfibilium eruuntur. 340.
Involuntarium quid fit, & quotuplex. 362.
Immenfitas Dei. 419.
Judicium intellectus *theoreticum*. 379.
practicum. ibid.
practicum ultimum. 380.

L.

L*ibertas* agentis quid fit, & quotuplex. 360.

M.

M*Etaphyfica* quid fit. 1.
Ejus partitio. 2.
Mutabile quid fit. 26.
Metaphyfice. ibid.
Phyfice. ibid.
Moraliter. ibid.
Mutabilitas, & *contingentia* convertuntur. 29.
Dantur modi reales, & pofitivi. 49.
Medium quid fit. 84.
Materia ex qua. 86.
in qua. 87.
circa quam. ibid.
Mens humana quid fit. 90.
Opiniones de illius natura. 96.
Mens humana eft fubftantia. 109.
Differt a fubftantia ex fanguine elaborata in cerebro. 110.
Non eft divifibilis in partes integrales. 111.
Non eft extenfa. 113.
Non eft compofita ex fubjecto & forma. 115.
Eft fpiritualis. 116.
Opiniones de illius immortalitate. 129.
Non indiget corpore, ut exiftat. 138.
perire nequit per diffolutionẽ partium. ibid.
Eft intrinfece incorruptibilis. 139.
Separata a corpore poteft cogitare. 140.
Eft immortalis. 149.
Dei voluntate in morte non perit. 155.
Opiniones de illius origine. 163.
Non eft particula Divinæ fubftantiæ. 169.
Neque animæ univerfi. 170.
Non propagatur per traducem. ibid.
Eft ingenerabilis. 173.
Producitur a Deo. 174.
Non producitur ante corpus. 174.
Non præexiftit in corpufculo organico 176.
Motus corporis *voluntar*ii qui dicantur. 314.
Mens humana congenita fibi vi producit rerum ideas. 325.
Determinatur a phantafmate. 329.
Dependet a corpore, etiam ut cognofcat feipfam. 345.
Incertum eft, num femper cogitet. 346.
Malum quid fit, & quotuplex. 354.
Memoria quid fit. 386.
Motivum volitionis, & nolitionis. 380.
Materia nequit effe *ens a fe*. 407.

Ne-

N.

Necessarium quid sit. 23
Metaphysice. ibid.
Physice. 24.
Moraliter. ibid.
Absolute. ibid.
Ex suppositione. ibid.
Natura rei quid sit. 30.
Fieri rem *ex nihilo sui* quid sit. 58.
ex nihilo subjecti. ibid.
Abire *in nihilum sui*. ibid.
in nihilum subjecti. 59.

O.

Ontologia quid sit. 3.
Ejus objectum. ibid.
Objectum activæ potentiæ quid sit. 251.
Materiale. ibid.
Formale. ibid,
Omnipotens quodnam dicatur. 422.

P.

Possibile quid sit. 17.
Logice. ibid.
Metaphysice. 18.
Supernaturaliter. ibid.
Naturaliter. 19.
Moraliter. ibid.
Principium *contradictionis*. 32.
Rationis sufficientis. 33.
Principium in genere quid dicatur. 64.
Principium rei. 66.
Externum. ibid.
Internum. ibid.
Principium cognitionis. ibid.
Potentia activa causæ quid sit. 72.
Passio quid sit. 74.
Psychologia quid sit. 95.
Phantasma quid sit. 310.
Polythei qui dicantur. 408.
Providentia Dei quid sit. 425
Præmotio physica. 437.
frustranea in causis necessariis. 438.
adversatur sensui intimo. ibid.
officit libertati. 439.
adversatur divinæ sanctitati. 440.

R.

Relatio, vide *ens relativum*.
Relatio nil est distinctum a referibilitate terminorum. 52.

S.

Subjectum quid sit. 41.
Substantia quot modis sumatur. 43. & seq.
Substantiæ attributum est commune univocum Deo, & creaturis. 45.
Substantia simplex nequit fieri nisi per *creationem*. 62.
Nequit perire, nisi per *annihilationem*. ibid.
Substantiale rei quid dicatur. ibid.
Similia quæ dicantur. 53.
Similitudo quid sit. 54.
Substantia spiritualis quæ dicatur. 101.
Species impressa nulla est. 330.

T.

Theologia naturalis quæ dicatur. 391

V.

Veritas entis quid sit. 9.
Unitas entis quid sit. 11.
Ejus species. ibid.
Voluntas quid sit. 352.
Aversari nequit bonum. 354.
Neque malum appetere. 355.
Non potest cogi. 363.
Est libera libertate contrarietatis, & contradictionis. 365.
Dependet ab intellectu. 381.
Non tamen ab illo determinatur. ibid.
Violentum quid dicatur. 358.

FINIS.